BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
H
26
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

CARAMUELIS APPARATUS PHILOSOPHICUS,

QUATVOR LIBRIS DISTINCTVS.

IN PRIMO

DE OMNIUM, SCIENTIARUM QUÆ SCHOLASTICE TRACTARI POSSUNT quidditate, dignitate, ordine, utilitate, De Artibus Vanis, Superſtitioſis, Viribus naturæ & Dæmonis Conjurationibus; hominum Pactis; divinationibus per Deum, Aſtra, Ignem, Aquam; Manum, Terram, Aërem, Sacra, Sortes, literas &c. Deque ludendi, diteſcendi, venandi, Commendandi gregis, arte traditur.

IN SECVNDO

DE OMNIUM GENTIVM, ÆGYPTIORUM SAMARITANORUM, REGUM, ARABUM, HÆBREORUM; Græcorum, Latinorum, Characteribus & literis ſecretis; Quænamq; natio melius proferat linguam Latinam agitur.

IN TERTIO

DE CIPHRIS MENTIS ARCANA EDISSERENTIBVS DICITVR.

IN QVARTO

METACIPHRICÆ SECRETA PER SPIRITUS; PENNAS, CRISTAS, CAUDAS, explicantur.

Liber omnibus Scientiarum amatoribus perquam utilis & neceſſarius.

COLONIÆ

Anno M. DC. LXV.

LIBER PROOEMIALIS,

De omnium Artium Scientiarumque, quæ Scholaſticè tractari poſſunt, quiditate, dignitate, ordine & utilitate.

I.

SCientiæ, aut Reales aut Virtuales ſunt: hæ ſunt omnes Morales, & illæ moraliter tractari poſſunt. Ego igitur, qui omnes ſcientias & Artes ſum examinaturus, traditurus, & moraliter expoſiturus, præmittere Diſputationes iſtas debui, quæ de Scientijs & Artibus agerent. Sed quos alloquor? Ipſas Artes docendos? Abſit. Difficiliora enim ipſiſmet Artibus ſum impræſentiarum tractaturus, & quæ intelligi nequeant ab illis, qui alijs Scientijs & Artibus careant, Ordo Naturæ poſtulat, ut ab univerſalioribus; Ordo doctrinæ ut à notioribus, clarioribus & facilioribus Inſtitutiones incipiamus. Poſteriorem ſequuntur, qui loquuntur docendis: priorem qui doctoris. Ego igitur ſiquidem placuit deſcribere Artes omnes in genere, docturos alloquar: viros ſcilicet, qui illas ſuo, ut dicitur, modo, iam ſciunt, & ut meo ſciant doceantque ad arenam vocantur. Hi Habituum, Facilitatum, Specierum, Expreſſionum, Qualitatum, Relationum, Habitudinumque nominibus terreri non poterunt, videbuntque in brevi Paginâ omnium Artium tradendarum Synopſin aut Specimen; multæ enim ipſæ & variæ, nec quæ poſſint paucis folijs ſingulatim expendi. Hunc igitur Procemialem Librum in quatuor Diſputationes diſtribuam: & in primâ agam de Artibus & Scientijs in communi: in ſecundâ de Artibus Liberalibus: in tertiâ de Scientijs Philoſophicis & Theologicis, nec non de Virtualibus, Moralibuſve, & in quartâ de Inertijs, ſeu Atheologicis Artibus, illicitis, ſuperſtitioſis, vanis.

DISPUTATIO I.

De Artium Scientiarumque eſſentiâ, diviſione & ſubalternatione.

II.

AB incunabilis ad Ariſtotelem non patere tranſitum immediatum ita eſt certum, ut probari non debeat, ad dubium reduci non poſſit. Debent Abecedariæ Artes tanquam fundamentum ſupponi, debet addi Liberalium notitia, ut poſſint addiſci Philoſophicæ. Quamobrem Tomus iſte præcurrit, & viam ſternit, ut alius & alius ſubſequatur. Bravium ſexto lapidi inſiſtit; nec aliter haberi poterit, quàm ſi ſexies curramus. *Liberalis* igitur vocetur primus Curſus; ſecundus *Mathematicus*; tertius *Phyſicus & Naturalis*; quartus *Divinus & Supernaturalis*; quintus *Moralis & Virtualis*; ſextus *Expoſitivus*.

Qui hæc ſtadia percurrerit, felici auſpicis Sapientiæ Arcem ingreditur & meritâ Laureâ redimitur. Alios in hoc vel illo ſtadio hærentes, ſua manet laus; datur enim medium inter omnia ignorare, & omnia ſcire. Longa eſt & ardua via, ſi omnes ſcientiæ deberent ad amuſſim tractari; totam ad Synopſin reduco, & ob oculos pono.

ARS

- **BONA** *ingenua, licita.*
  - *Realis.*
    - *Directiva*
      - *Articulationis.* Et huc pertinent Artes Abcedariæ: debet enim ante omnia doceri puer legete & ſcribere, & in hoc conſiſtit Orthographia, quam Polygraphia corporũ & ductuũ copiâ exornar, & Steganographia ſpirituum ſecretâ varietate commendat. Vocalium quantitatem & numerum contemplatur Metrica: numerum, accentus, & conſonantias Rhytmica: tonum Muſica.
      - *Sermonis*, & vocatur Grammatica, quæ penes regiones varias varia. [Nota ex litteris fieri dictiones, ex dictionibus propoſitiones, ex his Syllogiſmos. Litteras conſiderat Orthographia: dictiones Grammatica; propoſitiones Logica; Syllogiſmos Dialectica. Rherorica eſt Grammatica elegans, nec poteſt carere Dialecticâ.]
      - *Mentis.* Et dicitur Logica Mentalis, manu ductrix operationum intellectûs; dantur enim termini mentales, vocales, & ſcripti, qui ad diverſas Facultates ſpectant.
      - *Memoria.* Artificialem enim reminiſcendi methodum multi viri promittunt, & me judice negari nequid memoriam poſſe & ſolere artificio juvari; ſed hoc ipſum debet eſſe accuratum, ne dicatur alterâ indigere memoriâ.
      - *Voluntatis.* Nam ſpecialis Facultas videtur neceſſariò requiri, ne voluntas exorbitet, & malum diligat ſub boni ſpecie.
      - *Corporis proprij.* Et multæ ſunt Facultates, quæ huc collimant. Rhetorica manuum motum, & membrorum inclinationes competentes requirit; & Vrbanitas inuigilat ſeriò regendis artubus. Conſultò dicam ſeriò; nam ſi iocos & ludos reſpicimus; Choræas, Saltus, Tripudia, & multa alia repetire ſolemus, quæ conſiſtunt in artuum artificioſo motu, & traduntur ſpecialibus Artibus.
      - *Corporis alieni.* Gladiatoria enim, Militaris, Aurigaria, Nautica, & multæ aliæ in inſtrumentorum directione conſiſtunt.
    - *Speculativa.*
      - *Mathematica.* Et comprehendit præcipuè Arithmeticam, Geometriam, Logarithmicam, & Vranometriam.
      - *Philoſophica.* Et quia agit de Ente Inanimo, Vegetativo, Senſitivo, Humano, Angelico, & Divino, ſortitur diverſa vocabula.
    - *Operativa.* Nimirum quæ producit permanentem effectum, & vocatur *Mechanica.* Huc multæ Facultates ſpectant, de quibus inferiùs diſputabimus.
    - *Trãslativa.* & *Officium* vocatur; & ad eos pertinet, qui artefacta non faciunt, ſed à Mechanicis facta transferunt, aut commutant.
  - *Virtualis.*
    - *Ethica.* Et omnes ipſa morales Facultates complectitur, quas ego hoc curſu expendo.
- **MALA** *vilis, illicita.*
  - *Vana ſuperſtitioſa.* Huc pertinent omnes Facultates, quæ carent Fundamento Phyſico, adeòque vel ſunt nullæ, vel ſacrilego pacto fundatæ.

III. QVID

III.

Quid Artis nomine intelligatur?

DE ſingulia aliquid in genere ; aliquid in ſpecie dicemus , & ab univerſalioribus incipiendo præmittimus Artis ſumptæ genericæ definitionem.

Aſſetenribus Senecâ *libro 4. epiſt. 29.* & Galeno *in exhortatione ad bonas Artes* hoc nomen *Ars* eſt generale ; & omnes humanas facultates complectitur ; quo ſenſu Sapientia eſt quædam Ars , & Logica , Phyſica , Medicina , & Theologia Artes dicendæ ſunt [Videatur Franciſcus Matthæus Fernandez *in Notitiâ intuitivâ Artium Scientiarumque.*]

[Ars ab arctando dicitur [Iſidorus *Libr. 1. orig.* Govarrubias *in Theſauro, verb. Arte, fol.* 94.] qood intellectum aliàs liberum & exlegem , regulis & præceptis coarctet. Hine oritur Artem eſſe habitum operandi ſecundum rationem & regulas. Sic illam definit Ariſtoteles *libr. 6. Ethic. cap.* 4. vix abeſt S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 73. *artic.* 3. ait enim; Artem , quandam factibilium rectam rationem eſſe. In quibus definitionibus facere & operari ſumi debent genericè abſtrahendo ab actione tranſeunte & immanente. *Ars* igitur ut clariùs & liquidiùs intelligatur , dici debet, *quæ dat vera præcepta , præſcribitque certas errare non patientes vias.*

Differt Ars ab Officio , quia Artifices res faciunt , & Officiales ab aliis factas vendunt, diſtrahunt , ſervant - ve. Unde Martianus Servitia officia nominat , *l. legatis. §. ſi ex offic. ff. de legat.* 3. *ubi Doctores l. nominatim.* 24. *de manu teſtam. l. forma. §. in ſervis. ff. de cenſib.* Et Caſſanæus *Catal. gloria Mundi.* 11. *part. conſider.* 31. Officij nomine ſolam Mercaturam intelligit.

IV.

Artium Diviſio.

IN varias claſſes ab Authoribus Artes diſtributas reperio. In Architectonicas & Suggerentes illas Ariſtoteles dividit ; hoc eſt, in ſubalternantes & ſubalternas. Sic illum communiter exponunt , tametſi verba videantur eſſe ambigua , & duplicis lucis capacia. Sed hæc diviſio exponetur inferiùs , cùm de ſubalternatione Scientiarum.

In Pueriles , Delectabiles , Vulgares , & Nobiles Artes diviſit Seneca *libr.* 13. *epiſt.* 88. quem ſic intelligo. Puto *Pueriles* Artes dici illas omnes , quæ in puetitiâ addiſcendæ: ejuſmodi ſunt Orthographia , Grammatica , Rhythmica , Metrica , Rhetorica, Dialectica , Arithmetica , Geometria, Muſica & aliæ omnes ; quæ ſolent Liberales vocari. Ideò Ulpianus *l.* 1. *de variis & extraord. cog.* decernit civium filios ab ipſâmet puetitiâ his artibus imbuendos ad annum XXXV. tunc enim ſufficienter inſtructi Eleuteras , ſeu abſolutas Scientias perfectè intelligere poterunt. Exiſtimo vocari *Delectabiles* , quæ ad recreationem conducunt ; Saltatoriam , Venatoriam , & alias. *Vulgares* , quæ ab alijs nominantur Mechanicæ. *Nobiles* , quæ ſuos Profeſſores nobilitant , & in Academijs Majores Facultates vocantur ; videlicet Theologiam , Juriſprudentiam , Medicinam.

Galenus in exhortatione ad bonos mores Artes dividit in Mechanicas & Liberales ; illum plurimi Recentiores ſequuntur, tametſi convenire non poſſint in ipſarum differentiâ aſſignandâ.

Eaſdem in Contemplativas , Activas , Effectivaſque diviſit Quintilianus , quem ſi ſequamur debebimus omninò dicere Metaphyſicam , Philoſophiam & Facultates omnes , quæ ad veritatis meram notitiam adquirendam ſpectant , eſſe contemplativas ; Activas , quæ actiones immanentes dirigunt ; & quæ tranſeuntes , effectivas.

Junioribus aliæ Artium diſtinctiones & diviſiones placent. Matthæus Fernandez *in ſuâ Artium & ſcientiarum intuitivâ notitiâ* ad quinque claſſes univerſas reducit ; enumeratque Mechanicas , Doctrinales , Naturales, Supernaturales, Morales ; Alij aliter.

Nos conſtamus diviſioni præſcriptæ , Arteſque primò dividimus in Bonas & Malas. Et malas credimus vanas, ſuperſtitioſas , illicitas , quas vel lex publica , vel privata condemnavit prudentia : bonas autem , quæ veris fundamentis ſubnixæ conducunt ad publicam utilitatem.

Bonas in Reales atque Virtuales ſubdividimus : dicimuſque illas reſpicere res ut ſunt ; iſtas prout prudentium æſtimatione & ſuppoſitione ſe habent. Nam Filiatio aliquid naturale eſt , at adoptio , quæ vocatur Filiatio moralis aut virtualia , non eſt realiter & verè filiatio at prudentum placito ita ſe habet , ac ſi filiatio realis eſſet.

Reales in Directivas, Operativas , Tranſlativas ; & Speculativas ſubdividimus ; vocamuſque Directivas , quæ linguam ; quæ mentem ; quæ memoriam , quæ voluntatem, quæ membra reliqua, pedes , manus , &c. & tandem quæ bruta aut res inanimatas dirigunt. Operativas quæ faciunt artefacta. Illis Officia ſubjicimus , quorum profeſſores in ijs, quæ aut natura rerum patens dedit , aut homines ſuo ingenio fecerunt , procurarunt ve, transferendis vendendiſque occupantur. Speculativas verò , quæ non rebus faciendis, ſed merè cognoſcendis inſudant.

* *
*

A 2 Artium

V.

Artium Liberalium Mechanicarumque diſtinctio.

Liberales à libertate dictæ, quòd Servis antiquitùs interdicerentur, & ſolùm concederentur liberis. Fuit enim cautum lege publicâ, nequis illiberalis has artes edoceri præſumeret; additum, clam edoctos, dedocendos politicè hoceſt, interdicendos jure profeſſionis & praxis. Legi id apud Higinium *Libro Fabul.* Joſephum *Libro* 20. Lampridium *in Alexandro*. Plinium. *Lib.* 35. & multos alios.

At quia tempori ſubſunt omnia, ſucceſſu annorum etiam mancipia ad Scholas admiſſa; imò etiam ſemel doctis permiſſus uſus harum artium. Suo ævo condolet Plinius *in præm. Libr.* 44. *hiſt. natur.* quòd artes omnes liberæ à Nobilibus contemnerentur. Suetonius *in Caligulâ & Nerone* Servorum meminit, qui erant aulici Phyſici, & Principes univerſos curabant. Mancipia etiam exercebant Pictoriam Imperatore Juſtiniano: conſtat ex *libr. Si duobus. Cap. Communia. de legibus.* Eòque venit Nobilium ignavia & inertia, ut Mamertus ad Jul. ſe vidiſſe Jure-conſultos libertinos ſcribat.

Erant Romani rerum Domini, eorumque mores imitationi populis. Adeòque ſub ſcientias & Artes contemnentibus pauci populi Facultates nobiliores amabant. Et ut alios omittam, Hebræi peſſimo Romanorum exemplo ſervis Artes ingenuas commiſerunt, ut luget *vigeſimo Libr.* Joſephus.

Sed cùm Liberas audis condiſtingui à Mechanicis, meritò interrogas, quænam differentia intercedat. Illas Xenophon *libro de Rep. Lacedam.* ſic diſtinguit. Omnem Artem, quæ ob pretium reducitur ad praxin, mechanicam eſſe dijudicat; omnemque, ſi gratis exerceatur, ingenuam. At puto audiri non debere hunc Philoſophum, non enim à liberalitate Artes Liberales dicuntur, ſed à libertate. Et, ne nimiùm inſiſtamus etymo, ſicut dici non debet, unam & eamdem Artem, ſi exerceatur à ſervo, eſſe ſervilem, & ſi à libero, liberalem; ſic nec aſſeri unam eàmdemque ſervilem eſſe, ſi exerceatur ob pretium; liberalem, ſi gratis. Vel ſi cenſuræ Xenophontis ſtemus, quæ in Academijs erit Ars liberalis? Theologia, Juriſprudentia, Medicina, Metaphyſica, Philoſophia, Dialectica, & omnes ad unam Facultates mechanicis adjudicandæ ſunt, quarum Profeſſores pingui & digno ſtipendio honorantur. Hinc eſt hanc diſtinctionem meritò damnati ab Ulpiano *libro cum ſequentib. ff. de varijs.* ubi ſtipendia Profeſſoribus Artium liberalium adſignat.

Nec contra nos pro Xenophonte militat veterum Chriſtianorum ſententia, qui diebus feſtis gratis ſe poſſe operari putabant. unde etiam hodie libri reperiuntur antiqui manuſcripti (aliquos ſimiles oſtendit mihi Pater Crommius Lovanij in Bibliothecâ Societatis) cum hac Notâ. *Hic liber ſcriptus eſt diebus feſtis, adeòque non poteſt vendi.* Poſſet enim quis dicere, diebus feſtis non eſſe inhibita pietatis opera, & poſſe bene moratum artificem, die feſto auditâ miſsâ aliquid pro cultu divino aut pauperibus facere. Hinc autem probaretur opera quæ gratis fiunt, eſſe pia, non tamen non eſſe mechanica.

Recurrendum igitur ad objectum eſt, & inde differentia ſumenda. Et ſtatuendum Facultatem, quæ directè formam ſenſibilem permanentem producit eſſe mechanicam; reliquas liberales. Conſultò illud *directè* poſui, ut moneam ſæpè formas permanentes indirectè produci, nec ideò produci mechanicè. Pono exemplum. Hoc ego folium ſcribo, hoc exſcribit diſcipulus, hoc amanuenſis: omnes tres rem permanentem facimus, at iſte ſolummodò mechanicè, quia directè ſolummodò. Ego ſcribo ut ſciam, ut examinem, ut doceam; meus diſcipulus eadem exſcribit & diſcat; & uterque indirectè. At amanuenſis exſcribit ut exſcribat, & ideò ſerviliter & purè mechanicè. Et ſi hoc intelligatur ſenſu, quod Xenophon de pretio dixit, poteſt omninò ſuſtineri.

VI.

Artium Scientiarumque Subalternatio.

Dari inter Facultates ordinem, nec eſſe perinde ſi hæ aut illæ prædiſcantur, certum eſt; incertum verò & diſputabile, utræ debeant præcedere, utræ ſubſequi. Ut video, omnes ant ferè ſubſcribunt Ariſtoteli, qui *Poſt, s. capite 9. text.* 23. triplicem ſubalternationem cognoſcit; Finalem, Materialem, Formalem.

Primo modo ſubalternatur illa ſcientia, quæ reſpicit alteram ut finem; nam Ars frænifica ad Equeſtrem, Ferraria ad alias curioſiores dirigitur. Sed hæc ſubalternatio extrinſeca, & accidentaria eſt; quia ſi agatur de fine artificis, indeterminata omninò eſt, nemo enim dubitat, unam & eandem rem propter diverſos, imò propter contrarios fines poſſe appeti, nam operanti eſt liberum hunc vel illum finem ſibi proponere; & ne alteremus materiam, quis ignoret frænificem poſſe in diverſos fines collimare? ſi res examinetur, in Oeconomicam ille potiùs

tiùs quam in Equeſtrem collineat : frænis formandis adlaborat , non quidem ut Ars Equeſtris floreat , ſed ut res domeſtica vigeat , &ſuæ divitiæ creſcant : Si autem agatur de fine operis , adhuc incertus ipſe erit; Ferraria enim ars ferè omnibus ſubordinaretur ; format enim arma pro militari , vomeres pro ruſticâ, cœla pro ſculptoriâ , crates pro architectonicâ , hamos pro piſcatoriâ , acus pro ſartoriâ , anchoras pro nauticâ : & ut verbo dicam , inſtrumenta pro omnibus artibus mechanicis. Igitur , cùm hæc finalis ſubalternatio omninò accidentaria & contingens videatur , non eſt illa quæ quæritur à curioſis Philoſophis de ſcientiarum ſubalternatione diſputantibus.

Materialis ſubalternatio , tametſi minùs contingens quam finalis , nihilominùs incerta & varia ; illa enim materialiter ſubalternari ſcientia dicitur , quæ in ſuis formandis ſyllogiſmis præmiſſas & principia ab aliâ facultate emendicat ; illa autem facultas , quæ hujuſmodi indulget principia , ſubalternans eſt. Hæc ſubalternatio convenit Arithmeticæ & Muſicæ , aſſerente Ariſtotele *primi Poſter. text.* 13. *&* 69. præmiſſa enim & principia , quæ Muſicus ſupponit, ſunt concluſiones ab Arithmetico munſtratæ , quia ubi finit Arithmeticus , ibi incipit Muſicus. Sed dixi hanc eſſe magna ex parte arbitrariam ſcientiarum ſubordinationem , quia tàm probabuntur concluſiones arithmeticæ ex poſitionibus muſicis , ſi hæ concedantur , quàm muſicæ ex arithmeticis conceſſis. quod licèt in his facultatibus admitti poſſit , in Philoſophicis & Theologicis admitti debet ; multa enim in Theologiâ probantur principijs purè Philoſophicis ; Deum enim eſſe , eumque habere Unitatem eſſentiæ , Omnipotentiam , Infinitatem , Æternitatem , demonſtrat Theologus præmiſſis purè Philoſophicis ; & viciſſim Subſiſtentiam creatam eſſe diſtinguibilem , imò & ſeparabilem à ſuâ naturâ , corpus poſſe eſſe in duobus locis , accidentia poſſe exiſtere ſine ſubjecto inhæſionis , & ſexcenta alia oſtendit Philoſophus adſumens præmiſſas Theologicas & revelatas.

Ad formalem igitur ſubalternationem, devenientes , dicimus hanc eſſe , quam præcipuè Juniores quærunt : eamque à majori & minore abſtractione dependere tenemus. Ut reſolutionem intelligas, aliqua aſſerta præmittemus.

Assertvm I. *Scientia omnes partes integritativa ſunt Sophia , qua eſt unica ſcientia totalis.* Ejus objectum eſt omnium ſcibilium aggregatum ; nam ſicut omnia ſub cognoſcibilis ratione comprehenduntur , ſic etiam ab intellectu quâ cognoſcitivo attinguntur. P. Franciſcus Bonæ ſpei , primus , quem viderim , hanc veritatem aſſequutus pulchrè expoſuit *Tract.* 9. *Log. diſp.* 2. *dub.* 5. nam ſicut unicus eſt tantùm mundus , & ipſe dividitur in quatuor partes , quarum ſingulæ in regiones ; regiones in regna ; regna in provincias & circulos ; & hi in urbes & oppida ſubdividuntur : ſic Sophia , quæ eſt unica & totalis ſcientia , in alias partiales dividitur , quæ iterùm in alias & alias curioſiſſimè ſubdividantur.

Assertvm II. *Scientia ſingula partes ſunt , ut diximus , Sophia , qua eſt ſcientia totalis & unica ; & dividi debent in duas claſſes ; quarum prima Univerſales , ſecunda Particulares contineat.* Scientiam univerſalem dicimus , cujus objectum omnia prædicamenta complectitur, particularis verò , quæ ad unum prædicamentum adligatur. Prioris generis eſt Metaphyſica , quæ de omnium prædicamentorum quiditatibus diſputat; poſterioris verò Aſtronomia , quæ de cæleſtium corporum motibus.

Assertvm III. *Abſtractio eſt duplex; Negativa videlicet , & Præciſiva.* Abſtrahitur res præſciſſivè , cùm cognoſcitur non cognitâ alterâ : negativè , cùm negatâ alterâ. Verbi gratiâ. Sit Petrus albus. Si abſtrahatur negativè ab albedine , intelligetur non-albus ; ſi præſciſſivè , intelligetur quidem Petrus , non tamen albus nec non-albus. Abſtractio negativa practica eſt , præſciſſiva autem ſpeculativa. Poteſt enim à parte rei dati res abſtracta negativè qualiter concipitur ; non autem abſtracta præſciſſivè : quod clariſſimè demonſtrari poterit , quia viſivus eſt abſtractus negativè à cæcitate , & cæcus eſt abſtractus negativè à viſu ; at homo qui nec viſivam potentiam nec cæcitatem habeat, impoſſibilis eſt. Hic me juvare poterit Logica vocalis , aut Grammatica. Aliud enim eſt ſilere , aliud negare. Lingua abſtrahit præciſivè , cùm è duabus rebus alteram profert , & alteram tacet : negativè , cùm ex eiſdem alteram aſſerit , alteram negat. Ergo , ſi concipere, eſt verbum mentale proferre; præſcindere ſeu abſtrahere præciſivè, erit mentaliter tacere.

Stando igitur abſtractioni formali , dico *illam eſſe Scientiam priorem , cujus abſtractius & ſimplicius objectum eſt.*

Assertvm IIII. *Ordo eſt duplex : dignitatis & doctrina.* Qui priorem ſequitur , incipit à nobilioribus ; & qui poſteriorem , à notioribus & neceſſarioribus. Sed quem in tradendis Facultatibus ordinem ſum ſervaturus ? An-ne à dignioribus ; an potiùs à notioribus & utilioribus exordium ſumam ? Equidem doctrinæ ordinem ſequar , ut tradam Facultates & Scientias ; ſi enim à nobilioribus inciperem , Theologica & Metaphyſica Dogmata in ipſomet principio tradens , Auditores terrerem potiùs , quàm inſtituerem. *Inſiſtam igitur ſubalternationi materiali , & præmittam Artes , ſine quarum notitiâ adquiri poſteriores non poſſunt. Adde tamen iſſe aliquas ita concatenatas ut debeant ſimul implicari & involvi.* Incipiam igitur ab articulatione , aut Orthoſophiâ , quæ vocis articulandæ ſit ars , ſeu articulati ſoni ſignificent aliquid, ſeu nihil. Secundo loco ponam Grammaticam, quæ articulationibus utitur, & dictiones ſignificativas efformat. Orthologiam ornabo Orthographiâ , Polygraphiâ , &

Steganographiâ; Grammaticam Poëticâ, Rhetoricâ, & Dialecticâ: Grammaticæ enim Poetica dat menſuram, Rhetorica ſplendorem, & Dialectica vires.

Ubi direxero labium, mentem dirigam, regam memoriam, reducam voluntatem ad leges; & producam tres Artes; videlicet, Philoſophiam rationalem, ſeu intellectualem Dialecticam; Memoriæ Artem; Ethicam, hoc eſt Philoſophiam, aliàs *φιλίας σοφίαν*, *Amoris gubernandi Scientiam*. Conſequentiâ doctrinæ ab animo ad corpus procedens, adnotabo eſſe Artes, quæ membra regunt, quibus addi poſſunt, quæ Bruta cicurant, diriguntque; & illæ quæ inanimata promovent.

Inſenſibilia noſci nequeunt ab ignorante ſenſibilia, unde Ariſtoteles nihil eſſe in intellectu, quod non fuerit in ſenſu attentè & conſtáter affirmat. Ergo ubi ſenſus internos & externos regere didicerimus, debemus meditationi inſiſtere, & totam naturam contemplari. Et in ipsâ realitates, inanimas, vegetativas, ſenſitivas, humanas, ſpirituales, ſupernaturales; & tandem eſſentiam divinam.

Virtualia inſtar Realium concipi debent, nec poterunt priùs intelligi, quàm præcognoſcantur Realia, ultimò igitur ipſa loco tradenda ſtadium litterarium claudent.

Addemus tamen Synopſin Inertiarum, hoc eſt, malarum Artium; nam Philoſophus 3. *Moral. c.* 4. docet Artem eſſe habitú à ratione pendentem, additque Inertiam eſſe contrariã Arti, oririque à ratione falsâ, ſeu ab erroneâ hypotheſi: Addam, inquam, Inertias, ut has penitiùs cognitas, faciliùs univerſi declinent, & dent operam ingenuis & licitis Artibus.

VII.

Scientiarum Scientia, & Artium Ars.

Singulæ Artes & Scientiæ ſua objecta determinata poſtulant; at Artes ipſæ, Scientiæ ipſæ cuinam Sciẽtiæ objiciuntur? & quànam Arte examinantur?

Multi ſunt, qui diſputationem de Artibus phyſicá eſſe exiſtimant, docti aut potiùs ducti ab Ariſtotele, qui in Phyſicis de Arte tractavit. Hos ſequutus P. Georgius Stengelius, tres pulchros libellos Dilingæ defendendos propoſuit; primum de bonis Artibus in genere, nonâ Decembr. Ann. M DCXVI. Secundum de bonis Artibus in ſpecie eodem menſe. Tertium de malis Artibus vigeſimâ-ſecundâ Febr. Anni M DCXVII. Et quidem Artes eſſe partẽ objecti phyſici, his conatus perſuadere rationibus.

Prima. Ars & natura ſunt oppoſitæ, ſed oppoſitorũ eadẽ eſt ratio, eadẽ Ars, eadẽ diſciplina: ergo una & eadẽ ſciẽtia de Natura & Arte diſputabit. At de Naturà tractat Phyſica, ergo & de Arte: unde laudandus erit Ariſtoteles, qui de Principijs naturalibus libro primo, & de artificialibus ſecundo tractat.

Sed negabitur major, minorque. Illa, quia Ars non deſtruit Naturam, ſed perficit, & optimè cum illa compatitur; cùm tamen contraria mutuò ſe excludant, & ſimul coexiſtere nequeant. Iſta, quia tametſi ſemper unius notitia à ſui contrarij cognitione dependeat, non tamen ſemper contraria ſunt objecta ejuſdem ſimpliciſſimæ Artis; nam pura potentia & purus actus (h. e. materia prima & De⁹) oppoſita ſunt, & tamẽ illa ad Phyſicã, & hæc ad Theologiã ſpectat.

Secunda. Ars eſt Naturæ imitatrix, ad quã quò propiùs acceſſerit, eò perfectior eſt. Atqui quæ ſimilia ſunt ad eandem Facultatem ſpectant: ergo ſi ad Phyſicam Natura, etiam ad eandem ſpectat Ars. Probatur major. Quia Ars eſt naturæ quædam Simia, & ingenioſa quædã naturalium cauſarum æmulatrix.

Ad majorem reſpondeo aliquas Artes imitari naturam, aliàs perficere, ut Conimbricenſes *quæſt.* 2. *art.* 4. *Proœm. Phyſ.* & ante ipſos S. Bonaventura *in* 2. *diſt.* 9. *quæſt.* 3. ſtatuit: ſed quia magis & minus non arguunt diſcrimen ſpecificum, ideò ego majorem libenter condono, minorem nego: non enim ejuſdem Artis eſt venari feras, & homines pingere venantes, tametſi venationi veræ picta omninò ſit ſimilis.

Resolvo igitur *hanc diſputationem non eſſe phyſicam*, & demonſtrativè perſuadeo: nam objectum Phyſicæ eſt Corpus mobile, aut Ens corporeum mobile; & neutrum eſt, ſi bene examinetur, Ars; ergo non objicitur Phyſicæ.

Nonnulli Reſolutionem veram hac ratione confirmant. [Phyſica eſt Scientia ſpeculativa, multæ Artes ſunt practicæ, ergo iſtæ non pertinent ad Phyſicã.] Sed eſſe cõfirmationẽ iſtã debilẽ manifeſtè colligimus: major enim falſa eſt Ochamo 1. *part. Summa Phyſica* c. 4. aſſerẽti Phyſicã eſſe ſcientiã partim practicã, partim contemplativã; at mihi & alijs vera; res enim operabiles ſpeculativè poſſunt conſiderari; nam & miracula ego ſoleo merè ſpeculativè contemplari, non enim illa mediâ meâ cõtemplatione fiunt: ſic etiam ſpeculativè meditor prodigia & portẽta quæ à Natura in aëre & alijs Elementis pariantur. Minorẽ concedo; & tamen rationẽ inferẽdi nõ video, deberet enim inferri potiùs Artes practicas non eſſe phyſicas, quod Peripateticus nullus negaret. Aliud eſt enim Pictoriã eſſe practicam; & aliud omninò diverſũ, Artẽ quæ Pictoriã ut objectũ conſiderat, eſſe practicã: nã tametſi Artiũ objecta ſint operabilia, & Artes ſint operativæ: ipſæ Artes nõ ſunt operabiles, & ſcientia quæ illas conſiderat nõ eſt operativa, & idcircò nec practica.

Ad quam igitur Artem Artes, ad quam Sciẽtiam Scientiæ ſpectabunt? Puto illas ad ſpecialem pertinere, quam dixi *Scientiarum Scientiam* & *Artium Artem*; quam judico Philoſophiæ Animaſticæ ſubalternari.

VIII.

Similitudo & Diſſimilitudo Naturæ & Artis.

In multis cõveniunt, in multis differunt; prodere q; concordiã diſcordiamq; dilucidare.

Similes igitur ſunt Ars & Natura, *Primò*, quia operationum ſunt principia & cauſæ. *Secundò*, quia neutra caſu & fortuitò, ſed utraque certo ordine & modo procedit. *Tertiò*, quia utraque etiã incipit ab imperfectioribus: ex embrione enim producitur animal, & ex panno conficitur veſtis, & ut verbo omnia comprehendam, tanta eſt ſimilitudo Artis Naturæque, ut hanc Platonici *Artem Dei* nominarint.

Sunt diſſimiles etiam in multis, at differentiæ à Stengelio aſſignatæ non placent. Diſſimiles ſunt, inquit, Ars & Natura, *Primò* quia cũ caſu vel naturali actione alicujus agentis effectus

fectus formæ ſimilis producitur, nó intervenit agentis exemplar: quod tantùm in agente intellectuali locum habet; cùm intellectualis tantùm agentis ſit ex intentione ob certum finem agere. *Secundò*, Quia Ars eſt accidens, utpote habitus in intellectu artificis inhærens: Natura autem, prout hoc loco accipitur (nam valde varias ejus notiones eſſe ex Suario *diſ. 15. ſ. 11. n.* 4. Pereſio *l. 7. c. 1.* Fonſeca *5. Met. c. 4. q. 1. ſ. 2.* Joa. Bap. Bernardo *in ſeminario totius Philoſophiæ. tom. 2. verbo. Natura.* Boëtio *in l. de duabus Nat. & una perſona Chriſti*, atque alijs paſſim conſtat) eſt ſubſtantia, nempe forma & materia: nam non ſolum formam ſed etiam materiam Naturæ nomine venire, *ex 2. Phyſ. t. 4.* ubi Natura dividitur in eam, quæ eſt ſubjectum, & eam quæ eſt in ſubjecto: item *ex text. 10. & 12. & 21.* perſpicuè cognoſcimus. Nimiſque ſimplices ſunt, qui cum Simplicio ſolam materiam pro Naturâ agnoſcunt: neque Ariſtotelem ſapiunt, qui cum Avicennâ ſolam formam naturam eſſe litigant, cùm duæ Naturæ ſint, ut expreſſis verbis *t. 21. l. 2. Phyſ.* iteratur. *Tertiò.* Quia Ars eſt extrinſecum, Natura intrinſecum principium, ut *2. Phyſ. t. 3.* oſtenditur. *Quartò* Quia non omnes partes rei artefactæ ſunt ab Arte, teſte Alexandro, cùm tamen rei naturalis omnes partes ſint vel Natura, vel conſtent Natura. Licet enim hoc Simplicio haud gravatè concedamus quaſdam etiam artefactorum partes ab Arte eſſe, ut cubicula, muros, &c. non tamen omnes partes ab Arte eſſe, ligna & lapides clamant, ex quibus ædificia conſtruuntur. *Quintò.* Quia rerum artefactarum materia eſt ſubſtantia completa, nam Jovis vel Mercurij materia eſt æs, ebur, lignum, aurum &c. at rerum naturalium materiam eſſe ſubſtantiam incompletam, qui neſcit, jejunum in Philoſophia olet. *Sextò.* Quia res naturales ab aliquo, quod in ſe habent, tales appellantur: res autem artificioſæ ab extrinſeco tales vocantur: tam enim per ſe loquendo eſt Ars extra artefactum, quàm Natura in re naturali: nam artefactorum ut *6. Eth. cap. 4.* habetur, principium eſt in eo, qui facit, non in eo quod efficitur. *Septimò.* Quia Natura ſemper eodem modo operatur, at Ars comminiſcitur, ut eorum aliquid fiat, quæ & eſſe & non eſſe poſſunt, ut *ibidem* Ariſtoteles affirmat; cujus ſenſus eſt quòd opera Artis pro arbitrio Artificis, variè fieri poſſint, juxta ipſam finium varietatem, ad quos opera accomodari debent; adeòque opera Artis non alligantur ad certum & determinatum modum, quo produci debent. Sic enim Sartor alio modo veſtem conficit civi, alio militi: & architectus aliter contra hoſtes, aliter contra imbres ædificat. Quâ de causâ etiam opus Artis *ποίησις*, id eſt, *factura*, aut *figmentum* aut *effictio* nominatur. *Octavò.* Quia forma artificialis per ſe non eſt principium operationis, cùm tamen forma naturalis principium operationis ſit. Ut enim non ſubſcribimus nonnullis non exiſtimantibus ab Arte opus externum Phyſicè cauſari, cùm habitus non agat ſine concurſu ſuæ potentiæ, & Artis potentia ſit intellectus, qui nihil ad extra agit, ſed ſolum dirigit; ita quamvis ſigillum in cerâ ſimilem figuram relinquat, non tamen figuram ceræ à ſigillo, ſeu à gemmæ figura, ſed ab imprimente cauſari exiſtimamus, cùm nulla figura ſit activa.

At ego in his octo differentijs multa video, quæ non admitterem libenter. *Primò* enim, ſi agamus de Naturâ naturante (ſic Deus nominatur à Phyſicis) illam non poterimus dicere carere ideis, & nomen Naturæ hoc ſenſu benè ſumi Auguſtinus me docuit *lib. 21. de Civit. cap. 8.* dicens, *Quomodo eſt contra Naturam, quod Dei fit voluntate, cùm voluntas tanti utique conditoris conditæ rei cujuſcunque natura ſit?* & hoc ſenſu, non ſolùm Ars, ſed & Natura eſt creaturis extrinſeca: imò hoc ſenſu Natura non multum diſtabit ab Arte: permittique Platonicis poterit, ut illam *Dei Artem* appellent. Cæterùm ſumendo nomen pro Naturâ creatâ, illam ego differentiam admittam. *Secundò*, quia Ars in multorum ſententiâ non eſt accidens phyſicum, qui enim parco Naturæ genio ſtudent, & expreſſivam Philoſophiam ſectantur, negant omnes ſpecies & qualitates naturales intentionales, quas multiplicant Peripatetici, & pronunciant non dari habitus naturales, qui ſint qualitates ab intellectûs entitate diſtinctæ. Accedit quod nomen Naturæ etiam accidentibus competat, calori enim naturale eſt calefacere, & tamen calor in communi ſententia, quam modò non examino, eſt accidens. Nec enim nimis ſimplices judico ſubſcribentes Simplicio, jam enim ſubtiliores Philoſophi negant omnes formas corporeas ſubſtantiales. *Tertiò*, quia non videtur Ars eſſe principium extrinſecum; nam ſi ipſa eſt phyſica qualitas tàm intrinſecè inhærebit quàm calor; & ſi non diſtinguatur ab Animâ, inerit ei identicè, adeòque adhuc magis intrinſecè. *Quartò*, putamus ſimplicia à ſolo creari Deo, compoſita fieri à Naturâ & ab Arte: unde ſi Stengelius urget ligna & lapides non fieri ab Arte quæ domum erigit; urgebo nec ſubſiſtentiam, nec materiam, nec formam fieri à creatâ naturâ quæ hominem generat; & poſitum diſcrimen negabo. Et ille, cui hæc reſponſio diſpliceat, probet obſecro ſimplicem aliquam entitatem à causâ ſecundâ produci: quæcunque enim de Eductione Peripatetici (&, ut exiſtimo, contra Ariſtotelem) affirmant, ut moderatiſſimè loquar, nugæ ſunt. *Quintò*, qui in ſolo homine formam ſubſtantialem admittunt, dicent res cæteras, quibus utitur Ars, non eſſe completas ſubſtantias. *Sextò*, puto artificialia æquè ac naturalia intrinſecùs denominari; nam ſicut Homo ſua habet interna organa, ſic etiam horologium & quæcunque rotatoria automata. *Septimò*, nec Naturam mutatis circumſtantijs eodem modo operari videmus (nam pila, quæ ſuo pondere caderet, ſi inveniat impedimentum reſilit) nec Artem manentibus omnibus circumſtantijs poſſe diverſimodè operari (cùm libertas Artificis etiam ſit circumſtantia, quæ ab Arte diſtinguitur; poteſt enim concipi libertas ſine arte, & Ars ſimiliter ſine libertate.) *Octavò*, actiones eſſe ſuppoſitorum teneo; & cùm dico ſolam ſubſiſtentiam eſſe principium *quod*, formam tam ſubſtantialem, quàm accidentalem, naturalem & artificialem eſſe principia *quibus* neceſſariò ſuppoſiturus ſum.

DISPUTATIO II.

De Artibus Liberalibus.

IX.

QUot ſunt Artes ingenuæ, quæ *liberæ*, aut etiam *Liberales* dicuntur? Septem, ſi veteribus creditur; Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Muſica, Geometria, Aſtronomia. At ut video, ut ſeptenarium numerum ſacrum retinerent, potuiſſent Orthographiam poſuiſſe, omiſiſſe Dialecticam: illa enim omninò differt à Grammaticâ, & hæc eſt quædam rationalis Philoſophia, quæ debet eſſe janua ad Scientias Naturales, & Supernaturales. Dialecticam igitur ad Philoſophicam arenam promoventes, Liberalem Curſum inſtituturi, amplitudinem ſtadij metimur, ſeptem terminos ponimus, & à carceribus ad calcem, ſeptem intervalla, ſeu curricula determinamus. Solent, qui utuntur citis equis, ſtatis locis laſſos relinquere, & recentibus aſſumptis progredi; quos imitari omninò debet, qui ex ignorantiæ carceribus ad Philoſophiæ Arcem citò pervenire deſiderat; ſeptem ſunt ſtadia percurrenda, ſepties mutandi Pegaſi, ſepties reſumendus ſpiritus, & novis animis ſepties eſt Curſus continuandus. Metas columnis orno, & intercolumnia accuratè diſtinguo. Conſidera ſequens Paradigma; quo ARTES LIBERÆ repræſentantur.

ORTHOGRAPHIA. *Huic viam præparat Orthologia, addit ſplendorem Polygraphia, ſecuritatem Steganographia, & aliæ Artes quæ in merâ characterum cognitione conſiſtunt.*

GRAMMATICA. *Et huic dat lucem Logodædala: evehit mutorum Inſtitutio, ornat Chirologia, hanc eandem ſcientiam evulgat Typographia, & Bibliothecaria diligentia nobilitat.*

RHETORICA. *Et ipſo foro & templo ſervit, nam & Iuriſperiti reſolutiones ſuas perſuadere conantur, & Concionatores perſuadere virtutes.*

ARITHMETICA. *Diſcretam quantitatem contemnit & facilitatur Logarithmicâ, quæ eſt quoddam eminens numerorum miraculum, & humanarum inventionum prodigium.*

MUSICA. *Et eſt triplex, Rhytmica, Metrica, Sonora. Prima accentum & cadentias periodi reſpicit; ſecunda ſyllabarum numerum & quantitatem: tertia vocum & fidium.*

GEOMETRIA. *Et conſiderat lineas in genere. Coſmographia agit de Mundo terreno & cæleſti. Geographia hanc Tellurem deſcribit, & Oceanos Hydrographia. Optica ita res in tabulâ pingit ut oculis videri ſolent: & hoc plumâ, penicillo, carbone, acu pectine, & modis alijs. A Superficie ad Corpus tranſit Statuaria, & Architectura.*

ASTRONOMIA. *Tandem contemplatur Syderum figuram, magnitudinem, motum; hypotheſes veriſimiles invenit; & audentior reddita ſublunaria deſpiciens, futuros effectus prædicit, & tunc dicitur Aſtrologia.*

Hæ ſunt Artes Liberales, quas percurrere intendo: de ſingularium ſubalternis Habitibus plura inferiùs dicturus, nunc rudiori calamo Notitiam generalem præmitto.

X.

ORTHOLOGIA.

ELementaris eſt facultas, & linguam inſtruit, ut litteras efferat accuratè & correctè. In hanc primam facultatem delinquunt, qui efferunt B ut V, qui B ut P, qui I ut X, qui V ut F. &c. quoniam poſtulat Orthologia, ut ſingulæ literæ exactè proferantur & diſtinguantur. Pauciores hæ fuerunt ſub initium, ſed temporis ſucceſſu creverunt; earumque numerus apud varias eſt nationes varius.

XI.

ORTHOGRAPHIA.

HAs duas Artes [Orthologiam videlicet, & Orthographiam] eſſe analogas univerſi fatentur; & quia non ubique analogia hæc ſervatur, multi ſunt, qui adlaborant calamo & labiis conciliandis. Vix eſt natio, quæ ſcribat ut loquitur. Chaldæus ſcribit [illegible] *gobem*, & legit *eocem*: Græcus ſcribit Ἄγγελος *Aggelos* & legit *Angelos*: Latinus ſcribit *Prudentia*, & legit *Prudencia*: multas ſcribit Gallus litteras, quas non tangit: & ipſimet Hiſpani, qui de linguæ & calami uniformitate gloriantur, ſuos nævos retinent, quos curare non poſſunt; alij enim ſcribunt *Monarchia, Achilles*, &c. ut cognoſcatur derivatio, alij contradicunt *ch, ll*. eſſe litteras, quæ debent proferri, ut in dictionibus *Mucho, Dicho, Llamado*, &c. maluntque ſcribere *Monarquia, Aquiles*, oblitterantes etymon, quod alijs non placet.

Orthographia eſt duplex; liberalis, mechanica; illa docet characteres debitis locis ponere, hæc illos ſpecioſè formare, & videtur eſſe pars Pictoriæ, & ſolam ductuum intendere pulchritudinem & animoſitatem.

Hoc ævo Sinenſes ſunt negligentiſſimi, quorum characteres rudes & impolitu poſſent accuratiùs formari. Nec multò elegantiores ſunt Japonici, alijque, qui ſcribuntur ab Aſiaticis barbaris.

Priſci Hebræi impolitos formabant; illos ornabant aliquando, ſed temporis magno diſpendio, omnes enim litterarum formæ quæ fuerunt in uſu ante Eſdram, non potuerunt calamo volante delineari.

Chaldaici characteres, quibus impræſentiarùm Hebræi & alij etiam utuntur, ſunt pulcherrimi, habentque tres præcipue litteras difficillimas ſcriptu, videlicet, Aleph, Mem apertam, & Schin; reliquas faciles. Siniſtrorsùm leguntur ſcribunturque, quod non videtur omninò carere myſterio; ſacra enim ſic ſcribi debent, ut ſingula in cor dirigantur: quoniam illa bene non legit, cujus cor illorum doctrinâ non tangitur.

Has ipſas litterarum figuras Rabbini ad faciliores ductus reduxerunt; & quia illas volanti manu ſcriptitant, nominarunt *Volantes*.

Lingua Syra eademque Chriſtiana, fæliciſſima omnium, quippe quæ Chriſti Domini, Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, Apoſtolorum & aliorum Divurum labio fuit conſecrata. Format characteres manu præcipiti, illoſque connectit & ſubligat ductibus ſimpliciſſimis & rectam lineam æmulantibus. Deorsùm ſcribitur, & ſiniſtrorsùm legitur; & ut videtur, ob myſteria. Linguâ enim Syrâ prima Fidei Chriſtianæ rudimenta traduntur, in quibus ſcribitur Deum deſcendiſſe de cælis, legiturque feciſſe opus charitatis eximiæ: ſcribatur igitur deorſum, & cor verſus legantur, ut ſit in ſymbolis analogia.

Ægyptiorum linguæ variæ olim in uſu, jam perierunt, Coptica redempta eſt ab excidio ope plurium voluminum per orbem terrarum ſparſorum. Scribit ſursùm, & legit dextrorsùm. Non poſſe aliter illos formari characteres ipſamet figura perſuadebit, præparetur qualitercunque calamus, non exarabit debito illos modo, ni ſursùm reptet. Videntur Copti velle oſtendere ſe eſſe Pauli diſcipulos, cujus erat in cœlis converſatio. Reperiuntur multi libri morales in hac linguâ; & verè, Ethici enim non ſatisfaciunt injuncti officij miniſterio, ni labio & calamo in cælum empyreum collimant.

Arabici pulcherrimi ſunt characteres; ſed indigent firmiſſimâ manu, ferè enim in ductibus conſiſtunt; literæ carebant corpore, ſed me duce jam jam aliqui inceperunt illas pulchriores reddere corpus ab ornamentis diſtinguendo.

Græci vix benè formati reperiuntur in libris impreſſis; mediocrem perfectionem ſunt adſecuti Plantiniani, non tamen per omnia cælator conſideravit motum manus, apud quem multi, qui calamo formari non poſſent; lineæ enim omnes quæ cadunt à ſiniſtrâ in dextram craſſæ eſſe debent, ſubtiles quæ adſcendunt, ut videre eſt in litera X, in quâ à ſiniſtrâ adſcēditur & deſcenditur, ſed per lineas diverſæ craſſitudinis, ut omnes evidenter cognoſcunt.

Latini videntur omnium pulchriores & ditiores; vix eſt natio in Europâ, quæ illos non formet diverſimodè. Eos Italus graciles ſed pulchros, craſſos Germanus, ſed ſuperbos; Hiſpanus mediâ viâ progreſſus horum ſuperbiam cum illorum venuſtate conjungit.

Omitto aliarum linguarum characteres; quia cùm non ſint neceſſarij ſacræ paginæ legendæ aut explicandæ, Theologis, quibus inſudat noſter labor, neceſſarij non ſunt: Si quis Speciales contemplationes deſideret, legat meam Characterographiam, in quâ de ſolis characteribus luſi, ut ſtudia majora nonnunquam interrumpens animum relevarem.

Graphiarij ſemper ſunt magni facti; eos Guilielmus de Rovila *Scriptores*; Ulpianus in l. Moris. ff. de pœnis, *Tabelliones*; Scævola, l. Si librarius 93. ff. de regulis, *Librarios, & Pararios*, Senec. l. 2. de beneficijs & l. 3. *Scriniarios, Scribas, & Protocolos*, nominat. Profitentur Artem liberalem; habent ſuas formulas à lege decretas, & juxta eas omnes actiones & contractus publicos adnotant, ut quorumcunque conventiones maneant irrevocabiles, authoritate publicâ obſignatæ & firmatæ.

XII.

POLYGRAPHIA.

Scriptoria varios characteres diverſarum linguarum contemplatur. Graphiaria in unâ eadem linguâ calamum movet, juxta regulas publicas, & materiam à legibus determinatam; at Polygraphia ſecreta ſcriptura eſt, & diverſos characteres invenit & efformat: iſta autem non mutat materiam characterum, ſed formam; non figuram, ſed ſignificationem. Puta ſi ſcribat A, & legat B, ſcribat B. & legat C. &c. tunc enim ſcribet *Gnln*, & leget *Homo*, non figurâ, ſed valore litterarum variato. Modos pulcherrimos ſcribendi polygraphicè tradidit Joannes Trithemius ſpeciali libro, qui Polygraphia nuncupatur, quem nos imitati Opus curioſum variumque Lectori ingenioſo trademus.

XIII.

STEGANOGRAPHIA.

Est occultiſſima ſcribendi facultas, quam olim Joannes Trithemius tradidit, & ego anno MDCXXXV. curioſo Commentario illuſtravi, viam aperiens alijs, qui poſteà valde doctè ſcripſerunt. Sed quia hæc Ars ab imperitis judicabatur Necromantica, oportet hîc paululum inhærere, & de ejus utilitate diſputare. Multa poſſem prolixè recenſere, ſed brevitati ſtudens ſubjiciam Epiſtolam, quam ſcripſi Altiſſimo & Sereniſſimo Principi Neuburgenſi D. Wolffgango Guilielmo D. G. Comiti Palatino &c. in quâ Artis ſublimiores operationes inſinuavi.

Sereniſſime Princeps.

Exit in lucem, qui duxerat famâ æternâ, ſed matrimonio clādeſtino, Steganographiæ Joannis Trithemij liber; liber jam tandē à malevolentia

levolentia indoctorum. Vere unus & ſolus uni & ſoli Principi digniſſima ſolicitudo. Porrò unus; alij enim Regiam mentem exornant, hic conſtituit. Nunquam profuerunt conſilia, ni ſecreta; & quæ non profuerunt, Regia non debent dici; Regum enim conſilia & decreta debent in populi profectum collimare: nam ubi Scholaſticus dicit, *Scire tuum nihil eſt, niſi ſcire tuum ſciat alter*: ibi Politicus reponit, *Si ſciat hoc alter, ſcire tuum nihil eſt.* Et quidem ne conſilia arcana periclitarentur peregrini, Trithemius hanc artem cumpoſuit; hanc ego evulgo, ut deſinant periclitari. Porrò ſolis Principibus Speculationes has ſublimes profuturas exiſtimò: enſis enim in manu protectoris eſt utilis, nocivus in manu invaſoris: Ars quæ prodeſſe debet, nocere poterit, ſi quis illâ abutatur. Abuſum timens, conatus fuit Trythemius, ne Steganographicæ ſapientiæ Regulus omnibus innoteſceret; & ut uni & ſoli pateret; Antecesſori tuo Principi Palatino; ſymboliâ armavit periodos, & regulas obſcuritate. Scripſit acſi non ſcripſiſſet; liber enim editus in lucem luce caruit; annis centum ſolidis latuit, & ſcripturientium crudeles calamos perpeſſus eſt. Patet ab uno, ſed non omnibus; nam commentarius iſte, aut voce indiget vivâ, aut ſaltem ſecundo commentario. Fortè nec illum exarabo; expedit enim artem hanc à ſolis Principibus ſciri, tamdiu enim utilis eſſe poterit, quamdiu non ſit vulgaris.

Plurima quidem; eaque valdè utilia hoc brevi volumine comprehendi: curioſiora proponam.

Hac inſtructus rariſſimâ Sapientiâ Princeps Hiſpanis, Belgicis, Germanicis, Scyticis, Græcis, aut cujuſcunque idiomatis literis ad exprimendos ſecretiſſimos mentis ſuæ conceptus uti poterit, tametſi & qui literas ſcribit, & qui recipit, has ipſas linguas neſciat; & ſolam maternam dialectum percalleat.

In Senatu Reipublicæ amicæ, aut inimicæ Princeps ipſiſſimus habeat gravia, eaque ſecretiſſima negotia; vacat aut expedit unam ſolam epiſtolam ſcribere: quî ergo poterit diverſimodè inſtruere Conſcriptos Patres? Neſciet, quamdiu careat hac ſcientiâ; quam ſi habeat, poterit vel ſimplicem ſcribere epiſtolam, in quâ unuſquiſque. Senator conjurationis complex perſpiciat mentem Principis per directionem voluntatis. Angeli voluntariâ conceptuum directione; Angelico Doctore aſſerente, arcanas contemplationes exprimunt; ergo & Principes convertuntur in Angelos me duce; jam enim illis licèt ſimplici epiſtolâ diverſa, eaque minimè confundenda negotia comprehendere, & ea his celare, illis manifeſtare: Eumdem contextum legent ſinguli; diverſa intelligent, & omnes benè.

Inſtent ſumma pericula, graſſentur proditores, nulla ſecuritas ſit tabellarijs; adhuc poterimus ſecurè literas deſtinare. Dabimus ipſi ſecundum Artem folium, libri primò occurrentis, manuſcripti aut impreſſi, cujuſcumque idiomatis aut argumenti: & ſufficiet: nam Amicus ſecundum Artis legem folium illud recipiens noſtrum conceptum adſequetur.

Pluta adderem, ni librum mitterem: ſed in ipſo leges, quæ breviter non poſſunt explicari. Honora igitur Sereniſſime Prineepa facultatem quam diligis; Angelica ipſa; quidquid enim Cæleſtes agunt Spiritus, etiam Steganographici imitantur. Olim & Julius Cæſar, & cæteri omnes Imperatores Artem hanc inventis feliciſſimis nobilitarunt. Et noſter hodie Auguſtus ſucceſſivia horia eam colit, illâ utitur, & Artis fructum victoriæ plurimæ teſtificantur. Tu igitur oriundus à Cæſaribus, Cæſarem agas, Cæſarem imiteris, &c.

XIV.

GRAMMATICA.

OMnes hæ Facultates quas præmiſimus, Orthographiam exornant; ad Grammaticas venio, quæ linguam interpretem mentis inſtituunt; & quia Idiomata multa reperio, multas Artes neceſſarias pronuntio. Differt Dialectus ab Idiomate, quòd ſub uno Idiomate multæ Dialecti ſoleant eſſe, quæ licet in ſubſtantiâ conveniant, ſuas ſervant loquendi & pronuntiandi proprietates. Lingua Chaldæa, Syra, imò & Arabica opinione multorum meræ ſunt Idiomatis Hebraici Dialecti; ſed me judice inter ipſas major reperitur diſtantia. Potiùs Turcicam, Perſicam, & Mauricam Linguam dicerem Dialectos Idiomatis Arabis. Græcum ſuas olim habuit, & inter ipſas cultiores fuerunt Attica, Dorica, Jonica, Æolica, & communis, de quibus breviùs Joannes Grammaticus; & uberiùs Corinthius. Latini Idiomatis præcipuæ ſoboles ſunt Lingua Hiſpanica, Galla, Itala; & ſub ſingulis multæ numerantur Dialecti. Caſtellanus, Luſitanus, & Gallecus hiſpanè loquuntur, nec tamen in modo loquendi conveniunt. Præter Wallonicam Dialectum etiam ſuas habet Linguam Gallica; & Italica aliter effertur à Romano, aliter à Genuenſi, aliter à Veneto, aliter à Siculo. A Germanicâ videtur ortum duxiſſe Lingua Belgica, quæ ſuas etiam habet in ſingulis provincijs proprietates. Sed nec ipſa Germanica purior eſt; craſſiùs enim profertur in Bavariâ, in Auſtriâ ornatiùs & in Saxoniâ difficiliùs. Bohema & Polona videntur poſſe cum Linguâ Moſcorum conjungi, & per littora regionis ſuperioris extendi; ſed hoc non urgeo; tot enim ſunt Linguæ in Europâ, ut ſummè eſſet difficile earum ſubalternatione accuratè deſcribere; & hoc maxi-

mè

Digitized by Google

mè tempore, quo merces bellaque gentes ita confudit, ut vix ſit lingua, quæ voces omnium reliquarum non habeat; quoniam Hiſpanè, quæ mihi magno ſtudio ſtetit, Hæbreas, Græcas, Latinas, Arabicas, Germanicas, & Bohemicas dictiones habet, ut videatur eſſe omnium Idiomatum faſciculus, cui ſingulæ Linguæ ornatum & acumina pendunt. Miſſos facio Indos, Sinenſes, Iapones, Floridenſes, Mexicanos, Peruanos, Araucanos, & cæteros Antarticos populos, quorum barbari mores et cultiſſimæ linguæ dicuntur; nam ſi de ſingulis non nihil dicerem, paragraphus in librum tranſiret.

XV.

LOGODÆDALA.

Campanella & alij juniores inceperunt Græcum, Latinum & quodcunque vulgare Idioma faſtidire propter nomenclatorum imperitiam & inflexionum exorbitantias. Si Hebræam Linguam omnium aliarum matrem conſulamus, reperiemus corruptam varijs punctorum adulterijs, ita ut vix duo verba in vaſtiſſimo theſauro reperiantur, quæ poſſint nominari analoga. Anomala univerſa ſunt: ita in ſingulis vocibus & temporibus exorbitant ut coactus fuerit Marcus Marinus Brixianus lexicon edere (Arcam Noha inſcripſit) in quo omnia verba ad longum conjugaret, & nomina etiam per ſingulos caſus inflecteret. Communis Lingua Græca ſuas inſtitutiones fabricatur; Sed quantum ab illis omnes Dialecti exorbitent, cognoſcunt qui Clenardum & alios Profeſſores legerunt. Ad linguã latinã appello; non portum, ſed ſcopulũ, Græci occani tempeſtatem effugiens. Quàm miſerè illam ſub tempora Imperatorum Aulici corruperunt! Putabant ſcioli quòd pulchram facerent, cùm irregularem & exlegem. Videntur voluiſſe eſſe liberos à legibus vivendi & loquendi: luxu enim omnes actiones gubernante incepit idioma luxuriari, & adulteria verborum tolerare aut præſcribere. Sed his omiſſis ad noſtrum intentum revertamur, ſunt enim nimis vera quæ dico, & demonſtrata ad oculum in libro meo, qui inſcribitur, *Eloquentia Corruptrix*.

Logodædalus novum inventurus idioma, debet ſtudere facilitati & brevitati; facilitati, ut unâ vel alterâ horâ illud addiſci poſſit; brevitati, ne per plura fiant, quæ commodè per pauca poſſent. Sinenſes non admittunt dictiones polyſyllabas; vocis enim avari monoſyllabatim loquuntur: igitur novus, Nomenclator monoſyllabas dictiones inſtituat, ſed his aut alijs ſimilibus legibus.

Primò: Aſpiratio ponatur loco Entis fundamentalis ſeu Habentis; ita ut conſtituat concreta hypophyſica illaque diſtinguat ab hypophyſicis abſtractis, quæ carent illâ aſpiratione.

Secundò: Sex Vocales A. E. I. O. V. Y. ſignificent ſex ordinum ſeries ſeu prædicamenta, nimirum Subſtantiam, Quantitatem, Qualitatem, Relationem, Ubicationem, Durationem.

Tertiò: Sex alphabeta conſtituantur, in quorum primo ſint variæ ſpecies ſubſtantiales, in ſecundo quantitativæ, & ſic ſimiliter in reliquis. Hæ literæ ſunt materiales, & ideò debent omnes vocales & notam aſpirationis excludere & categoricæ vocali præponi. Ubi notandum eſt poſſe duplicem literam præmitti, ſi non ſolùm ordinem ſed & ordinis aliquam determinatam ſpeciem voluerimus indigitare.

Quartò: Tota grammaticalis forma per unum abecedarium diſtribuatur, ſex illis vocalibus, & aſpirationis notâ omiſſis; & iſtæ conſonæ vocentur formales & poſt ponantur vocali categoricæ.

Quintò: Accentus omittendi non ſunt. Acutus conſtituet nomina, gravis activa verba, circumflexus paſſiva. Adverbia ſunt caſus nominum.

Sextò: Addetur abecedarius monogramatos ſervilium characterum ad præpoſitiones omnes ſignificandas.

Hinc conſtat idioma ad has inſtitutiones compoſitum eſſe facillimum & perfectiſſimum monoſyllabis & triliteris dictionibus perpetuo conſtans. Videatur meus in Liberali Curſu *Logodædalus*, ubi hujus linguæ Inſtitutio curioſiſſimè traditur.

XVI.

MUTORUM INSTITUTIO.

Ars nova eſt, & Joannis Pauli Bonet Barlet Servant ingenio debita. Eſt curioſiſſima, & multis exemplis demonſtrata. Multi fuerunt novâ hac methodo adjuti, & inter ipſos Frater Comitis Stabuli Caſtellæ, qui naturæ invidiâ mutus natus, Joannis Pauli diligentiâ jam loquetur. Memini de hac novâ arte me olim luſiſſe ſic.

Laudabo auctorem? laudabo nobile crimen?
Diſplicet effectus, ingeniumque placet.
Inſipiens, ſapiens, humilis, Rex, dives, egenus,
Audacis lingua fulmina ſæva timet.
Et ſolvis linguas, pia quas natura ligârat,
Laudeque te dignum nobiliore putas?
O potius doceas homines privare loquaces
Linguis! ô mutos multiplicare ſcias!
O potius meliore Deo Paule auſpice priva
Invidiâ vocem, voce vel invidiam!
Vox nocet humano generi, ſilentia proſunt;
Ergo tacere doce Paule, vel ipſe tace.

Ex

Et quidem hanc eſſe novam & mirabilem artem, nemo invidus negare poterit. Sed quî mutus poterit loqui, cum certum ſit impedimenta non eſſe in linguâ, ſed in aure? Rem breviter dilucidabo.

Sunt multi linguâ capti, at hi difficulter loquuntur, ſed loquuntur; & nonnullos cognovi multorum idiomatum ſcios, qui vix litteram efferre poterant: duos propono, Wandovallium Donquercanum Navarchum, & Banbergium Gubernatorem Philipsburgi; linguâ ita læſos ut difficulter audiri poſſint; tot tamen linguarum peritos, ut nullam neſcire videantur.

Sunt alij capti aure, & hi ſurdi dicuntur; & quia articulationum varietatem non ſentiunt, neſciunt movere linguam, adeòque nec loqui poſſunt. An-ne omnes ſurdi, qui aure capti? Non puto. Talpa habere oculos dicitur ſed tectos palpebris, & multos homines noſcimus, quibus ne videant, impedimento ſunt membranulæ ante humorē chriſtallinum obductæ, quas *nubes* dicimus. Ergo ſicut duplex eſt cæcitas, alia quæ in carentiâ ſenſus, alia quæ in impedimento conſiſtit; duplex poteſt & ſolet dari ſurditas, alia quæ ſit carentiâ auditûs, alia quæ in impedimento conſiſtat; nam ſi tympanum obducitur calo, ſenſus manebit, nec tamen audire quis poterit. Fracto auditorio tympano puto hominem non jam humanitùs, ſed divinitùs curari poſſe; ſicut fracto oculo; nullius enim arte aut diligentiâ factum, ut ille videat, qui oculis caruit. At qui linguâ loqui non poteſt, ſolet manu; & ſi diligentis Magiſtri accedat diligentia, articulatim & perfectè. Docendus igitur eſſet hujuſmodi mutus litteras formare manu, eaſdemque calamo ſcribere, & multis litteris chirographicis dictiones diverſas componere, & earundem ſignificationem percallere; & hoc eſſe perfacile monſtravit celeber ille Tordeſillarum (civitas eſt Caſtellæ veteris) pictor à Philippo II. Rege Hiſpaniarum ob ingenij fœlicitatem magnifactus, qui epiſtolas ſcribebat acutè & computus domeſticos exactiſſimè recognoſcebat, & calamo omnia poterat, quæ alij labio: In hoc omninò mirabilior; quod Italicè poſſet, & latinè audere.

Quod ſi Senſorium tympanum non ſit fractum, ſed obductum, homo non poterit omninò ſurdus eſſe, audiet enim ore, audiet naribus; quoniam dantur ſecreti meatus, qui ad ſingulos ſenſus ducuntur. Odor comedendo percipitur, & olfaciendo nonnunquam percipitur ſapor, adeòque examinare oportet, anne ſurdus tormenti bellici fragorem percipiat? nam ſi hunc percipit, & loqui poterit. Fiat tuba, cujus ſubtiliorem partem ille dentibus ſtringat, labijs premat, & magiſter per tubam loquens, audiri à ſurdo poterit; quod ſi audiatur, ſalva res eſt, juvari poterit.

* *

*

XVII.

TYPOGRAPHICA.

SUmmo Dei beneficio libros multiplicat & nomina Scriptorum extendit. Fuiſſe in Germania inventam ſub annum MCDXL. certum eſt, at quia ſub idem tempus multi fuerunt Typographi, non facile inter noveris, cui primas deferas. Joanni Gutenbergio doctiores inventionem attribuunt, alijs facilitatem, elegantiam, ſplendoremque. Ante annos quinquaginta Typus Plantinianus fuit princeps, at hodie nonnulli in Hollandiâ evulgantur libelli, quibus non deſideres elegantiores.

Typographeion multos homines occupat; nimirùm Matricum *Inciſores*, qui ſigilla parant fudendo characteri idonea; *Infuſores*, qui metallo liquidò in matrices immiſſo typicos characteres efformant; *Compoſitores*, qui characteres ordinant, & manuſcripta transferunt ad litteras plumbeas; *Intinctores*, qui ſpeciali atramento inficiunt typum; *Impreſſores*, qui prælo chartam premunt. Præficiuntur operi *Correctores*: ſequuntur *Collectores*, *Compactores*, *Bibliopegi*, *Bibliopolæ*, & alij, qui libros formant & diſtribuunt.

XVIII.

BIBLIOTHECARIA.

COlligere libros utile & generoſum eſt, & Principum digniſſima ſolicitudo. Multi fuerunt qui numeroſis Scriptorum monumentis pluteos vaſtiſſimos ditarunt, & inter alios non ignobili recenſendi ſunt loco Alexander Magnus, Gordianus Imperator, Paulus Æmilius, Eumenes Pergamorum Rex, Lucius Lucullus, Julius Cæſar, Latenſis Græcus, Piſiſtratus, Pamphilius Martyr. Aſinius Polion, & alij veteres [Vide Plinium libr. 3. capite 2.]

Noſtro ævo dignæ ſunt laude aliquæ numeroſæ Bibliothecæ apud diverſos Principes. Regia S. Laurenoj ad Eſcurial varia & dives, deſcribitur à Laurentio Vander Ammen in octavo Miraculo Mundi. Romæ Vaticana eſt excellens. Pariſijs Regia, collecta à Ludovico VII. & à junioribus Regibus aucta. Magnam librorū copiā congeſſerunt Ioannes Galeazus, Duces Urbinas, Florentinus, Medinæus, & nunc Cardinalis Mazzarinus, in hoc fœlicior reliquis, quòd nactus ſit Naudæum Bibliothecarium, virum doctiſſimum, qui ne pereant libri, eſt bibliothecæ caput.

Sunt etiam qui lucri gratiâ libros ſub haſta vendunt, bibliothecas habent, & nominantur Bibliopolæ. Hos profiteri Artem liberalem aſſerit Doctor Ioannes Perezius Montaluan, & ipſe Bibliopolæ filius; non enim ut putat, artis liberalitati detrahitur, ſi pretio exerceri contingat. Pronuntio tamen alios eſſe Bibliothecarios, & alios Bibliopolas; illi artem profitentur ingenuam, & ſtipen-

dio

dio magno digni: at iſti mercatores ſunt, officium profitentur, non artem.

XIX.

RHETORICA.

DVlciſſima Facultas eſt, animum que recreando ſuadet, & ſuadendo ſuſpendit. Eius partes ſunt, Inventio, Diſpoſitio, Eloquutio, Memoria, & Pronuntiatio.

Primò igitur omnium debet Rhetor paucis verbis notate acumina & rationes quibus uti decernit.

Secundò eadem debet coordinare, ut ſingula non videntur trahi, ſed adnaſci videatur. Conceptus ſic jubemur diſponere, ut acutiſſimus & ſelectiſſimus in fine ſit; alter illi ſimilis ſub initium: ea enim quæ primò audiuntur altiùs hærent; & ultima retinentur faciliùs. Opus igitur eſt, ut primæ periodi auditores in admirationem tui rapiant; ut ultimæ tam ſublimes ſint, ut cùm deſinas tùm maximè deſidereris. Mediæ omnes debent extremorum ſubtilitatem ſapere, & inter ſe dialecticâ digeſtione cohærere.

Tertiò acumina inventa & artificiosè diſpoſita exornare debebis phraſibus, figuris, & tropis.

Quartò debebis memoriæ orationem mãdare; vidi enim cultiſſimos calamos caruiſſe laude ob memoriæ defectum, quid enim, ſi accuratiſſimas periodos ſcripſeris, ſi negligentiùs efferas, & labio vacillante declames. An ne proferenda omnia ad litteram ut ſunt in charta? deberent quidem, ni Oratores labori parcerent. Conſulam tamen, ut decem aut duodecim primas Orationes declamet ad litteram Rhetor; extemporaneus enim dicendi fervor ſummum uſum requirit. Scio magnos olim Viros chartis obligari noluiſſe; ſed ſcio etiam eorumdem aliqoando linguas deſpectas, & ſchedas laudatas. Hoc ipſum teſtatur Hermolaus Barbarus Legatus Venetus, qui tertio Nonas Auguſti coram Friderico Imperatore, & Maximiliano Rege Romanorum breviſſimam Orationem habuit, quam poſttidie uberiùs ſcriptam tranſmiſit, & in epiſtolâ ad Carondeletum ſupremum Regis Secretarium, acutè negligentiam, ſi quam commiſerat, excuſat, Virorum Clarorum exemplo. *Obſecro, ne mirere, ait, ſiqua leges in hoc libello quæ tunc dicta non fuerunt: nec enim addidi nunc ea, ſed detraxi tunc, admonitus ab Aulicis extemplo quàm limen attigi, ne longus eſſem, ambitioſa reciderem; optima quæque dicerem; patientiſſimis omnium occupatiſſimis tamen Principibus parcerem. Amputavi ſubito conſilio multa, quanquam quod poteſt conſilium fuiſſe, ſi ſubitum? Ea qua tunc reſecui modo ſunt annexa. Utrumque Veterum exemplo facimus, quos F. Quintiliano teſte conſtat longè aliter ſcripſiſſe, quàm egiſſent. Exulanti Maſſiliæ A. Miloni quidam Orationem M. Tullij, non quam habuiſſet pro eo, ſed quam ſcripſiſſet, attulit. Tunc ille; ſi ſic egiſſes Marce Tuli, non eſitaſſet Maſſiliæ barbatos piſces Milo.*

Quintò igitur & ultimò inſudandum pronuntiationi eſt; ut quæ iam memoriæ mandaveris, linguâ purâ, promptâ & clarâ declames, ita manuum motus attemperando, ut membris omnibus videaris eloqui, & ſenſa animi manifeſtare. At id ipſum modeſtia & gravitas moderetur, ne dùm conaris affectuoſiùs, leviùs declamaſſe dicaris.

Tres hodie Rhetoricæ ſpecies in uſu: Ethnica, Civilis, Eccleſiaſtica: prima Oratores Romanos imitatur; ſecũda eſt forenſis, & litibus explicandis inſervit; tertia eſt concionatoria, deberque eſſe tempori, loco, & auditoribus accommodata.

XX.

RHYTHMICA.

VErſus Rhythmici non reſpiciunt vocaliũ quantitatem, ſed accentus cadendique ſimilitudinẽ; & apud Italos fuerunt in pretio; inde ad Hiſpanos & alias nationes tranſlati. Hæc ars priſcis Græcis & Latinis incognita, hodie in uſu, non enim minore cum gratiâ in Græcâ aut Latinâ, quàm in Hiſpanâ aut Italâ linguâ Rhythmi fiunt. In Gallicâ major eſt ſyllabarum varietas; adeò que aliæ litteræ leviùs, aliæ expreſsiùs tactæ majorẽ artem viderentur requirere. Laudo Merſenni conatus, multúque in hac materiâ ab eius diſcipulis ſpero.

XXI.

METRICA.

GRæcorum & Latinorum propria, vix aliis populis coaptari poteſt. Hebræi vocales longas à brevibus charactere diſtinguunt, at in carmine omnes æquales judicant, & ad taptas (ſeu ſeratas) recurtunt. Hiſpani, Itali, Galli, Græca carmina imitari conantur, at rarò rigorem aſſequuntur.

XXII.

LEONINA.

EST quædam Metrica rhythmica, hoc eſt; Ars condendi carmina, quæ conſtent ſyllabarum numero & quantitate, accentuum ſitu & ordine, finaliumque ſimilitudine. His carminibus quingentos annos delectata eſt Europa, & iam iterùm metra à rhithmis diſtinguit. Leonina dicimus ab Inventoris fortè nomine aut ab argumento aliquo celebri, non enim conſtat ratio etymi.

XXIII.

ARITHMETICA.

EST ſummè neceſſaria Reipublicæ, ſine quâ Iuſtitia & Æquitas conſtare non poſſunt. Eius objectum eſt numerus ab omni materia & ſingularitate præciſus; ubi enim dicimus Ternarium eſſe imparem, æquè humana ac divina conjungimus; non loquimur in genere & abſtractim. Eſt Ars ſubtilis & curioſa; habet regulas ſummè difficiles, præcipuè in negativis numeris, radicum extractionibus & ſolidorum fractionibus & diviſionibus: ſed has ipſas faciliores reddidit avi noſtri ſtudioſa conſtantia.

XXIV.

LOGARITHMICA.

VT è nomine colligis, quædam eſt artificialis Arithmetica. Ante annos paucos à L Nepero inventa, hodie eſt in pretio, & compendio mirabili multa præſtat, quæ Arithmetica poſt longos labores non poteſt. Neperi tabulæ rudes ab Vrſino promotæ & excultæ. Briggij ſpeculatio eſt acutior, & Vlacus illam fœliciter ad 100.000. promovit. conſidera ſequentes numeros.

Numeri.	Logarithmi	Logarithmi.
000 , 001.	1, 000, 000	9, 000 , 000.
000 , 0'0	2, 000, 000	8, 000 , 000.
000 , 100	3, 000 , 000	[illegible], 000, 000.
00[illegible] , 000.	4,000 , 000	6, 000 , 000.
0[illegible]0 , 000.	5,000 , 000	5,000 , 000.
100 , 000.	6,000 , 000.	4, 000 , 000.
1,000 , 000.	7,000 , 000	3,000 , 000.
10,000 , 000.	8,000 , 000	2, 000 , 000.
10[illegible],000,000.	9,000, 000	1, 000 , 000.
1000000,000	10,000 , 000	0, 000 , 000.

Prima Columna naturales complectitur, ſecunda artificiales Briggij, tertia meos. qui inter Neperianos & Briggianos medij utrorumque perfectionem imbibunt. oportet enim ut Sinus totus 1000.000.000. ſit artificialiter 0, 000,000, nihil, nam in omnes quæſtiones Sinus totus ſe inſinuat, & nihil facile poteſt addi, vel adimi.

Inſtitui harmonicam artificialium numerorum ſpeciem, aptiſſimam fidibus & muſicis vocibus determinandis. Pono ſpecimen.

NVMERI.	1.	2.	4.	8.	16.	32.
Logarithmi.	0.	1.	2.	3.	4.	5.
Logarithmi.	5.	4.	3.	2,	1.	0.

Et hinc conſtat æquiſonantias & conſonantias, Dia-paſon, Dia-pente, Dia-teſſarō &c. ſemper eaſdem artificiales ſeu enarmonicas conſervare diſtantias, tametſi interſit ſumma varietas arithmetica; nam ſi tota chorda ſit 32. ſic debent cohærere diſtantiæ, quæ dia-paſſon.

G.	32.	
		16
g.	16.	
		8
gg.	8.	
		4
ggg.	4.	

G.	0	
		1
.	1	
		1
gg.	2	
		1
ggg.	3	

Conſidera utrumque paradigma, Primum dat chordarum longitudines arithmeticas; ſecundum enarmonicas ſeu Logarithmicas, in primo ſunt æqualium æquiſonantiarum inæquales diſtantiæ, ſed hæc ipſa inæqualitas in ſecundo ad ſummam æqualitatem reducitur.

XXV.

MVSICA.

IN tãta apud veteres veneratione fuit, ut nō crederetur eſſe doctus, qui illam neſciret. Gloriabantur de hujus artis notitiâ Principes, Milites, & Philoſophi; unde Cicerone aſſerente Themiſtocles, quod hujus ſe artis imperitum confeſſus fuerat, imprudentior & indoctior eſt habitus. Muſica Arithmeticam ſequitur; nam ſi iſta nudos numeros, illa ſonoros ſpeculatur. Et quia in ſummâ proportione conſiſtit, ad mores tranſiit. Calepinus; *Muſica appellatione Priſci humanitatem literarum ſignificabant in qua ingenuos homines docebant otium contemnere animumque recreare.* Sed quia virtus in moderatione conſiſtit, reperio exceſſus Muſicorum notatos. Cicero 1. de Orat. *Qui muſicis penitus ſe dedidit.* Et Tuſc. S. *Muſicorum perſtudioſum accepimus.* Noto illud *penitus* & illud *perſtudioſum*, & exceſſum illicitum in licita occupatione carpo. Hinc eſt quòd Plautus vitam Muſicam in partem ſiniſtram accipiens dexterè carpſerit, ait enim in Moſt. *Muſicè hercle agitis ætatem, itaque uti vos decet: Vino & victu, piſcatuque probo electili vitam colitis.*

Sanè inter Cantores & Muſicos tanta eſt differentia, quanta inter eum qui legit carmina, & eum qui condit. Vidimus in theatro indoctiſſimos homines optimos verſus recitantes, & in choris Cantores indoctiſſimos artificioſiſſima canentes; nam ſicut olim Prophetæ aſina loquuta prudentiſſimè fuit, ſic in theatro Comicus, ſic in choro indoctiſſimus quicumque Muſicus pulcherrima recitat aut modulator, quoties Angelum habet, qui verba & notas ſubminiſtret.

Sed cur in theatrum & Chorum invehor? Hic ipſe morbus iam tranſivit ad ſuggeſtum & cathedram, videmuſque ſæpè in Eccleſiis concionatoris optimi difficillimam perſonam agere homines imperitos, qui alienos ſermones memoriæ mandent, & grandiùs recitant quàm author faceret. Et in Academiis audimus Tyrones ſupra ætatem & mentem multa feciſſe brevi tempore; quæ non potuiſſent proprio marte.

Ego autem rebus, quas non intelligo, delectari non poſſum, & ſcientiarum meditatione potiùs recreor, quàm praxi. Et in Muſicis pat me ſtat, alij canant perfectiùs dulciùſque; non tamen per me ſtabit, ut alius dicatur artem hanc profundiùs penetraſſe. Dedi ſpecimen; præſcriptos mille annorum errores ingenioſè proſcribo: quæ triennio non addiſcebantur horâ doceo & quia Inſtitutio ipſa loquitur, & viva exempla, nec verbum addo.

XXVI.

GEOMETRIA.

QVæſtio illa, quæ inquirit, An-ne Vnitas ſit numerus? an-ne punctum ſit quantitas?

tas? non eſt de re, cur enim illa non poterit vocari Numerus indiviſibilis? cur non etiam hoc dici Minima & indiviſibilis Quantitas? Alexander ab Alexandro Metaph. 1. aut Geometricam & Arithmeticam confert ad punctum & unitatem ingenioſè recurrit. *Geometriæ ad Arithmeticam*, ait, *proportio eſt, ut puncti ad unitatem*, & quidem, ut quantitatis continuæ ad diſcretam diceret, niſi punctum & unitatem eſſe indiviſibiles quantitates putaret.

Omnia eſſe dubia opinabantur Carneades, & Archeſilaus; quibus ſi certum erat, omnia eſſe dubia; aliquid certi erat; adeòque non omnia incerta erant. Sed nihilominùs dari evidentiſſimas Propoſitiones à Geometris edoctì ſunt: hæc enim Ars omnia demonſtratione oculari concludit. Ideò Plato cùm putaret non poſſe demonſtrationem à paralogiſmo ſecernere, qui Geometriam neſciret exeſſe à ſuo Gymnaſio juſſit univerſos Ageometras. Beſſarion *in Calumn. Plat. Lib. 1. cap.* 8. Ioaones Gramm. 1 *de anima textu* 45.

Objectum Geometriæ eſt continua quantitas, cujus proprietates inquirit. Punctum eſt quantitas unitativè; Linea eſt quantitas ſecundum longitudinem, Superficies ſecundú longitudinem & latitudinem; Corpus ſecundum longitudinem, latitudinem & profunditatem. Et quidem Geometriæ, ut inquit Proclus *in Euclid. lib* 2. *c.* 6. demandatus eſt de quantitatibus, figuris, & earumdem proportionibus ſermo.

De nomine nemo ſit ſolicitus; aliud enim, ut benè notavit D. Thomas *in Periherm. Ariſt.* eſt unde ſumitur, & aliud quod ſignificat nomen. Pontifex à ponte faciendo derivatum Summi Sacerdotis cognomen fuit, qui pontem Sublicium erexit, iam ſupremos Sacerdotes ſignificat, etſi non curent pontes; ſic Geometrica à terrâ menſuranda dicitur, quod Inventores hac arte olim agrôs Ægyptios Nilo inundâti expoſitos commenſurarint; & tamé non ſignificat Artem menſurandi Tellurem, ſed Artem menſurandi in genere.

XXVII.

PICTORIA. OPTICA.

GEometria ſub ſe cóprehendit Perſpectivam, inquit Ioaones Gramm. in 1. cap. 7. illa enim lineas ſecondú ſe reconſiderat, hæc verò ut in conſpectú cadunt. Quæ quidé conſulendo oculos imitantur naturá, & in tabulæ terſa ſuperficie mentitur corporú profunditatem. Eò ventum iam, ut nó magnitudines ſolùm & colores, ſed & animi affectus exprimat, diminuat, augeat: & quia naturam vincit, dicitur; quòd *Pictoribus atque Poetis Quidlibet audendi ſemper fuit aqua poteſtas*. Hanc arté profitentur, Plumeatores, Adumbratores, Scalptores, Inciſores, Illuminatores, Pictores. Plumeator calamo & atramento res delineat; Adumbrator carbone aut penicillo obſcuro utitur; Scalptor æra cerâ liquidâ regit acu exarat, & aquæ fortis mirabili dente corrodit; Scalptor cælo cupri laminas aperit; Inciſor ligna impreſſoria excavat: Illuminator icones pigmentis ſubtilibus inficit, & tandem Pictor coloribus imitatur naturam. & hoc penicillo acu, pectine. Artes itetùm diverſæ oriuntur, & inter ipſas Textoria, Acupictoria: &c.

XXVIII.

STATVARIA.

MAteriæ detrimento è ligno aut lapide format corpora, quæ prototypi imitentur menſuras. Et metallo facilimè conſerente opem fuſoriâ arte. Franciſcus Petrarcha Dialog XII. Pictoriam cum Statuariâ conferens, huic primas defert: nam tametſi utraque ſit Naturæ Simia, hæc ſimilior & gratior. Eius verba ſubſcribo; *At delector ſtatuis* R. *Artes varia, furor idē, ipſarumque fons unus artium, unus finis, diverſa materia.* G. *Delectant Statuæ* R. *Accedunt hæ quidem ad naturam propiùs quàm Pictura. Illæ enim videntur tantùm; hæ autem & tanguntur, integrumque ac ſolidum eoque perennius corpus habent, quam ob cauſam pictura veterum nulla uſquam cum adhuc innumerabiles ſuperſint ſtatuæ.*

XXIX.

ARCHITECTVRA CIVILIS.

ARchitecturæ Ægyptij Vulcano, qui in regno ſucceſſit Mercurio, Græci Dædalo attribunot; & meritò Statuariæ conjungunt, hæc enim videtur inventa ut Architectiones coronentur: nam ut alios prætereá; Sebaſtiani Ziani Ducis auſpicio Conſtantinopoli Venetias advocatur homo Græcus ſcientiæ hujus petitiſſimus, D. Marco erecturus Eccleſiam; qui non aliter adquieſcere voluit, quàm ſi ſibi in auguſtiſſimo templi loco ſtatua marmorea poneretur.

Eſt duplex iſta Ars: Civilis Militarisq; aliter enim cótra imbres, cótra hoſtes aliter ædificamus. Civilis Architectura duplex eſt; Recta & Obliqua. De illâ multi accuratè, de hac vix pauci ſcripſerát, & quia vix pauci, difficillimam Artem inferiùs novis inventis illuſtrabimus.

XXX.

ARCHITECTVRA MILITARIS.

ANte annos paucos ab optimis ingeniis inventa, hodie floret, & præcipue in Hollâdiâ. Poſt Lovanienſem obſidionem ſolutam loricas hoſtiles percurri & obſervavi toto cælo differre munimenta Anglica, Gallica & Hollandica: nam Galli vix effoderant terram ac ſi tutiùs clypeo clypeus & viro vir, quàm ligno lignum, & lapidi lapis conſtaret. Non fuerat multò major Anglorum diligentia & cura: at Hollandi ac ſi æternùm uſuri eſſent loricis, ſummâ illas arte, ſummo labore ædificarant. Si me non fallit experientia, aliter hæc Ars in libris traditur, aliter ad praxin reducitur: quoniam qui architectatur calamo, duo ſupponit; alterum, ærarium Principum carere fundo; alterum, non defuturos milites omnibus lineis coronandis: at ipſe ubi primum di-

miſſo calamo, ligonem & bipennem aſſumit, comperit utrumque eſſe falſum; ideòque vela contrahens, incipit quæ abſolvere poſſit: erigit quæ poſſit milite coronare; urbs enim quæ multis munitur propugnaculis, multis angulis fortificatur, multis ludis protegitur, multo etiam eget milite; quo ſi careat, eſt debilis. Ob oculos pono Francantaliam, Palatinatûs Vrbē, decem magnis cortibus circumdatam, & totidem propugnaculis munitam, in qua anno 1640. habebamus tantùm trecentos milites, quos poſſemus obiicere viginti-quatuor millibus, qui tractum Rhenanū inundabant. Cōſtitimus temerario auſu; & quia generoſis ſavet Cælum & Terra, ſuppetias undequaque collegimus, & retudimus Hæreticorum arrogantiam.

XXXI.
COSMOGRAPHIA.

MVndus, prout à cæleſti & terreſtri præciditur, obiectū eſt Coſmographiæ, & *Sphæra* vocatur. In illo Coſmographus contēplatur axes, polos, circulos, tropicos, circellos. Zonas, climata, plagas,

Plura ſunt conſideratione digna in arte curioſiſſimâ, quam vulgò creditur, quoniā Circuli Artici & Antartici amplitudo, & circulorum Cancri & Capricorni declinatio aut inconſtans, aut certa, à Zodiaci laxatione & obliquitate dependet, quā quis fœliciter examinaverit: Climata deſcribit dierū artificialium inæqualitas; & hæc naturaliū inæqualitatē involvit. Sed ego ante annos quindecim ſuſpicatus ſum horas & dies æquales eſſe, nec pronūtiare auſus; at generosè idem anno 1644. protulit VVendelinus, cui nondum omninò aſſentior ob aliquas obſervationes, quæ conſideratione videntur maturiore indigere. Sed de his uberiùs alibi.

XXXII.
GEOGRAPHIA.

SCientia illa eſt, quæ hunc globum terrâqueum metitur, delineat, & ob oculos ponit.; Hydrographiā includit, non enim poteſt Pictor terminos continentis exprimere quin exprimat terminos maris. Sic alicubi; hîc video Artes & Scientias quodammodo concatenatas eſſe. Strabo enim lib. 1. demōſtrat Geographiam ſine rerum multarum, & præcipuè Aſtronomiæ cognitione parari non poſſe: oſtenditque eiuſdem etiam accuratam notitiā ad reliquas ſcientias conducere, ignoratione magnarum cladium fuiſſe cauſam. De hâc Arte Ioannes Antonius Maginus in princ. libr. Geogr. Ptolom. ſic præfatur [*Nomen hoc Geographia nihil aliud ſignificat, quàm Terra deſcriptionem. Advertendum tamen eſt. Terram hic non debere accipi ſub propria ac ſtricta ſua ſignificatione, ſcilicet ut unum eſt ex quatuor Elementis; ſed pro Terra intelligendus eſt globus Terra & Aqua ſimul, quem communiter Mundum vocemus, qui ſcilicet ab Animantibus habitatur. Eſt itaque Geographia iuxta nominis derivationem, Ars illa ſeu Facultas quæ deſcribit Mundum, vel majorem portionem eorum quæ in eo ſunt, velut ſunt Provinciæ, Vrbes, Oppida, Maria, Flumina, Lacus, Montes, Promontoria, & alias partes principales ipſius Mundi: ſtudendo, ut hæc omnia delineata ſint cùm ſecundum habitudinem ac proportionem quam ad invicem habent tùm etiam reſpectu cæli.*

XXXIII.
HYDROGRAPHIA ET ARS NAVTICA.

ALiter Maria â Geographo, aliter conſiderantur â Navarcho; ille Oceani poſitionē longitudinem & latitudinem definit, hic ductus & lineas (Hiſp. *rumbos*) contemplatur. Ad hanc Artem pertinent ventorum nomina & vires, ad hanc navium remigum, remorum & velorum uſus. Multa in ipſa ſubtilia, difficilia, & quæ Matheſeos notitiam penitiorem requirunt, & tamen Nautæ pleriquè harum ſcientiarum rudes mero uſu & experientia præſtant, arte carent. Habeo inter alias Schedas Epiſtolam Patrum Societatis favore Iſabellæ Magni Philippi Hiſpaniæ Regis Coniugis tranſmiſſorum ad Sinas, in qua meminerint S. Xaverij certiſſimam miraculo ponitur navim illa tot maria ſuperaſſe, & tandem ſecuram ad littora Gnana delatam; tanta enim erat Nautarum ignorantia & ignavia, ut millies feciſſent naufragium, ni oratus egiſſet. Navarchū Xaverius. Sed quia hic omnia breviter, unicū adnotabo errorem, quem etiam viri ſapiētiores incurrunt. Poſita navi A G. (quam in Tabula II. deſcribo) ſic acus magnetica coaptatur ac ſi curſus eius eſſet per lineam A B. cū tamē certum omninò ſit, & ego oculis meis centies exploraverim in Scaldi, eandem navim vento recto (Hiſp. *en Popò*) percurrere illam lineam A; at vento obliquo (puta ex C in D.) nō percurrere illam lineam C D. nec lineam A B. ſed intermediam E E. aut ei ſimilem aliquam appropinquando ad D. vel B. prout vētus remiſſior vel fortior & navis alæ elatiores aut profundiores ſint. Multa alia occurrunt quæ ſuo loco explicabo; ſufficiat hûc eraſium errorē tetigiſſe. (Vide Tabulam X. figuram VIII.

XXXIV.
ASTRONOMIA.

CÆleſtis facultas hæc eſt, & animos generoſos rapiens, olim incerta, iam hodiè ad maiorem perfectionē promota. Ad eam ſpectat orbium cæleſtium delineatio; & quia tota pendet à centro: ſtudioſè requiris, quodnam in Mundo corpus quieſcat, quænam circumducantur? alij Terræ, alij Soli tranquillitatem & quietem conceſſerunt; nos etiā Lunæ, Mercurio, Veneri, Marti, Iovi, aut Saturno: at id hypotheticè tantùm. Sanè ſi ſit parallaxibus & menſuris ſtandum, omnia potuerunt fieri, nō tamen omnia facta ſunt; adeòq; docti à ſacrâ Scriptura & Eminentiſſimorū DD. Cardinaliū declarationi inſiſtentes eam tantum defendendam pronunciamus ſententiam, quæ circa immotam terram circumfert globos planetarios.

An cæleſtis natura a noſtrâ differt? An incapax peregrinarum impreſſionum? An ſpecie diſtinctæ cælorum ſingulorum ſunt formæ? An globi omnes ſunt ſolidi & adamantini? An

circu-

circulares Planetarum periodi? An admittedi orbes eccētrici, æquantes, epicycli, & aliæ hypotheſes Aſtronomorum? Putarunt veteres, ſed putarunt. Iam omnia meliùs examinata, meliùs nota. Dicimus ergo omnia elemēta & cum ipſis auram æthercam eſſe materiam inorganicam, nec ſpecie diſtingui, carere corporeitate organicâ, carere animâ, carere ſenſu. Cælos alterabiles & corruptibiles: omninò liquidos & pervios, non dari orbes eccentricos, aut epycicl os, nec Planetas circumagi per circulos, ſed per ovales orbitas impelli virtute magneticâ.

XXXV.
ASTROLOGIA.

ASrooomia Syderum figuram, magnitudinem, & motum reſpicit; effectus Aſtrologia prædicit. Sed quos effectus? neceſſarios an liberos? Sanè prædicere non poteſt liberos, quoniam ſapiens dominabitur aſtris, & arbitrium ſtellis non ſuberit. Sed neque præſagiet neceſſarios, quoniam vix iſti à cælo pendent; ut pendent, tot ſunt ſtellæ, tam variæ earundē combinationes & configurationes, ut nihil certi elici poſſit.

XXXVI.
MILITIA VMBRATILIS.

ARtes in Nóbiles, Delectabiles, & Pueriles diſtinxit Seneca *libr.13.epiſt.*88 & ex puto omnes hæ denominationes videntur competere eidem Arti; militia enim umbratilis, quà umbratilis, *puerilis* eſt; quà recreat animos, *delectabilis* dicitur; & quà ad veram ordinatam militiam eſt *nobilis*. Præcipuæ umbræ militiæ ſunt, Vênatio, Aucupium, Piſcatio, Luſus pilæ, & gladiatoria exercitatio.

Venatoriam ad Artem militarem Sapiens Rex Alphonſus coordinat *lib.* 20. *tit.*5, *part.* 2. ubi ait. *E por ende los antiguos tuvieron que conviene mucho à los Reyes, maſque a otros homes, porque la caza es arte e ſabiduria de guerrear e de vencer, de lo que debē ſer los Reyes muy ſabidores* hoc eſt, *Proinde veteres in eâ fuerunt ſententiâ ut aſſererent hanc artem Regum Principibus potiùs quàm hominibus aliis competere: quia venatio eſt ars & ſcientia militandi, confligendi, & vincendi, & certum eſt Reges eſſe debere victoriarum obtinendarum peritiſſimos.*

XXXVII.
ARS MILITARIS.

COmmendatur à Saluſtio *de Coniurat. Catil. in Exord.* Valerio *libr.*7.*cap.*3. Cicerone *de officiis libr.*5. Vegetio *Libr.*2.*cap.*22. & *libr.* 3. *cap.*1. & *libr.*3.*cap.*9. Cæſare *in Comment.* Thucydide *libr.*6. Polybio *libr.*3.. Xenophonte *libr.* 1. & 3. *de padiâ Cyri.* Hæc Ars regia & nobilis eſt. Parmenides apud Terentium hæc verba Eunucho, *Fac periculum in litteris, fac in Muſicis, fac in paleſtrâ, quæ liberum ſcire æquum eſt adoleſcentem.* Conſonat Homero *Iliad.*25. Ariſtoteli *Polit.*8. Videatur etiam Ius Civile *titul. de Athletis poſt tit. de prof. & med. libr.*10.

Apparatus Philoſoph.

Hinc colliges non eſſe audiendos Senecam, *Epiſt.*88. & *in libr. de ſtudiis liberal.* nec Galenum *in exhort. ad bonas Art.* aſſerentes Palæſtricas eſſe Mechanicas: ſunt enim activè Liberales, nec producunt formam permanentem viſibilem, ſed tranſeuntem, potuntque generoſum animum, ac pectoris prę́ſtantiam ſummam.

Inter Palæſtricas præcipuè, Ars agitandi Equum, currendi in annulum, ſibi invicèm occurrendi. Sunt & aliquæ, quæ pertinent ad Pedites; videlicet, curſus & lucta. Sunt quæpiam communes alterutris; nempè, quæ dirigunt armorum uſum. Inter has nobiliſſima Gladiatoria eſt, Hiſpanicè vocatur *Eſgrima*, & hodiè apud noſtrates aſſequuta creditur abſidem perfectionis ſummæ, Non iam Ars, ſed veriſſima Scientia, Enſis motus, menſuras, arcus, impulſus ex Geometricis, hiſque certiſſimis principiis demonſtrante Ludovico Pacheco de Narvaez *in libro cui Epigraphe*, Grandezas de la Eſpada.

Arti militari multæ etiam Facultates ſubſerviunt, præcipuæ tamen ſunt. Fortificatoria & Tormentaria. Illa muniendis locis ſtudet, hæc mænimentis arietandis.

XXXVIII.
LVSVS PILÆ.

MEmbra Principum exercentur in ſylvâ, in campo, in fluvio, in arce: in ſylva venatione, in campo aucupio, in fluvio retibus, in arce pilis. Eſt ergo pilæ luſus Regius, teſte Herodoto *in Clio*, & Valerio *libr.*8.*cap.*8. Fuit inventus à Lydiis Calepino aſſerente *verb Lydia*. Etiam *Meonius* fuit dictus à luſorum excellentium patriâ. Reperio Pilatum quatuor genera; nimirùm Tollares, Trigonales, Paganitas, Harpaſticaſque.

Follis eſt pilæ genus, vix apud noſtros cognitum, apud Belgas in uſu: nomine patrio *Balon*. Eſt magna hæc pila, & ideò apta Seniorum & Puerorum manibus: nec enim agilitatem poſtulat, neque velocitatem, quantam aliæ. Follis mentionem inter alios fecerunt Propertius *libr.*3. Martialis *libr.*14.*Epigr.*3. & Horatius *libr.*2.*Satyr.*2.

Trigonalis ea dicitur, quæ in Trigonꝰ, hoc eſt in loco Triangulari: Hiſpanicè *Trinquete* dicitur. Iam hodiè Trigonalem luſum inſtituimus in Tetragonꝰ, luſores diſponuntur modo triangulari, ut notavit Covarrubias, *in Theſauro, verbo, Pelota.* Martialis *libr.* 12.*epigr.*48. & *libr.*14.*Epigr.*44. & *libr.*7. *epigr.* 72. & Neapolitanus Alexander *libr.*3.*dier. gen. c.*21. ubi ediſſerit Luſus iſtius nonnullos modos.

Paganica fuit à pago dicta, parva, ut Trigonalis, ſed durior, nec manibus mollibus apta. Compreſsâ plumâ coaleſcebat. Martialis *libr.* 14.*Epigr.*[illegible] & Calepinus *verbo Paganicus.* petebat in brachiis fortitudinem, non tamen in pedibus celeritatem. Locus Luſorius erat brevis, & communiter parallelogramus.

Harpaſta, ſeu Phæninda ſpecies eſt pilarum

nobiliſſima. Vide Radetum *ad Martialis lib. 4. epigr. 19. & libr. 14. Epigr.* 48. & Petrum de Pätoiâ *in tit. de aleatorib. libr. 2. a fol. 71. uſque ad 76.* Hæc pila eſt minima, habet ad duos digitos diametrum, colore nigra, ne viſum fugiat. Locus luſorius eſt longiſſimus, & communiter extenditur ad pedes centum quinquaginta, cui correſpondeat pedum triginta latitudo. Poſtulat celerrimam expeditionem pedum, impulſuum notitiam penitiorem, & reſilientis anguli excellentiſſimam intelligentiam.

XXXIX.

RES RVSTICA.

HOrtorum reperio quatuor genera, Palmitum, Florum, Ligumiuum, & Arborū. Qui conſtituuntur palmite & hyſſopo ſunt nobiles, forfici ſubditi & toto anno virides & elegantes, fontium artificio exornati. Flora anni potiore parte luget, & ideò tametſi in Belgio magniſacta, apud Hiſpanos & alios vilipenditur. Fructicum & Ligumiuum horti ſunt ruſtici & viſi vix unquam in aulâ.

Agricultura reipublicæ neceſſaria eſt; homo enim ſine ſcientiis, ſine divitiis, ſine deliciis poteſt vivere, ſine pane non poteſt: liberalis eſt Ciceronis ſententiâ, *libr. Offic.* 1. at Saluſtij *in Exord. Coniur. Catil.* opinione mechanica.

XL.

ARTES CIBORVM CONDITRICES.

CIbos præparant Coci, Piſtores, Caupones & multi alii; potum Braxatores; qui in diverſis regionibus in varias claſſes diſtribuuntur, & variis nominibus indigitantur. Et omnes ipſi teſte Platone *libr.* 24. *Gorg.* ſunt mechanici. Sanè hodie Ars culinaria ad tantam perfectionem devenit, ut libris & regulis demonſtratis tradatur, dicendumque ſit ſicut Muſicam recreandæ auri, ſic ipſam recreando palato inſtitutam, debereque aut utramque liberalem cenſeri, aut utramque mechanicam.

DISPUTATIO III.

De Scientiis Philoſophicis & Naturalibus.

ANtequam de ipſiſmet Scientiis tractem, aliquid breviter de Profeſſoribus præmitto; reperio enim Viros & Fæminas floruiſſe, & libris ſuis orbem terrarum illuſtraſſe.

XLI.

DE NOMINIBVS PHILOSOPHORVM.

NAturalium cauſarum exploratores variis olim nominibus honorabantur. Illos Pythagoras (ipſe multis Ezechiel) *Sophos* cognominat; Cicero libr. 2. Tuſcul. c. 3. & Seneca Epiſt. 16. ad Lucillum *Sanctos*. Ratio ſumi poterit ab Auguſtino. Omnis peccans eſt ignorans ait, ergo expers criminis ille unicus, qui & imperitiæ. Eoſdem Perſæ dixere *Magos*, Babylonij, atque Aſſyrij *Chaldeos*, Indi *Gymnoſophiſtas* quorum hæreſeos Princeps Buda apud multos Hiſtoriographos notus. Vide & Hieronymum contra Iovinianum. Phænices, Sapientes vocaverunt *Ocios* ab Oco Litterarum Antiſtite, qui primus ſcientiarum ludum aperuit apud ipſos: hunc ociari pro ſtudere non ſemel in uſu apud Latinos. In Thraciâ primus ſe repoſuit docendis Artibus *Orpheus*, apud Græcos *Muſæus*, *Atlas* apud Lybicos, quorū nominibus Veteres Sapientes non ſemel inſignitos reperio.

Veniunt Magi adoratum Dominum, & cōmuni hominū ſcientiâ denominantur Reges. Sed quæris cur debeant Reges vulgò dici, qui in ſacrâ paginâ tales non audiunt? Et reſpōdeo Monarchiam fuiſſe Perſarum opinione felicē in quâ regnabant Philoſophi, & Reges philoſophabantur: teſte enim Socrate ſtatus Reipublicæ vacillat ſi clavum imperiti tenēant. Regis officium eſt, non tyrannide abortivâ exſugere populi ſanguinē, ſed conceptâ ſcientiâ inſtruere univerſos ſubditos. Videor mihi ingreſſus in Davidicæ Mentis penetrale, & ibi legiſſe, quæ dixero. Davidē conſulebā & quam apud ſuos dignitatem haberet percontabar. Et ille. *Ego*, ait, *conſtitutus ſum Rex ab eo*, ubi? *ſuper Sion montem Sanctum eius.* qualis? *prædicans præceptum eius.* Væ populo cujus Rex præcepta Domini non prædicet! Væ atque iterùm væ, ſi ſcandaloſè ac temerè evulget contraria!

Inter Sectas Philoſophorum illuſtriſſimæ Pythagorica, alias Samia: Stoica; Epicurea; Platonica, ſeu Academica; Peripatetica; & Gymno-Sophiſtica.

Græciæ Sophi excellentiores fuerunt Septem: videlicet, *Solon, Chilo, Thales Mileſius, Cleobulus, Bias, Pittacus, & Periander.* Vide Gelium *libr.* 13. *c.* 21. Plin. *libr.* 7. *c.* 12. Carolum Stephanum *in dictione Sophos fol.* 72. & 216. Ælianum *de varia Hiſto.*

XLII.

De Nominibus Philoſopharum.

MVlierum ingeniū fœlix eſt, & major in illis quā in viris vivacitas, minor prudētia; & quia hodie aliquas fœminas cognoſco, quæ philoſophicè audent, non miror olim floruiſſe plurimas, quæ viros potuerint docere. Omittā alia, & quia Sybillæ celebriores, de illarū numero & patria paucas lineas ſubſcribā.

Ipſa

Ipſę teſte Diogene, Suida, & aliquibus Gręcis non fuerunt plures. Vnicam hi cognoſcũt, cujus nomen ignorant, fortè nec nomine indiguit, quæ erat unica. Marciano Capellæ fuerunt duæ. Plinius *libr.* 34. *c.* 5. aſſerit Romæ Statuas perennare trium. Ælianus de varia Hiſtoria recenſet quattuor. Lactantius Firmianus *de falſa relig. libr.* 5. *c.* 6. Hieronymus *libr.* 1. *contra Iovianum*, Auguſtinus *de Civitate Dei libr.* 18. *cap.* 23. & *de Trinitate libr.* 10. aſſerunt fuiſſe decem nominibus iſtis diſtinctis: *Perſicam, Cybicam, Delphicam, Cumanam, Cumeam, Tiburtinam, Phrygiam, Samiam, Helleſponticam*, & *Erithræam*. His Recentiores, & qui inter eos nemini in hac parte eſt inferior, Bernardinus de Buſto, addunt *Europæam*, & *Ægyptiam*: unde & illæ duodecim. Hunc numerum conſervant monumenta, quibus intelligendis prodeſt legiſſe Ioannem Grammaticum *in proœmio Phyſicorum*, Ariſtotelem *Phyſicorum quinto*, Balthaſarem Porrenum *in ſuo Sybillarum oraculo*, qui hanc hiſtoriam dilucidè pertractaverunt.

De Theologiæ & Philoſophiæ diviſione.

PHiloſophiam Theologiamque certis ſyllogiſmis adquiri: & ſi agamus de eorumdem præmiſſis differre; ſi autem de concluſionibus omnes Philoſophicas etiam eſſe Theologicas, aut poſſe, jam ſuperiùs oſtendi. Theologiam ergo, ut longiùs eam à Philoſophia removeamus in Naturalem & Supernaturalem dividemus; nam Philoſophi ignorant Supernaturalia ſaltem expreſsè. Ordinis Naturalis ſunt Corpora Inanima, Vegetativa, Senſitiva, Humana, Spiritualia; Ordinis autem Supernaturalis eſt Fides, Spes, Charitas; Gratia, Lumen gloriæ, & ſimilia. Inanimorum nomine intelligimus, Cœlos, Sydera, Ignem, Aërem, Aquam, Terram, Metalla, Lapides: Arbores & univerſas Plantas ad ſubſtantias vegetativas reducemus: ad ſenſitivas Aves, Feras, Piſces, Serpentes, & quaſcunque beſtiolas: ad Spirituales omnes Angelos. Ordini rerum ſupernaturalium finitò adſcribemus qualitates reliquas infuſas, &c.

Ecce Theologicæ (aut etiam ex magna parte Philoſophicæ Scientiæ) diſputant de Ente Abſtracto, Materiali, Vegetativo, Intentionali, Spirituali, Supernaturali, & Divino: oportebit igitur breviter quid ſit *Ens ut ſic*, quid *Materialitas*, quid *Vegetabilitas*, quid *Senſibilitas*, quid *Spiritualitas*, quid *Supernaturalitas*, quid *Divinitas*, examinare.

XLIII.

ENS ABSTRACTISSIMVM.

TAlis dicitur quæcunque formalitas, de qua verificari poteſt quòd non ſit nihil, & hoc ſenſu videtur poſſe ſumi adjectivè & debere univerſa tranſcendere. Formalitates contractivæ ſunt, (ut omittam rationis Entia) *Vocalitas, Virtualitas, Realitas, Perſeitas, Vitalitas, Intentionalitas, Spiritualitas, Supernaturalitas*, & *Infinitas*: Ens ergo Metaphyſicum eſt Ens ab his omnibus, & ab earundem formalitatum contradictoriis, præciſum & abſtractum.

XLIV.

ENS RATIONIS:

Ens ſecundum Fingi.

SI duas formalitates repugnantes (privationem & formam) poſſet intellectus conjungere, videlicet aut apprehendendo Album carens albedine, aut aſſerendo Album carere albedine, aut inſerendo Carentiam albedinis ex albedine, darentur Entia rationis: at quia id ipſum impoſſibile eſt, talia Entia non admitto.

Si darentur, non deberent in undecimo Prędicamento conſtitui, ſed potiùs in novo ſyſtemate, ex decem rationis Prædicamentis coalito; nam ſi daretur Ens rationis, etiam daretur Subſtantia rationis, Quantitas rationis, Qualitas rationis, & reliqua Prædicamenta.

VL.

ENS LINGVÆ:

Ens ſecundum Dici.

HÆc notata, obſervata, & admiſſa, ſed Entia rationis ſunt dicta errore Immani: Duos repugnantes terminos idẽtificare Deus & Natura nequit, Mens humana concipere ut identificata non poteſt, Lingua poteſt. Hanc propoſitionem, *Circulus conſtat quattuor lineis rectis*, mente formare nequeo linguâ poſſum. Admittenda igitur Entia vocalia ſunt, & in ſua cognata Prædicamenta dividenda.

XLVI.

ENS REALE:

Ens ſecundum Eſſe.

OMnia illa quæ præter dici & ſignificari vocabolis, etiam ſunt à parte rei, prout dicuntur, ſunt Entia realia, & contrahuntur ſuis formalitatibus realibus connaturali ordine ſupervenientibus.

REALIVM ENTIVM SCALA:

ENs reale phyſicum, idem eſt ac Suppoſitum, aut Subſtratum Naturæ; contrahitur & perficitur ſuſtentando Realitates illas, quas enumeravi. Et hîc Philoſophi dividuntur in claſſes. Apud nonnullos illæ ex ſe nec dicuntur ſubſtantiales nec accidentales; ſed ſubſtantiales ſunt, ſi ſubſiſtant, accidentales, ſi non ſubſiſtant. Subſiſtunt quæ immediatè uniuntur Subſtantiæ, & non ſubſiſtunt quæ mediatè. Apud alios major eſt accidentis & ſubſtantiæ diſtinctio. Et quidam iſtæ formalitates inter ſe ſervant connaturalem ordinem; illum repræſentamus.

	Ens: Suppoſitum.	Potentia Natura I.	Actus I. Natura II.	Vita II. Actus II. Natura III.	Vita III. Actus III. Natura IV.	Vita IV. Actus IV. Natura V.	Vita V. Actus V. Divinitas	Subſtãtiarum ordines.
Gradus Sumus	HABENS	Naturam	Vitam	Intentionalitatem	Spiritualitatem	Supernaturalitatem	Infinitatem.	DEVS
Gradus Sextus	HABENS	Naturam	Vitam	Intentionalitatem	Spiritualitatem	Supernaturalitatem	*non-infinitatem.*	
Gradus Quint°	HABENS	Naturam	Vitam	Intentionalitatem	Spiritualitatem	*nõ Supernaturalitatem*	*non-infinitatem.*	*Angelus* intereſt homo:
Gradus Quart°	HABENS	Naturam	Vitam	Intentionalitatem	*non Spiritualitatem*	*nõ Supernaturalitatem.*	*non infinitatem.*	Brutum
Gradus Tertius	HABENS	Naturam	Vitam	*non intentionalitatẽ*	*non Spiritualitatem*	*nõ Supernaturalitatem*	*non-infinitatem.*	Planta.
Gradus Secund°	HABENS	Naturam	*non vitam*	*non intentionalitatẽ*	*non Spiritualitatem*	*nõ Supernaturalitatem*	*non-infinitatem.*	Coelum Aſtra Elemẽta
Gradus infimus.	HABENS	*non naturam*	*non vitam*	*non intentionalitatẽ*	*non Spiritualitatem*	*nõ Supernaturalitatem*	*non-infinitatem.*	

Ecce reales & veri gradus, per quos ab infima ſubſtantia ſubrigitur intellectus ad Deum. Profectò inviſibilia Dei (hoc eſt, ejus eſſentia, potentiæ, attributa, virtutes) ab his, quæ facta ſi bene ſint intellecta, noſcuntur. Objicis contemplationi Deum, objicio lapidem, & aſſero, qui benè cognoſcat lapidem, non poſſe ignorare quid & qualis ſit Deus. Lapis eſt Ens, ſeu ſuppoſitum habens ſubſtantialem naturam, & prætereà non vitam, non-intentionalitatem, non-ſpiritualitatem, non-ſupernaturalitatem, non-infinitatem: Ergo anferam omnes imperfectiones, hoc eſt, omnes negationes, & dicam, Deus eſt, Ens, vel Subſtantia, habens naturam ſubſtantialem, vitam, intentionalitatem, ſpiritualitatem, ſupernaturalitatem, & ut verbo omnia complectar, Deus eſt, Subſtantia habens Infinitatem ſeu Divinitatem. Proderit ſingulas Realitates breviter explicare.

XLVII.

ENS PHYSICVM.

Differt à Metaphyſico, quod illud in expreſſione, id in rebus formaliter conſiſtat, alio nomine vocatur *Suppoſitum, Subſtantia hypophyſica*: ſeu *naturæ ſubſtantialis ſubſtractum*. Putant nonnulli Cœlos, Sydera, Elementa, Lapides eſſe pura ſuppoſita phyſica carentia ſubſtantiali naturâ & reliquis prærogativis, debereque locari in infimo entium gradu. Sed communis opinio omnia inanima rejicit ad gradum ſecundum. Purum ſuppoſitum, ſi datur, caret naturâ phyſicâ, caret accidentibus phyſicis, & tamen quia metaphyſicis non caret, poteſt reddendo paſſum ſibi ſimile, illa communicare. Sed hæc non poſſunt paucis exponi: ad naturas conſiderandas tranſeo.

XLVIII.

NATVRA SVBSTANTIALIS.

Ens Phyſicum, ſive Suppoſitum ſuſtentat ſubſtantialem naturam, quam ſimplicem nonnulli dicunt; & alii exiſtmant ex eſſentia & naturitate (hoc eſt, materia & forma) componi, aſſerentes materiam primam phyſicam, eſſentiam eſſe, at verò nec naturitatem nec naturam eſſe.

Eſſentia eſt principium eſſendi: naturitas principium operandi: & natura principium eſſendi & operandi. Hinc patet, quid ſibi velint Philoſophi dicentes, naturam eſſe principium quietis & motûs: nam quietis nomine eſſe intelligunt, & motûs nomine actionem ſeu operationem.

XLIX.

VITA.

Inter Naturam Vitamque diſcrimen eſt, quod tamen à multis malè exponitur. Si enim vivere eſt moveri ab intrinſeco, & natura eſt principium motûs ab intrinſeco, non apparebit differentia. Ajo in rebus corporeis naturam eſſe quamdam vitam phyſicam: & vitam, quæ immediatè illam ſequitur, eſſe naturam quandam vegetativã: & hinc tranſeundo ad ſpiritualia & Divina, ſervatâ analogiâ philoſophabimur.

Magnitudo eſt extra conceptũ Naturæ & Vitæ: & in ſyſtemate rerũ materialiũ *Quantitas molis*, & in rerum ſpiritualium *Quantitas virtutis* nominatur.

Extenſio infinita eſt Immenſitas, & Deo ſoli cõvenit: omnes n. creaturæ ſpatio ſunt limitato contentæ. A non-immenſitate oritur quòd creatura poſſit loco & ſpacio creſcere, quòd poſſit moveri localiter; Deus n. cùm major eſſe nequeat, nequit creſcere; & cùm omnia ſpacia permeet, localiter moveri non poteſt.

Digitized by Google

Extenſioni finitæ materiali accidit habere organa, quæ non admittit Spiritualitatis ſimplicitas; quam organa requirunt partes.

L.

INTENTIONALITAS.

EST principium operandi intentionaliter, hoc eſt, percipiendi objectum. Intentionalitas ſi ſit materialis vocatur *ſenſibilitas*: & erit materialis niſi identificetur Spiritualitati.

LI.

SPIRITVALITAS.

SVpponunt ut debent, Catholici Animam eſſe ſpiritualem; at ſi inquirimus, Quid ſit rem eſſe ſpiritualem: hærent, nec ſciunt, quî debeant reſpondere. Spiritualitatem alii cum impenetrabilitate, alii cum Indiviſibilitate confundunt. Ad illorum Sententiam ſubſtantia ſpiritualis illa eſt, quæ poteſt cum alia ſubſtantia ſpirituali penetrari; materialis quæ cum alia materiali non poteſt: ad ſententiam iſtorum, ſubſtantia ſpiritualis eſt, quæ indiviſibilis; materialis, quæ dividi poteſt. Ego autem judico eſſe ſpiritualitatem quandam realitatem aut formalitatem nobilioris ordinis quàm ſit ſenſibilitas, & eâ conſtitui Entitates Spirituales.

LII.

SVPERNATVRALITAS.

EOdemq; modo de Supernaturalitate philoſophor; quam Realitatem, aut potiùs formalitatem eſſe dico nobilioris ordinis; quàm ſit ipſa Spiritualitas. Scio à multis aliter & aliter Supernaturalitatem exponi; ſcio pleroſque ad vocum ſignificationem recurrere, & controverſiam gravem reducere ad logomachias, ſed conſequentia doctrinæ & Realis Scholæ ornatus eruditus poſtulat, ut ſtemus poſitæ reſolutioni.

LIII.

INFINITAS.

MIhi eadem, quæ Divinitas, formalitas quæ conſtituit divina, & illa ab humanis diſcernit nihil enim creatum eſt infinitum, & omne infinitum eſt Deus.

Vt meliùs conceptum Entis infiniti percalleas, Inquiris. An-ne inter Lumen gloriæ (ſuprema realitas ſupernaturalis illud eſt) & Deum dentur aut dari poſſint ordines intermedii, qui ſint proximiores & perfectiores participationes Dei?

Reſpondeo de facto non dari, ſed poſſe. Non dari evidentiſſimum eſt, quia res ſupernaturalis ſolo Deo revelante cognoſcimus, ſunt enim tam ſublimis eſſentiæ, ut ſub ſenſuum experientiam non cadant. Hæretici putant ſe habere Fidem, Spem & Charitatem ſupernaturales cùm illis verè careant, & multi etiam Catholici putant ſe habere gratiam cùm reverà ſint in peccato mortali. Puta, ſi Petrus cum conſcientia gravi ſcelere infectâ attritione ſufficiente diſpoſitus, ad Pœnitentiæ Sacramentum accederet, & Confeſſarius illum abſolveret ſine intentione: ſanè ſeſe abſolutum prudenter Petrus, ſe ipſe in gratia renatum crederet, non tamen eſſet. Quibus poſitis diſcurro ſic. Supernaturalium rerum ordo tametſi ſub ſenſum non cadat, neceſſariò conceditur, quia illum Catholica fides revelat; & ordinem ſupernaturali gloriæ lumine nobiliorem nec ſenſus percipit, nec intellectus concipit, nec Spiritus Sanctus revelat: igitur tametſi cenſendum ſit illum eſſe probabilem, dari de facto aſſerendum non eſt.

Syſtematicarum formalitatum eſſentiis cognitis oportet earundem paſſiones & proprietates ſpeculari: hæ ſunt Tranſcendentia, Subalternatio, Prædicabilitas, Inferibilitas: Ratione Tranſcendentiæ pervadunt totam entitatem, quam efficiunt; ratione ſubalternationis ſubordinantur ita, ut habeant rationem prioris & poſterioris, ſuperioris & inferioris: ratione Prædicabilitatis verificantur ita ut ſuperior verè dicatur de quolibet contento ſub illo. Tandem ratione Inferibilitatis affirmatio inferioris erit in cauſa ut affirmemus ſuperius, & ſuperioris negatio erit in cauſa, quod etiam negemus inferiora. Quia ſicut iſtæ Conſequentiæ affirmativæ, *Eſt Petrus, ergo homo; eſt homo, ergo animal; eſt animal, ergo vivens*; & hæ negativæ; *Non eſt vivens, ergo neque animal; Non eſt animal, ergo nec homo; Non eſt homo, ergo nec talis homo*: ſunt bonæ: ita etiam iſtæ *Eſt infinitus, ergo ſupernaturalis: eſt ſupernaturalis, ergo ſpiritualis: eſt ſpiritualis, ergo intentionalis: eſt intentionalis, ergo extenſibilis: eſt extenſibilis, ergo potens: eſt potens, ergo & ens*: & etiam iſtæ. *Non eſt ens, ergo nec potens; Non eſt potens, ergo nec extenſibilis, non eſt extenſibilis, ergo nec intentionalis: non eſt intentionalis; ergo nec ſpiritualis: non eſt ſpiritualis, ergo nec ſupernaturalis; non eſt ſupernaturalis, ergo nec infinitus*. Hinc patet has ſyſtematicas formalitates conſtituere Prædicamentum eſſentiale & tranſcendentale omnium primum, quod debet coordinari ſic.

ENS REALE	Non potens operari ſubſtantialiter.	Non extenſibile	Non intentionale.	Non ſpirituale ſeu adæquatè Materiale.	inadæquatè Spirituale	Non ſupernaturale.	Finitum.
	Potens operari ſubſtantialiter.	Extenſibile.	Intentionale.	Spirituale	Adæquatè Spirituale.	Supernaturale.	Infinitum.

LIV.

De Scientiis Subalternantibus & Subalternatis.

COgnitis formalitatibus contractivis, & earundem coordinatione, facili negotio Artes & Scientias quæ hos conceptus attingunt, ordinabimus. At quia conceptus duplex: Formalis, Objectivusque primo loco recenſendæ ſunt illæ, quæ Formalem concernunt, nam niſi certi ſimus nos benè objectivum concepiſſe, fruſtrà de illius quiditate & attributis diſputabimus. Scientiæ quæ Formales contemplantur conceptus *Rationales* vocantur; *Reales*, quæ periclitantur objectivos. Rationales ſunt Logica apprehenſiva, Logica judicativa, Logica diſcurſiva, ſeu Dialectica. Reales verò Phyſica ſeu Hyloſophia, Philoſophia vegetabilis, Philoſophia Senſibilis: Philoſophia Humana; Philoſophia Angelica; Hyperphyſica, & Theologia, quas breviter dilucidabo.

LV.

PHILOSOPHIA RATIONALIS [LOGICA.]

SCientiarum janua Logica, omninò neceſſaria eſt: non enim videtur poſſibile eſſe aliquem in alia ſcientia lincem, qui cæcutiat in Logicis. Vt cæmentarii ad perpendiculum parietes erigunt, ita & Philoſophi ſingula expendere debemus ad amuſſim dialecticam. Si murus non ſit ad perpendiculum, corruet; & quò altior citiùs; nec aliter, Philoſophia (aut etiam Theologia) ſubſiſtere nequit ſine Logica: & ſi fundamento iſto carens, ſe ſubrigat quò aſcendat altiùs, erit in majore periculo.

Condemno igitur contemptores Dialecticæ: ſed & illos non laudo, qui ita dialecticantur, ut regulis & notis ſuperfluis vitam terant. O quàm ſuperſtitiosè Zenonis ævo Præceptores Scientiam hanc tradiderunt! Erant aſſerente Laertio *Lib. 4. cap. 1.* qui ſeptenas aut plures Dialectices ſpecies cognoſcerent. Sub annum 1250. Petrus Hiſpanus omnia, quæ fuſiùs ſcripta, reduxit ad Summulam. Sed bone Deus, quantum iſta Summula excrevit! O quàm multa aut à nobis, aut etiam ab aliis, de æquipollentiæ exponibilitate, & aliis tricis ſcripta! O quàm vanè & otiosè hæſerunt plurimi in canonibus appellationis! multa ſunt tam clara & manifeſta, ut expoſitione & regulis obſcurari videantur. Ad miraculum benè *Libr. 3. cap. 37. de doctrina Chriſt.* Auguſtinus [*Tanquam, ſi quiſpiam dare volens præcepta ambulandi, moneat non eſſe levandum pedem poſteriorem niſi cum poſuerit priorem: deinde minutatim, quemadmodum articulorum & poplitum cardines oporteat movere deſcribat. Vera enim dicet, nec aliter ambulari poteſt. Sed faciliùs homines hoc faciendo ambulant, quàm animadvertunt cùm faciunt, aut intelligunt cùm audiunt. Qui autem ambulare non poſſunt, multò minùs ea curant, quæ nec experiendo poſſunt attendere. Itaque plerumque citius ingenioſus videt non eſſe ratam concluſionem quam præcepta ejus capit: tardus autem non eam videt, ſed multò minùs quod de illa præcipitur.*] Hinc eſt quod in Dialecticis ſummam ego brevitatem, ſummam facilitatem affectem. Condoleo pueris, qui ſub initium in utilibus & difficillimis quæſtionibus onerantur: & ne alii meis condoleant diſcipulis, majoris claritatis gratiâ Logicam in tres ſpecies differentes diſtinguo: videlicet in Vocalem, Scriptam, & Mentalem.

Diviſio recepta in Schola eſt, nec à quoquam rejecta: at in hoc videntur erraviſſe Iuniores, quòd omnes tres confuderint, aut ſaltem primo loco tradiderint purè mentalem. Non ſic Ariſtoteles, non ſic Porphyrius, non ſic alii. Puer Grammaticam doctus, cùm audit *Nomen, Verbum, Orationem, Significationem*, putat ſe omnia intelligere, & benè putat, avideque impalleſcit chartis: at quando audit *Habitus, Operationes, Actus; Conceptus Formales, Objectivos; Species impreſſas, expreſſas, Verba mentis, Actuum intellectualium directiones*, & ſexcenta alia, quæ pertinent ad libros de Anima, putant ſe audire Hebraica verba, & novâ ſe indigere Grammaticâ.

Quæcunq; ex iſtis Logicis (analogæ enim ſunt & parallelæ) dividitur in Apprehenſivam, Iudicativam, & Diſcurſivâ. Prima conſiderat Terminos: Secunda Propoſitiones, ultima ſyllogiſmos. Illas iterum iterumque dilucido. In textu, ut habeant diſcipuli, quid ſcire debeant: in notis, quæ in duas columnas ſciſſæ textum ſequuntur, ut habeant Præceptores quæ ſibi poſſint legere, ut textum intelligant meliùs, & ſecuriùs exponant. Ergo nemo, ſi textum reſpiciat, me longum eſſe dicet: & nemo, ſi notas, nimis brevem.

LVI.

PHILOSOPHIA REALIS.

DEfectu vocum cogimur interdum laborare: quo enim nomine vocabimus illam Philoſophiam, quæ nec eſt Rationalis, nec Moralis; &, ſi *Realem*, quo ejus illam Scholam, quæ Formalem & Modalem præcedit Homonymiam percipio, ſed quia illam iſtis lineis evito, progredior. Philoſophiæ, quæ inter Rationalem & Moralem eſt media, & Realis dicitur, dantur nonnullæ partes. Omnes contemplantur Suppoſitum (ſeu Ens Phyſicum) ſed tres extremæ abſtractiſſimum: nimirùm Hyloſophia (quam nomine Phyſicæ intelligimus) Suppoſitum ab omni differentia poſitiva præciſum, infectum omni negativa. Theologia præciſum ab omni negativa, & omni poſitivâ præditum. Et Philoſophia prima ab omni omninò differentia tam poſitiva, quàm negativa abſtractum. Inter Hyloſophiam & Theologiam, ſecundum majorem aut minorem abſtractionem reliquæ ſcientiæ Philoſophicæ ſubordinantur. Differt à prima Philoſophia Metaphyſica, ut inferiùs videbimus.

PHI-

Digitized by Google

LVII.

PHILOSOPHIA NATVRALIS. [PHYSICA.]

PHyſica, Hyloſophia, & Philoſophia naturalis, tria ſunt nomina, & una ſimpliciſſima Scientia; & inter illas, quæ in abſtractione negativa conſiſtit, omnium infima.

In Schola Locali Phyſica conſiderat Suppoſitum nudum, primum Subſtantię gradum. Alii, qoia ſubſtantiam putant in mera negatione conſiſtere, objectum Philoſophiæ Localis ajunt eſſe corpus (phyſicè ſimplex, & integraliter compoſitum) adeòque Ens nullam habens] ſubſtantialem naturam à ſe diſtinctam, nullam ſubſtantialem operandi potentiam, nullum ſubſtaotialem actum, nullum pbyſicum accidens: adeòque Eos non-vegetativum, non-ſenſitivum, non-rationale, non-ſupernatorale, non-infinitum. Et ſicut multæ aliæ Philoſophicæ ſciẽtiæ utitur abſtractione negativâ. In cæteris Scholis Phyſica ſuppoſito naturam ſubſtanrialem (quam nonnulli vocant Corporeitaem) addit. Et quidem Philoſophica rerum cognitio eſt valdè neceſſaria: omnia enim, quæ in Scieotiis altioribus ſine fundamento dicuntur, oriuntur ex erroribus Phyſicis, quoniam veritates Theologicæ, Politicæ, & Medicæ, oriuntur à principiis phyſicis. Ad hanc ſcientiam ſpectar contemplari eſſentias Cœlorum, Sydcrum, Elementorum, Metallorum, & Lapidum.

LVIII.

PHILOSOPHIA VEGETATIVA.

APud Græcos vox Ψυχὴ quamcumque ſigoificat Animam, unde vegetativa ab Ariſtotele *libr. I Ethic.* Φυτικὴ Ψυχὴ dicitur. Hinc denominatur Scienria Pſychica, Pbyſicâ nobilior & altior, quam Ariſtoteles tradidit *Libr. de Animâ.* Anima eſt actus potentiæ, adeòque ubi non datur potentia, noo datur anima, nec actus. Vita Creaturarum eſt quadruplex; Vegetativa, Progreſſiva, Senſitiva, & Rationalis. Duæ priores corpori infinito, ſi daretur, repugnarent omninò: adeòque Deo immenſo convenire non poſſunt. Senſibilitas eſt materialis inrentionalitas, & Rationalitas eſt ſpiritualitas diſcurſiva: quam ob rem ſeoſibilitas competere nequit inmareriali Deo, nec rationalitas ſupercomprehenſivo. An-ne Angeli rationales ſunt? Cur non concedam Angelis aliquos actus diſcurſivos, & cur non concedam Homini aliquos non diſcurſivos; hucuſque reperire non potui.

Corpus habens ſubſtantialem poteotiam, prędiram accidentariâ quantitate diſtinctum in convenientia organa, animatum aut intrinſecùs, ut vulgò dicitur, aut extrinſecùs à Sole, ut aliqui ſentiunt, eſt Planta, quam Philoſophia vegetabilis ſpeculator. Omnis ſubſtantia extenſa eſt figurata; & exiſtimo extenſibilitatem corpoream inſigurabilem impoſſibilem eſſe. An omois figurata eſt organica? Erit quæſtio de nomine, quàm diſcutiemus alibi.

Solem eſſe Plaotarum, & conſequenter Animantum, & Hominum vitam vegetativam legis, nec intelligis; & quia diſſentis ſic Localis Philoſophiæ deſenſores impugnas. [Non poteſt, ais, dari vivens extrinſecè, quia vivere eſt ſe movere ab intrinſeco; ergo motus qui ab extrinſeco, violentus eſt, & non vitalis.]

Reſpondeo primò dicendo me hic non tradere illam opinionem, ſed referre: ſecundò, adſumendo breviter, id quod alibi fusè prnbabo; nimirùm plantarum vitam eſſe Solem, animalium Pro ſolem, ſic diſcurram. Sol non movet Plantas ab extrinſeco, ſed ab extrinſeco facit quod ipſę ſe moveant ab iotrinſeco: Calefacere enim movere localiter non eſt, & Sol calefaciendo rarefacit, rarefacieodo facit, quod res rarefacta occupet majus ſpacium & moveatur: Igitur calefaciendo ab extrinſeco, facit quod planta moveatur ab intrioſeco. Animantes perfectiùs vegetaot, quàm plantę habent enim vitam extrinſecam nimirùm Solem & intrinſecam nempè Proſolem, cor enim animaotibus univerſis eſt Proſol.

Hinc naſcontur plures Philoſophiæ Naturales, aut eiuſdem Philoſophiæ Naturalis plures partes: Prima enim de ſubſtantiâ phyſicâ non-vegetativa diſputat: ſecunda de vita vegetativa plaotarum: Tertia de vegetativa animalium: Quarta de vitâ ſenſitivâ: Quinta de Rationali.

LIX.

PHILOSOPHIA INTENTIONALIS.

EIus obiectum Ens animale poteſt ſic definiri; *Ens vivum organicum intentionale carens ſpiritualitate ſupernaturalitate & infinitate.* Eſt quidem facultas iſta curioſiſſima, digna floridis ingeniis & longiſſimâ vitâ; nam brevis non ſufficeret, ut unius Cõradi Geſneri Medici Tigurini hiſtoria animalium quinque immenſis tomis diſtincta perlegeretur accuratè. Sed nos multis omiſſis circumſtantiis, quæ ad ſolum vegetativorum membrorum articulationem conducunt, faciliùs & breviùs de animalibus, ſenſibus, nec non potentiis diſputabimus.

Animam ſenſitivam eſſe aliquid præter vegetativam, ipſæmet operationes manifeſtant. Intentionales ſunt & cauſas intentionales requirunt.

De Senſibus.

O Hominem miſerum! omnis ſcientiâ orũda eſt à ſenſibus, & hi ſæpiuſculè falloorur & fallunt. Petronius arbiter.

Fallunt nos oculi, vagique ſenſus
Oppreſſa ratione mentiuntur:
Nam turris propè quæ quadrata ſurgit:
Attritis procul angulis rotatur.
Hyblæum refugit ſatur liquorem,
Et naris caſiam frequenter odit.

Hos

Hoc suo magis aut minus placere
Non poſſet niſi lite deſtinatâ
Pugnarent dubio tenore ſenſus.

Ergò qui ab experientiâ pendes, ne frequenter oberres, ſcias, experimenta eſſe fallacia, & omnium ſenſuum operationes examina, & earum exorbitantias diſce. Qui Entia-rationis admiſerunt, conſequentia doctrinæ concedunt materialibus ſenſibus, ut proprias chimæras fabricentur. Colores videri in Iride affirmant, qui non ſunt: ſubaudiri verba, quæ non dicuntur: & ſimiliter de tactu, guſtu, olfactuq; philoſophantur: Quæ omnia an ſint vera & qualiter debeant admitti, proprio loco dicemus.

Tactus.

Videtur eſſe omnium baſis, quia fidus eſt, nec alicui negatur. Omnium maximè neceſſarium eum Arriaga *diſp. 5. de Anim. n. 6.* dicit, ad animantis vitam tuendam & noxia declinanda. Convenit omni & toti animali. Sanè nec omne nec totum videt animal; cùm tamen nullum ſit in mundo animal, nulla in animali pars viva, quæ non ſit tactu prædita.

Guſtus.

Non reperitur ſine tactu, ſicut nec ſine guſtu olfactus, aut ſine olfactu auditus; omnes enim hi ſenſus ſunt à natura coordinati Organum hujus ſenſûs in tota lingua, ſed in cuſpide præcipuè eſt. Sunt qui exiſtiment guſtum ſpecie non differre à tactu, ſed de hoc ſuo loco.

Olfactus.

In naribus reſidet, & percipit odores univerſos, ſed in aſſignando vero organo laborant recentiores, ſunt enim ex naribus ſecreti comeatus, qui videntur odores poſſe conducere ad varias officinas cerebri. Conimbricenſes id in duabus illis tuberculis, quæ à figura *mamillares* vocantur, collocant, alii alibi.

Auditus.

Hujus Senſus organum eſt aëreum quoddam tympanum animatum, qui aliquorum ſententiâ verum aërem, aliorum non niſi metaphoricum continet.

Viſus.

Eſt omnium ſenſuum puriſſimus & perfectiſſimus. Reſidet in oculis & requirit organum artificioſiſſimum. Ejus deſcriptionem Anatomicæ & Opticæ rei periti expendunt, & verè talem, ut ſine admiratione legi non poſſit.

Senſus communis.

Iſte ſenſus & omnes exteriores in Schola Reali, quæ eſt communis, diſtinguuntur ſpecie: at verò in Expreſſiva, nequidem diſtinguuntur numero. Ratio eſt, quia una & eadem vitalis qualitas, ut expreſſivi authores putât, in oculo videt, in aure audit, in nare olfacit, in lingua guſtat, & in corpore tangit: eadem in ſecretiore parte cerebri videt, audit, olfacit, guſtat, & tangit ſimul. Hoc ut meliùs intelligas adnotato ſenſum communem eſſe potentiam omnium ſenſibilium perceptivam: adnotato iterùm probabili multorum opinione illas potentias quæ aliqua qualitate ſenſibili afficiuntur phyſicè non poſſe eâ percipere vitaliter & intentionaliter. Quamobrem dicendum eſt, videndi organum eſſe oculorum partem illam criſtallinam, quę omni colore caret; hæc quia aliis qualitatibus ſenſibilibus inficitur, tantùm colores percipit; quos phyſicè non habet. Aër fractus eſt ſubjectum ſoni, & organum aër vitalis qui frangi non poteſt. Illæ mamillares tuberculæ, in quibus ipſe olfactus reſidet, reliquis qualitatibus ſunt prædıtæ; ſed quia odore carent, & percipi nare non poſſunt, odores univerſos percipiunt. Eodem modo de guſtu, eodem de tactu philoſophare. Illi cibi qui heri expetebantur, hodie ſunt inſipidi, quia organum alteratur, & cùm incipit talem ſaporem formalem recipere, redditur minùs aptum ad recipiendum illum intentionaliter. Tandem ſenſus communis organum eſt capitis cellula, cujus materia, quia nulla ſenſibili qualitate inficitur, nullum non percipit intentionaliter.

Præter communem hunc, aſſignant Philoſophi alias potentias & ſenſus interiores, quos proſcribendos alii judicant, ne Animam inutilibus & inconcinnis qualitatibus onerent ſine cauſa.

Sufficiat hæc breviter perſtrinxiſſe uberiùs eadem in libris de Anima corporea declarabimus.

De animantum diſtinctione ſollicitus, inquiris, Vtrùm Equus & Canis diſtinguantur ſpecie; Reſpondeo differre ſpecie ſubſtantiali in communi ſententia: at in Schola Expreſſiva (de qua paulò ante aliquid dixi) differre quantitate formali, ſeu quãtitate virtutis; ac propterea numero. Vtrùm hæc quantitatũ & figurarũ diſtinctio, ſpecifica nominanda ſit, an non, non examinant ſufficiat illis ſcire non differre aliqua formalitate, quæ directè pertineat ad Prædicamentum ſubſtantię. Conſule ea, quæ de Animarum diſtinctione dicturus ſim, cùm ex profeſſo de virtutis quantitate tractabo.

LX.
PHILOSOPHIA HVMANA.

Phyſica contemplatur Ens merè corporeum, Angeloſophia Ens merè ſpirituale: at Homo intereſt partim corporeus & partim ſpiritualis, & poſtulat novam Philoſophiam, quam Humanam vocabimus.

Homo eſt Suppoſitum habens Potentiam Phyſicam (Materiam primam Thomiſtæ & alii multi nominant) Vitam vegetativam Intentionalitatem (hoc eſt, Animam ſen-

ſenſitivam) & Spiritualitatem. Anima rationalis non eſt pura Spiritualitas ſed Intentionalitas Spiritualis: in Homine enim Intentionalitas & Spiritualitas, ut communis ſententia edixerit, identificantur.

PEtis Vtrùm ſicut Homo ex potentia Materiali & actu Spirituali componitur, poſſit dari alia creatura compoſita ex potentia ſpirituali & actu ſeu formâ materiali?

Reſpondent aliqui aſſertivè; quia ſicut materiale & immateriale, aliàs improportionata, proportionantur in officio componendi, quando illud recipit, & hoc recipitur; ſic etiam proportionatentur ſi hoc (nempè immateriale) reciperet, illud reciperetur.

Dices ideò poteſt corpus animam ſpiritualem recipere, quia illâ eſt imperfectius, & eam tanquam perfectionem appetit; atqui ſi potentia eſſet ſpiritualis, & actus corporeus, illa eſſet iſto nobilior, ergo non poſſet ab eo perfici.

Reſpondent negando illam cauſalem quâ aſſumis. Corpus enim eorundem opinione recipit animam, non quia illa imperfectius, ſed quia eſt potentia receptiva, & illa eſt actus receptibilis; atqui ſi potentia eſſet ſpiritualis & actus materialis, illa maneret receptiva, hic receptibilis (aliàs nec illa eſſet potentia nec hic actus) ergo ſpiritualis potentia poſſet recipere actum materialem. Confirmant, quia actus perfectior potentiâ eſt reduplicativè, non tamen ſpecificativè; quia licet ratio actûs nobilior ſit ratione potentiæ, id quod eſt actus ſæpè ignobilius illo eſt quod eſt potentia receptiva, ut patet in compoſitione accidentali; ſubſtantia enim quæ accidêtibus perficitur, ipſiſſimis nobilior eſt.

Poſſe quidem formam materialem ſubjectum ſpirituale perficere docuere multi Authores. Noſter Lorca admittit. Subſiſtentiam rationalis animæ eſſe illius actum, & tamen aſſerit materialem. *Ita in 3. par. diſput.* 28. *num.* 30. Multi etiam in eâdem ſpirituali animâ unionem materialem poſuerunt quâ corpori conjunge poſſet. Nòn autem totam hâc quæſtionem eſſe nominalem magnâ ex parte credimus, & alibi diſcuſſuri ſumus.

LXI.

De Anima Rationali.

QVi animi tui naturam & excellentiam nõ cognoſcis, es rationalis bellua, & brutum intellectu præditum. Pauper eſt, qui domi habet abſconditum theſaurum quem ignorat; inermis, qui cataphractus cum ſit, nudum ſe judicat. ergo & irrationalis qui intellectu ſuffultus, quo tuæ mentis cognoſcas excellentiã, & mente, & cogitatione cares. Huc reſpiciebant Ethnici, qui Plotino *libr.* 3. *Enneadis* 4. *cap.* 5. & Cicerone *Quæſtionum Tuſculanarum primo*, pro Templi Delphici foribus inſcripſerant græcè hoc oraculum.

VNICA CVRA ANIMVM SIT TIBI NOSSE TVVM.

Et optimè, quia ut optimè nos docuit Augustinus, *lib.* 2. *de ord. cap.* 8. inter quæſtiones quæ humanitùs examinari ſolent, duæ ſunt Principes: una de Animâ, altera de Deo: illa tempore, hæc vero dignitate prior. Qui ſe Animo carere exiſtimet, vix poterit Atheus non eſſe: quique Atheus ſit, non poterit Animi immortalitatem profiteri.

Apparatus Philoſoph.

Dari formam aliquam corporis ſociam manifeſtant univerſa cadavera: quæ cũ primùm occiduntur privantur vitâ, motu, & ſenſu. Hæc forma eſt quæ Anima dicitur, & ab Ariſtotele definitur eſſe Actus primus corporis organici phyſici potentiâ vitam habentis. Ita *lib.* 2. *de an. c.* 1. Rationalis Animus pulchrè à Prudentio deſcribitur, ait enim.

Crede Animã non eſſe Deum, ſed crede creatis
Maiorem cunctis, ipſam quoque crede creatã.
Formata eſt namque ore Dei, quæ non erat antè
Sed formata habitu pulcherrima, pictaque rebus
Divinis & plena Deo ſimiliſque creanti. &c.

Dico igitur Animam habere plurimas characteriſticas prærogativas quarum expreſſione deſcribitur: debere tamen quiditativè definire his verbis, *Anima eſt principium intelligendi.* Clariùs, *Anima eſt vita intellectualis.* Ratio vitæ generica eſt, & intellectualitas differentia quâ vita contrahitur.

Hanc conſequentiam, *Anima eſt intellectiva. ergo eſt volitiva*: vult eſſe neceſſariam D. Thomas 1. *p. q.* 19. *art.* 1. ubi probat Deum eſſe volitivum ex eo quod intelligens ſit. *Reſpondeo* ait, *dicendum in Deo voluntatem eſſe ſicut & in eo eſt intellectus.* Sed ex intellectu plus adhuc infert Damaſcenus *lib.* 2. *Orthodoxæ fidei cap.* 27. vult enim hanc, *Anima eſt intellectiva, ergo habet voluntatem liberam*, eſſe conſequentiam legitimam. Sic enim ait: *Aut rationis particeps homo non erit, aut ſi ratione præditus ſit, penes eum quoque actionum arbitrium ac poteſtas futura eſt.*

LXII.

Ratio, Voluntas.

RAtionalis Animus dicitur, quia rationis capax. Hæc eſt quæ primatiò illum afficit exornatque. Rationem volũtas ſequitur, quã Arrianus *cap.* 12 *libr.* 1. Epicteti vult eſſe quantitatem rationis. *Nonne intelligis,* ait, *quantula pars ſis mundi, collatus cum univerſitate? Ratione corporis dico, nam mente quidem conſiderata neque Diis immortalibus eſt deterior aut minor, mentis enim magnitudo non proceritate aut altitudine iudicatur, ſed decretis.* Illa comparatio ethnica eſt, reſolutio autẽ poteſt exponi multifariam, imò exponetur cum hanc materiam calamo ſecundo tractabo.

Eſt igitur intellectus potentia intelligendi proxima, Voluntas, eſt potentia volendi. Intelligimus cùm nobis objecta identificamus, amamus cùm nos identificamus objectis. Modum in libro de Anima expendemus.

LXIII.

Liberum arbitrium.

NOn eſt potentia diſtincta, ſed ex duabus iſtis coaleſcit: quia rationem complecti-

tur, arbitrium eſt; & liberum, quia voluntatē. Bernardus, *Is ergo talis conſenſus ob voluntatis inamiſſibilem libertatem & rationis quod ſemper ſecum portat indeclinabile judicium, non incongruè dicitur, ut arbitror, Liberum Arbitrium, Ipſe liber ſui propter, ipſe judex ſui propter rationem.* ita Mellifluus Doctor *in libr. de gratia & lib. arb. non procul a principio.* Et paulò poſt: *Quapropter hujuſmodi voluntarium conſenſum puto non incongrue eſſe, quod ſolet liberum arbitrium appellari, ut Liberum referatur ad voluntatem, Arbitrium ad voluntatem.*

Viri omnes celebres potentiam liberam definierunt, *quæ poſitis omnibus requiſitis habet indifferentiam ad operandum & ad non operandum.* conſtat ex omnium ſæculorum Scriptoribus, quos Deo auſpice meus Auguſtinus dabit. Vt hanc reſolutionem intelligas, adnotato indifferentiam eſſe duplicem; nempè activam & paſſivam. Potentia paſſiva ad operandum illa eſt, quæ poteſt aliquid recipere cujus virtute operetur, quo ſenſu & cæcus poteſt videre & claudus deambulare: ille enim viſum poteſt recipere, hic pedes. Eodem ſenſu poſſet homo carens gratiâ dici habere indifferentiam ad diligendū & non diligendū Deum, quia capax eſt gratiæ & charitatis, quibus poſitis elevatur voluntas ad amandum ſupernaturaliter. Hanc indifferentiam concomitatur extrinſeca, quæ conſiſtit in Deo, quia ideò cæcus poteſt viſum recipere & non recipere, & ideò peccator poteſt gratiam obtinere & non obtinere, quia Deus indifferens & liber eſt, & poteſt illam dare & non dare. Sed hæc indifferentia extrinſeca, potius Contingentia vocanda eſt.

Cæterùm neque indifferentia illa paſſiva, neque activa extrinſeca humanam libertatem conſtituit, neutra enim homini vitalis eſt: non prima, quia vita conſiſtit in actione, non ſecunda, quia vita debet eſſe non ſolùm intrinſeca, ſed & ab intrinſeco. Præterea, cæcus à dandis oculis, & peccator ab infūdēdâ charitate non debet dici habere de facto indifferentiā, ſed habiturum eſſe, nempè cùm illa requiſita, donantur, libertatem enim non definiunt Authores eſſe indifferentiam ante requiſitorum poſitionem, ſed eſſe potentiam quæ poſt omnium requiſitorum poſitionem habet indifferentiam operandi: viſus autem ad videndum, ſicut & charitas ad ſupernaturaliter amandum, unū ex præcipuis prærequiſitis eſt.

Hac indifferentiâ conſtitui libertatem formaliter à nullo non didici, ſed inter alios clariùs ab Auguſtino *libri Retractationum primi capite nono.* Sic ibi Sāctus Doctor: *Vides igitur, jam ut exiſtimo in voluntate noſtra eſſe conſtitutum ut hoc vel fruamur vel careamus tanto & tam vero bono.* Hanc indifferentiam excludere omnem neceſſitatem ſtatim aſſeruit, & inquit *Deinde ſubjunxi* (nempè *libr. 3. de liber. arbitrio cap. 16.*) *dicens, ſi enim hoc debet quiſque quod accepit, & ſic homo factus eſt ut neceſſariò peccet, hoc debet* (Deo ſcilicet) *ut peccet. Cùm ergo peccat quod debet facit.* Ergo expreſſè admittit Auguſtinus indifferentiam intrinſecam activā excludit neceſſitatem omnem, & fatetur has, *Feci quod potui, Omiſi quod facere non potui; Ergo feci quod debui, Ergo non peccavi,* eſſe certas & neceſſarias conſequentias. Sunt plurima Hypponenſis Epiſcopi teſtimonia clariſſima; malui tamen hoc deſumere ex retractationibus, ut ſciat Lector, ſic dicto debere intelligi, ſi qua alibi occurrunt obſcuriora.

LIV.

Scholaſtica libertatis nomina.

Primò actio libera dicitur debere eſſe non coacta: ſed ſciendum eſt, quid nomine coactionis intelligamus Scholaſtici. Motus coactus dicitur ille qui violentus & ab extrinſeco, qualis eſt motus projectorum; & hæc coactio non ſolum libertati repugnat, ſed omni potentiæ vitali: quia videndi motus & actio non poteſt fieri ab extrinſeco. Sanè non-coactio requiritur ut actio libera dicatur: ſed poſtulas an hæc non coactio ſufficiat? affirmant aliqui: ſed vapularunt à Patribus Hybernis anno 627. Lovanii in Theſibus, nam undecima concluſio ſic habet. *Manet ergo liberum arbitrium in ſtatu naturæ lapſæ, ad ejus tamen libertatem conſtituendam non ſufficit libertas a coactione ut delirat Calvinus ſed omninò requiritur libertas a neceſſitate.* & probat ex preſſis verbis Auguſtini *2. contra Fauſtum* 5. Cito hos Theologos, tum quia ſunt doctiſſimi, tum etiam quia eoſdem noſtri adverſarij pro ſe citant.

Dantur coactiones hypotheticæ, quæ *morales neceſſitates* à nonnullis dicuntur; & hæ libertatem non tollunt. Tales ſunt, vota, juramenta, leges, quæ ſemel emiſſa, ſemel latæ, non quidem cogunt hominem ut operetur, ſed cogunt ne operetur ſine merito, ne ſine demerito intermittat; quod pulchrè meus Bernardus (quo vel adverſariis noſtris teſtibus, nemo meliùs aſſequutus eſt mentem D. Auguſtini) explicat *libelli de præcepto & diſpen. capito 2.* ubi ait, *Quod autem in voluntate eſt ſuſcipientis, non in poteſtate proponentis, voluntarium meritò dixerim: non neceſſarium. Attamen hoc ipſum quod dico voluntarium, ſi quis ex propria voluntate ſemel admiſerit & promiſerit, deinceps tenendum profectò & neceſſarium ſibi ipſe convertit, nec jam liberum habet dimittere, quod ante tamen non ſuſcipere liberum habuit* (nempè quando ſuſcipit: *ideoque quod ex voluntate ſuſcepit, ex neceſſitate jam tenebit, quia omninò neceſſe eſt eum reddere vota ſua, quæ diſtinxerunt labia ſua & ex ore ſuo aut condemnari jam, aut juſtificari. Ceterum felix, ut quidam Sanctorum* (nempè Auguſtinus) *ait, neceſſitas quæ cogit in melius.* Hoc ſenſu omnes leges, mores & obligatoriæ conſuetudines neceſſitates appellantur. Lucæ 22. *Neceſſe autem erat dimittere eis per diem feſtum, unum.* Marci 4. *Per diem autem feſtum ſolebat illis dimittere unum ex vinctis quem petiiſſent.* Matthæi ... *Per diem autem ſolennem conſueverat Præſes dimittere populo unum vinctum, quem voluiſſent.* Ioannes 19. *Eſt autem conſuetudo vobis,*

vobis, ut unum dimittam vobis in paſcha , ubi re'lqui *conſuetudinem* vocant,quam Lucas dixetat *neceſſitatem*.

Secundò dicimur ſponte aliquid facere cùm non inviti & cum tædio operamur. Actio invita dividitur, in invitam negativè, & invitam poſitivè: & hæc in invitam ſimpliciter, & invitam ſecundum quid. Invitus ſimpliciter detinerur captivus, quia ipſe nullo modo vult temanere in vinculis, imò omnibus modis veller ibi non eſſe; non enim egreditur, quia non poteſt. Invitus ſecundum quid, merces proiicit nauta inſtante naufragij pericuio, quia ſimul vult conſervare divitias, & vitam; ſed banc intentiùs, & ſuæ avaritiæ vim infetens, liberè opes proiicit ut vitam ſervet. In hac igitur actione dantur tres actus; primus eſt amor divitiarum, ſecundus eſt amor iotenſior vitæ, tertius velle non ſatisfacere priori deſiderio, ur meliùs ſecundo ſatisfaciat. Omnes autem ſunt liberi: quia ita deſiderat divitias ut poſſit non deſiderare, ita amat vitam ut poſſit contemnere; tettius actus non eſt coactus ſed vim inferens, & avaritiæ impetum refrænans, & ideò etiam indiffetens & liber. Hanc ideam deſumpſi ex meo Bernatdo, *libro de gratia & libero arbitrio*, ubi amantem Chriſtum & vitam propriam Petrum conſiderat, & ptiori amori vim inferenrem, imò contra prioris amoris deſiderium Chtiſtum negantē; quia licet amaret Chriſtum Dominum, magis amabat ptopriam ſecuritatem.

Dico igitur, actionem, motum, operationē, vel quidquid aliud nobis ſimpliciter invitis fit, liberum oon eſſe; illud verò quod à oobis invitis ſecundum quid efficitur, liberum eſſe, non quidem actui cui vis infertur, ſed alij actni. Vt in exemplis poſitis, Mercator amabat divitias & ſuam vitam, hanc vero ardentiùs: merces in mare proiicit, hæc opum profuſio libera ipſi eſt, non quidem quà avaro & divitias amanti, ſed quà cauto & vitæ ſuæ ſtudioſo; quia & vitam liberè amat, & boc medium etiam liberè eligit. Non aliter de D. Petro Philoſophandum eſt. Amabat Chriſtum, ſed intenſiùs ſeipſum, negavit tamen Deum, nævitę periculo ſe exponeret, hęc negatio non fuit libera amori quo Chriſtum diligebat, imò illi fuit directè oppoſita; fuit tamen libera amori proprio quo ita ſe diligebat, ut maluerit negare Chriſtum quàm periclitati.

Tertiò Potentia à poteſtate differt. Dicitur habere potentiam, qui poteſt aliquem effectū facere, poteſtatem qui poteſt facere & nō facere. Ideo ignis dicitur habere potentiam calefaciendi, ſed ignis non dicitur habere poteſtatem, hæc enim neceſſariò agentibus cōvenire non poteſt. Hæc eſt acceptio communis hujus vocis, oon à paucis annis inventa, ſed cū idiomate latino nata, Ioannes 18. *Dicit ergo ei Pilatus, Mihi non loqueris? Neſcis quia poteſtatē habēre crucifigere?* Et ne quis diceret hūc Præſidem, utpote Ariſtotelis diſcipulum putaſſe quidem ſe habere indifferentiam ſed verè nō habuiſſe, reſpondet Chriſtus, *Non haberes poteſtatem adverſus me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper* hoc eſt, *neutram haberet*. Ergo Chriſtus cognovit in Pilato utrāque. Hinc cōſtat miſerrimè oberrare illos, qui putant nihil eſſe aliud, habere aliquid in poteſtate, quā illud poſſe facere; quia Sol poteſt lucere, noo tamen in ſua poteſtate boc eſt; eſſet ſi pro arbitrio lucere & noo lucere poſſet.

Sufficiat igitur hæc breviter expoſuiſſe; in opere quod ſuperiùs citavi, & ſingulis diebus promoveo, videbit lector, hæc eadē ab omniū ætatum authoribus, nemine boni nominis cōtradicente, confirmata: nunc igitur gratiā cum libertate expoſitâ boc modo componamus.

LXV.

Præſcientia Divina & creata libertatis concordia.

COmpoountur, ſi vel admittas Scientiam conditionatam, quam *mediam* nominā̄t, vel conditionata decreta. Alteruttum aſſeras, facillimo negotio actiones creaturatū libertas & Dei præſcientiam concordabis. Sunt qui audeaot Scientiæ Mediæ ſucceoſere; Franciſcus Belcatius Epiſcopus Metenſis *in opuſculo contra dogmata Calviniana excuſo Pariſiis ann.* 1557. *pag*, 62. decreta conditionata Calvioo & Sectariis attribuit: ſed ſi ſincerè loquar, verè imperiti & temerarij ſunt quotquot negant nō eſſe utramque ſeorentiam curioſam & probabilem. Mali propugnarores oon debent eſſe in causâ ut optimæ opiniones vileſcaot. Si ita defendatut ſcientia media, ut in aliquo ſenſu creatura temaneat cauſa prima, improbabilis eſt; imptobabilia decreta, ſi aſſerantur tollere libertatem. Sanè dari in Deo ſcientiam conditiooatam, quæ ſit non ſolùm conjecturalis, ot aliqui antiqui delirat unt, ſed certa & iofallibilis, perſpicuum eſt. An debeat *media* dici, eſt quæſtio de puto nomine. Dari media, quibus poſitis ſequatur effectus infallibiliter, ipſa experientia docet: quia hæc ponit Deus ut intentum obtioeat quod decrevit. Hæc media (ſeu has hypotheſes) eſſe circumſtantias reales & non chimæricas, omnes aſſerimus; an debeant phyſicæ prædetetminationes dici, an non Grammatici ambigant, & otioſi ſolùm controvertant. Benè ſcio fuiſſe nonnullos, qui voluerunt Thomiſtæ dici, & prædeterminationes invexerunt, quæ tollerent indifferentiam; hi iam Thomiſtæ noo audiunt. Si igitur prædeterminatiooes admittantur, quibus poſitis contrariom poſſimus operari, ut ego ſemper defeodi, erimus omnes veri diſcipuli Auguſtini, Bernardi, & Thomæ; & tandem erit Scholarum concordia. Videar in libro de Animâ, ubi probo nec ſcientiam mediam, nec phyſicas prædeterminationes poſſe ſuſtineri ſi malè exponaotur; &, ſi exponantur debitè, vix differre.

EGimus de Humanâ Philoſophiâ, ut ipſamet diſcurſûs ratio poſtulare videtur, ut Artes humanas, ſine quibus vita, aut vitæ ſtatus ſtare non poteſt, ſubjungamus.

Homo componitur corpore & animo, & utrum qoe eſt morborum & miſeriatū capax. His morbis corandis, recurandis inſtitutæ sūt optimæ Facultates, nam Medicina corpori ſalutem

lutem provideт,meotem Artes liberales exornant, mechanicæ membra exteriora dirigunt,operationes mentis regit Logica, & Ethica operationes voluntatis. De reliquis iam multa diximus ſupereſt ut de re Medica breviter non nihil dicamus.

LXVI.

PHILOSOPHIA MEDICA.

PRæſupponit rerum inanimarum, vegetabilium,& ſenſibilium noritiam, morbos enim proſcribir,quorũ plantæ, animantes, & homines capaces. Medicina vegerativà non eſt omninò ruſtica & ignobilis,eſt enim magnis etiam ingenijs & Principibus digna, præripuè quà flores & herbas peregrinas curar. Summi Regum labores aliquâ honeſtâ relaxatione indigent,nec gravior aut modeſtior illâ, quæ ex plaotarum contemplatione & cura naſcitur. Sed quia plantæ ignobiliores animantibus ſunt, etiam medicinis ignobilioribus ſanantur;unde illa eſt omninò difficilior quæ ſaluté proſpicit corpori animato;nimirùm Humano,Equino, Bovino &c. Sed quia corpns humanum eſt primarium objectum Medicinæ, qui medentur Hominibus,à Luſitanis per aotooomaſiam vocantur Phyſici,ab aliis Medici;qui autem brutis,audiunt ignobiliores.

Sed ſtatim occurrit difficultas, utra ſit facultas excellentior? An illa quæ curam gerit hominom, an illa quæ eqoorum & reliquarum Animantium: Si pro priore ſteteris, quia homo brutis nobilior eſt;inſtabo ſtatim hominem eſſe objectum materiale, ac poſſe contingere, quod majori induſtriâ debeat Equus ſanari,licet ſit ignobilior: quia ſicut majoria artis eſt exſculpere in ære, quam in argento, ſic poſſet ſublimioris induſtriæ eſſe curare corpora brutorum quam hominum. Accedit quod homines morbum exponant, quod bruta non faciuot: unde videntur illi poſſe faciliùs & ſecuriùs curari. Vnde Virgilius,ut tradunt Authores ionumeri, Neápoli Medicinæ ſtuduit,& Romæ Auguſti eqnos variis ægritudinibualevando,majorem gloriam & famam conſequutus fuit,quam illi qui homines recurabant.

Reſpondeo tamen illam nobiliorem eſſe Medicam Scientiam, quæ ſalutem providet corpori humano. Cujus nobilitas noo ſolùm deſumi debet à materiali objecto (hoc eſt ab Homine) ſad etiam à formali: quia eumrationalis animus perfectiſſimna ſit, inoumeras circumſtantias reqoirit,quibus mutatis ſeparatur. Ideò homo innumeris morbis ſubiicitur;cdm animantes aliæ,aut ſimplici,aut paucis laborare dicantur.

Sed quid eſt morbus? quid eſt ſalus? quibus ille fugandus eſt mediis? quibus hæc reſtituẽda? Hæc ſunt quæ Medicus callere oportet. Si morbus eſt poſitiva qualitas, ſanitas erir qualitas morbo contraria: ille igitur proſcribendus erit iſtius introductione: quia ſicut naturaliter excludere frigus non poſſumus,niſi calorem generando: ſic etiam nec morbum proſcribere,niſi ſalutem illi oppoſitam introducendo. Hæc fuit veterum Græcorum Medicina,quæ à noſtris ſcholis iam exulat.

Sanitatem dicimus armoniam, analogiam, & temperamentum qualitatum: morbumque earundem diſſonantiam,& dividitur io Connaturalem & Præternaturalem. Connaturalis ſanitas ineſt,cùm humores humani corporis appetitui exactè correſpondent: putà ſi tam intenſi aut remiſſi illi ſint,quàm ab ingenito materiæ appetitu appetuntur. Sanitas Præternaturalis vocatur, analogia & temperamentum qualitatum appetitui materiæ nõ uniſonans,ſed conſonans, nempè cum corpus habet majorem aut minorem calorem, quam deberet, non tamen habet improportionatum. Vnde morbus nihil aliud eſt quam intenſionis appetitæ & poſſeſſæ diſſonantia & improportio, Exempli gratiâ, Petrus laboret cholerâ: ergò conſideranda venit laborantis complexio: ſi ſupponatur eſſe calida ut duo, Medicus debebit providere,ut habeat aut calorem ut duo,aut calorem ipſi analogum: ſi ptimum adſequatur,reſtituet illi temperamẽtum naturale: ſi ſecundum præternaturale, hoc eſt naturali analogum & proportionatum.

Hinc eſt quod in morbis graviſſimis, nonounquam videantur bene valere ægroti,licet non longo tempore: quia calor, verbi gratiâ, qui frigore devicto iam triumphat, & gradatim intenditur,tranſit per analogos & proportionales gradus,in quibus ſi perſiſteret, eſſet omninò ſalutaris; eſt tamen mortifer, quia motu continuo ſupergreſſus intẽditur, quouſque ſubjectum corrumpatur.

Petis. Vtrùm morbus ſimilibus an contrariis curetur? ignorant morbi quiditatem, qui dubitant, utroque enim modo ſalus priſtina poteſt reſtitui. Verbi gratiâ: complexio Petri poſtulet quatuor caloris gradus, & ipſe habeat 5. & 40. minuta, bifariam curari ipſe poterit, nimirùm aut adquirendo 20. min. unius gradus, aut 1. & 40. min. perdendo. Si contraria applices, calor diminui poterit: ſi ſimilia, augebitur, & prudenter conſideranda eſt diſtantia brevior, ut perdita recuperetur ſalus: Petrus enim qui cholericus ut 4. ſupponitur, tam ſanus erit ſi habeat calorem ut 6. quam ſi haberet ut quatuor, haberet enim calorem appetitui innato conſonantem.

Hinc patet defendendos eſſe noſtros Medicos, qui carentes pharmaco legitimo, utuntur analogo, imò & analogum reddunt aliorum pharmacorum prudenti permixtione; herbæ enim non operantur medicè quà tales, ut ſomniant Mahometani Arabes, ſed quà quales, ut teneot omnes Europæi.

Hinc conſtat Medicinam in analogiâ cognoſcendâ & curandâ conſiſtere: ſalutem in humorum proportionalitate aut proportione morbum in diſſonantia; ſed quia hæc propriis locis uberiùs diſputanda ſunt, ſufficiat modò prælibaſſe.

LXVII.

LXVII.

PHILOSOPHIA ANGELICA.

SI Spiritualitatis attributum excipias, circa reliqua ſumma eſt partium concordia: ſed de Angelorum Spiritualitate varia ſunt placita Philoſophorum. In Septentrionalibus Provinciis, quæ multarum hæreſeon veneno laborantes; non poſſunt exorbitantes opiniones proſcribere, Angelos eſſe purè materiales tametſi donatos ſubtiliſſimis corporibus aëreis aut igneis, delirarunt. At Catholici re benè examinatâ Angelos ſpirituales adſtruimus; & claris ſacræ ſcripturæ teſtimoniis firmamus.

Nec hæreticorum ſententiæ favent ſacræ paginæ verba, illos *ignis* nomine ſignificantia nam illa vox metaphoricè debet exponi. Peluſiota Iſidorus; *Quid cauſa eſt*, inquit, *cur omnia ferè divina Ignis appellatione notentur? Ignis dictus eſt Deus, & Angeli Ignis flammeus, & apparuerunt in Apoſtolo lingua tanquam Ignis, & Spiritu ferventes.* Dubio propoſito curioſè, ſolidè reſpondet his verbis. *Arbitror id fieri propter copiam invidentia expertem, & divitias, cum ab uno lychno infinitas accendat lampades, nec tamen minuatur; ſed ipſe quoque denuo----alias totidem numero, vel etiam plures accendere poſſit. Quod autem ad corporum rationem attinet, ſurſum fertur, quod ſolus ex rebus terrenis; ignis loca ſuperiora appetat, & perſequatur, cælumque deſideret.* &c. Ita ille *lib.* 4. *Epiſt.* 66.

Philoſophia Angelica reliquis parallela eſt. Abſtrahe negativè à Leone materialitatem, ſeu ſpiritualitatis negationem, & Angelum habes: Abſtrahe ab Angelo ſpiritualitatem, & habes brutum.

Si formalitates, quibus Angelus conſtat; internoſcere cupis, exponam. Prius componitur partibus hipophyſicis; nēpè ſubſiſtētiâ & naturâ; Secundò Angelica natura coaleſcit ex Potentiâ, Extenſibilitate, Intentionalitate, Spiritualitate, Non-ſupernaturalitate, & Nō-infinitate.

Petis. An certum ſit, quòd in Angelo ſubſiſtentia, potentia, extenſibilitas, intellectus, voluntas, & ſi quæ aliæ ſunt formalitates; identificentur realiter?

Reſpondeo diverſa eſſe Theologorum placita. Opinione multorum certum omninò eſt; poſſe Deum creare Angelos habentes formalitates ſpirituales realiter diſtinctas, & Angelos habentes realiter identificatas. Vtros crearit, vix poſſe humanitùs examinari. Quidquid igitur de poſſibili ſit, hodie plurimis placet ſententia quæ omnem partium realiter diſtinctarum compoſitionē ab Angelis præſcribit, ne teneatur in uno & eodē Angelo, aut admittere entitates corporeas, aut ſaltē multas ſpiritualitates; nempè unam quâ ſpiritualis reddatur ſubſiſtentia; alteram, quâ natura; alteram quâ intellectus.

Non dari duos Angelos diſtinctos purò numero à viris doctiſſimis aſſeritur. Cùm petitur an dari poſſint? nos negamus; aſſerunt nonnulli, & ſolis verbis differunt à vera ſententia: differentiam enim individualem nominant, quam ſpecificam deberent.

Poterunt ne dari Angeli diſtincti genere? cur non. Virtus Omnipotentis infinita eſt, & ex parte ſubjecti nulla repugnantia concipitur.

Intellectus Angelicus humano eſt robuſtior; voluntas firmior, & natura perfectior. Petis; Habeat ne ſpecies congenitas, an adquiſitas? Fortè habent alteras, fortè utraſque, fortè neutras.

Pollet Spiritualis ſubſtantia quantitate virtutis incorporeâ; caret organicâ; adeòque nullam figuram determinatam habet.

Multis qualitatibus incorporeis Angelos ornati ne dubites; ſi enim Creator materiales ſubſiſtētias tot tantiſque prærogativis corporeis inſignivit, ut ſine admiratione videri non poſſint, quot credēdum eſt ornaſſe illos empyreos cives, quos fecit Angelos, ſuæ voluntatis Miniſtros, & revelationū ſuarum radios. An verò hæ ipſæ, ſi naturales ſint, diſtinguantur realiter à ſubſtantia alibi examinabo.

Relationibus incorporeis ſunt prædìti. Iuxta Thomiſtarum ſententiam in loco & tēpore ſunt per operationē. Angeli Apoſtatæ igni materiali torquentur, ſed divinitùs elevato: Duratio eorundem æviterna eſt: Vbicâtur extrinſecùs ubicatione corporis quod movent aut alterant. Idem ubi numero quod corpori eſt circumſcriptivum, Angelo definitivū eſt: Situm extrinſecùs habere ſolent; participant enim extrinſecùs ſituationes corporum, quorum ubicatione ubicantur.

Poſſent ne donari tempore & ubicatione propriis? Reſpondeo affirmativè, quia nulla apparet repugnantia. Addo multorum opinione illos propriis carere; quia non ſunt adſtruendæ entitates ſine neceſſitate, & nulla urget neceſſitas ut Angelo, cui ſufficit aliena; propriam ubicationem concedamus.

LXVIII.

PHILOSOPHIA SVPERNATVRALIS

TAmetſi præcipua hujus ſcientiæ fundamenta dependeant à revelatione, nihilominùs curioſiſſimè traditur, poſitis enim eiſdem aſſertis revelatis, & ſubſumptis diverſarum Academiarum principiis variæ conſequentiæ inferuntur. Vtrùm ſub Ente ſupernaturali omnia prædicamenta reperiantur, quæ ſub aliis, multi examinant, alij ſubdubitant, & alij expreſsè negant. Sunt qui definiant Ens ſupernaturale eſſe quod eſt ſupra omnem naturam. Sed ſi hæc definitio admitteretur, ne quidem Deus ipſe eſſet Ens ſupernaturale, non enim eſt ſupra omnem naturam, qui non eſt ſupra ſuam. Alij Ens ſupernaturale dici exiſtimant, quod ſit ſupra omnem naturam creatam; & doctrinæ conſequentiâ tenentur dicere, non eſſe poſſibilem ſubſtanatiam ſupernaturalem creatam; hæc enim ſi daretur, non eſſet ſupra omnem naturam creatam, quia ipſa eſſet verè creata & non ſupra ſeipſam. Sed hi

debilium ingeniorum ſcrupuli ſunt ex vocibus ipſis ſuborti; nam Supernaturalitas (qualitercunque illa vocetur) eſt quædam Divinitatis participatio, nobilior quam ſpiritualitas; & ipſa in Reali ſcholâ eſt vera realitas ordinis ſublimioris, quæ viribus puræ naturæ materialibus aut ſpiritualibus produci non poteſt. Eſt ſigillum operum Dei; non quòd non dentur ordines nobiliores poſſibiles, ſed quod omnes illi etiam ordines dicentur ſupernaturales.

In ordine Entium ſupernaturalium producto non reperio omnia prædicamenta, Deus enim omnia propter electos condidit, & noluit ſupernaturales creare naturas, ne omnia propter illas condita crederentur. Quantitatem, Durationem, & Vbicationem ſupernaturales non poteris facilè aſſignare; videtur enim præter qualitates, uniones & operationes, non dari alias ſupernaturales entitates, ſed de hoc proprio loco.

LXIX.

PHILOSOPHIA DIVINA.

UTrùm detur Ens infinitum creatum controvertitur; alij enim intrepidè concedũt, alij negant. Vbi hoc maximè admiratione dignum eſt, quod negandi & concedendi ſit unica & ipſiſſima ratio. Qui tuentur Deum poſſe infinitum producere, ſic arguunt. [Deus habet potentiam infinitam; ergo producere poteſt effectum infinitum; effectus enim debet eſſe analogus effectrici potentiæ.] Qui contrariæ opinioni ſubſcribunt; [Potentia Dei, inquiunt, eſt infinita; ergo exhauriri non poteſt; non enim ſine imperfectionis nota exhauſta potentia diceretur; atqui ſi Deus produceret creaturas infinitas, eius potentia exhaurietur: ergo non poteſt producere infinitas.]

Sive detur tale objectum, ſive non detur, Ἀπειραντολογία (hoc eſt Diſputatio de Ente infinito) rectè traditur; ſi datur, ut dari oſtendat, & dari paſſiones examinet; ſi non datur, ut id ipſiſſimum nos doceat.

Sanè creatura infinita, nec datur, nec dabilis eſt. Non dari univerſi fatemur; nam præter paucos Sophiſtas, qui inter paradoxa ſua poſuerunt nonnullas aſſertiones de infinito creato, nullum viderim qui ſeriò dari ſubſtantiam categorematicè infinitam defenderet. Sed & non poſſe dari ſententia tenet, cui libenter ſubſcribo; Nam Infinitas eſt character Dei, imò formaliter eſt Divinitas, illa tranſcendentalis, quæ omnes increatas formalitates tranſcendens in eſſe divinatum conſtituit. Rectè nomenclatores Græci, quia rem infinitam vocarunt ἀπέραντον, loquacitatem ἀπειραντολογίαν vocarunt, non enim eorumdem opinione poteſt major loquacitas excogitari illâ quæ infinitatem ipſiſmet creaturis adfingit. Sed quia ad cognoſcendum meliùs Deum conducit quòd ſciamus infinitatem creato enti repugnare ſpeciali tractatu Philoſophiã Aperãtologicam trademus. Sanè Philoſophia Divina eſt ſcopus omnium aliarum facultatum; omnes enim naturales addiſcimus, ut hanc perfectiùs adſequamur: Deum definio ſic. *Deus eſt Ens poſitivis, vita, potentia, immenſitate, intentionalitate, ſpiritualitate, ſupernaturalitate, & infinitate præditum.* Iterum; *Deus eſt Ens negativis formalitatibus, nimirùm non-vitalitate, non-potentia; non-immenſitate, non-intentionalitate, non-ſpiritualitate, non-ſupernaturalitate, non-infinitate carens.* Et ut omnia verbo uno complectar. *Deus eſt omnimodum Ens.*

Hinc patet eſſe veriſſimum illud principiũ Theologicum, Omnes perfectiones ſunt in Deo ſublatis omnibus imperfectionibus. Abſtrahe à materia omnes imperfectiones (nimirùm negativâ abſtractione) & intelliges Deum. Hinc patet Theologiam omniũ Philoſophicarum Scientiarũ quas negativa abſtractio ſiſtit, eſſe abſtractiſſimam, & nobiliſſimam. Et in hoc differre ſupremam (Theologicam) & infimam (phyſicam) philoſophiam, quòd illa omnes à ſuppoſito imperfectiones; hæc omnes perfectiones quæ poſſent ineſſe, proſcribat.

LXX.

CUm audis omnes creatas perfectiones; poſſe Deo attribui ſublatis imperfectionibus, & legis omnia decem prædicamenta Deo attribui, opponis S. Auguſtini teſtimoniũ *lib. de Trinitate* citatũ à Petro Abaëlardo *lib. 2. introductionis ad Theologiam num.* 20. ubi videtur S. Doctor refellere noſtram ſententiam *Sic intelligamus Deum*, ait, *ſi poſſumus quantum poſſumus: ſine qualitate Bonum, ſine quantitate Magnum, ſine indigentia Creatorem, ſine ſitu Præſentem, ſine habitu Omnia continentem, ſine loco Vbique totum, ſine tempore Sempiternum, ſine ulla mutatione ſui Mutabilia facientem. Quiſque Deum ita cogitat, etſi nondum poteſt invenire omninò, quid ſit, piè tamen cavet quantum poteſt, aliud de eo ſentire, quod non ſit.* Et roboras teſtimoniis S. Dionyſij Areopagitæ, qui ſæpiſſimè negat Deũ eſſe Subſtantiam, Quantũ, Magnũ, Qualem, Sapientem, Doctum, Spiritualem.

Reſpondeo Subſtantiam, Quantitatem, Qualitatem, Relationem, Actionem, Paſſionem, Durationẽ, Vbicationem, Situm, & Habere bifariam poſſe ſumi; videlicet phyſicè & Theologicè. Sumpta phyſicè involvunt plurimas imperfectiones, quia in Phyſicis ſubſtantia materialis, aut eſt completa, aut componitur ex materiâ & formâ realiter diſtinctis, Quantitas eſt continua & diviſibilis; Qualitas eſt accidens; Relatio, aut eſt modus diſtinctus realiter à fundamento, aut inficitur aliis imperfectionibus: Actio fit ob indigentiam; Paſſio ſine dependentiâ non cõcipitur; Duratio eſt ſucceſſiva. Vbi rem ad aliquẽ locũ determinat: Situs partes coordinat; & Habere juxta Peripateticos reducitur ad veſtimenta: hæc autem cõpetere non poſſunt Deo immateriali, ſimplici, indiviſibili, accidentiũ & modorum experti, nullâ indigẽti re, independẽti, ſimultaneo, immenſo, corporis partibus & veſtibus, quibus nuditas tegitur, non egenti.

Si

Srhas formalitates phyſicas, ac propterea creatas, corporeas, imperfectas purifices & ab omni imperfectione abſtrahas additis contradictoriis perfectionibus, habebis prædicamenta Theologica, hoc eſt, formalitates increatas, incorporeas, perfectas, videlicet Subſtantiam ſimplicem, Quantitatem virtutis, Qualitatem attributalem, Relationes ſubſtantiales. Proceſſiones activas ſine indigentia, paſſivas ſine dependentia: Durationem ſimultaneam: Vbi immenſum, Situm ſine partibus, & Habere ſine imperfectione.

Auguſtinus igitur & ante eum Dionyſius, negarunt Deo Phyſici Syſtematis formalitates, non verò Theologici: Deus enim habet Theologicam quantitatem, hoc eſt (immenſitatem) quantitatem ſeu magnitudinem carentem omni imperfectione; habet qualitates Theologicas, quæ aliâs vocantur attributa, hoc eſt, habet omnium creatarum qualitatum perfectiones imperfectionibus eliminatis.

Hinc conſtat, quid dicendum ſit interroganti, An Deus ponatur in prædicamento? népè, non poni in aliquo prædicamento Syſtematis creati, Deus enim creatus non eſt; nec in aliquo humano, quia quà Deus homo non eſt; nec in angelico, quoniam licet ſpiritualis ſit, non eſt finitæ perfectionis, nec Phyſico, aut Philoſophico, immaterialis enim eſt. Reſtat ergo quod ſolùm ponatur in prædicamento Metaphyſico & Theologico; in Metaphyſico reductivè, & propriè in Theologico. Deum non pertinere propriè ad prædicamenta Metaphyſica aſſerui, quia hæc ſcientia de Ente abſtractiſſimo diſputat, nempe præciſo à rationibus finiti & infiniti, corporei & ſpiritualis: Ens autem ſic abſtractum nó intelligitur eſſe divinum (Divinitas enim ſine ſpiritualitate & infinitate ſtare non poteſt) aptè tamen de ente divino prædicatur, ut cùm dicimus: Ens divinum eſt Ens, Relatio divina eſt relatio, Magnitudo divina eſt magnitudo, &c.

THeologiam Athei negant, Scientia enim ſublato objecto debet tolli. Hujus erroris authorem credo fuiſſe Cainum Adami primogenitum, cujus Adſeclæ Filii hominum nominabantur, ut diſtinguerentur à fidelibus, qui vocabantur Filii Dei. Hiſtoriam & nominum rationem dedi *in mei Commentarij in Reg. S. Benedicte libr. II.* ubi multa ad hunc conceptum, nimirùm, Filiorum Dei & Hominum diſtinctionem, *num.* 113. Caini hæreſin. *num.* 114. Sethiadum religionem *num.* 115. quales fuerunt Cainitæ? *num.* 116. An omnes Sethiades fideles, & omnes Cainitæ athei? *n.* 117. An Sethus vocatus fuerit Deus? *n.* 125.

Cainitarum errorem videntur poſt diluvium revocaſſe Chami filii, & ab eis hauſiſſe Lucanum & multos alios Pythagoricos *Pharſal. bello libr. I.*

Sive nihil poſitum, ſed ſors incerta vagatur,
Fertque refertque vices, & habent mortalia caſum, &c.

Quibus adnumerare poteris, qui Deum imperfectum ſtatuerunt, nam ſi ſincerè rem examinemus, Deum negat, qui imperfectum affirmat: nimirùm Epicurus (& cum ipſo Cicero, ſi velis) qui Deum ignorantem & providentia deſtitutum; Anaximander, qui mortalem, nam proſapiam neſcio quam ſempiternam Deorum mortalium delirabat: Xenophon, qui negavit ſimplicitatem, & octorerum ſupremos rectores aſſerendo, idololatriam novam induxit: Tales Mileſius, qui omnipotentiam negat, aſſerens, omnia Deum feciſſe ex aquâ increatâ; Zeno, qui Deo Spiritualitatem denegat, & corpus aëreum concedit; Alcmæon, qui ſolare; Parmenides, qui ſphæricum & lucidum: Pythagoras, qui eum formam mundi; Xenophanes, qui mundi materiam; Anaxagoras, qui hominum eſſe mentem credidit.

LXXI.

PHILOSOPHIA PRIMA: *ſeu* METAPHYSICA.

TAm variè traduntur Scientiæ, ut non facilè ſcias, quo illas nomine vocare debeas: Aliqui Primam ſeu ſummam Philoſophiam à Metaphyſica diſtinguunt: alii utroque hoc nomine eamdem Scientiam intelligunt: & his nos ſubſcribemus, & breviter diſputabimus de Metaphyſica.

Sanè Abſtractio negativa coordinavit Philoſophicas Scientias, quò enim ſubſtantia aut Accidens Phyſicum plures imperfectiones habet, eò ad inferiorem pertinebit Philoſophiam: & quo pauciores ad altiorem. Metaphyſica autem abſtrahit à Corporeitate, Vegetabilitate, Senſibilitate, Spiritualitate, Supernaturalitate, Infinitate, & ab harum formalitatum negationibus; & conſiderat ideas præciſas, omnibus ſyſtematibus (nimirùm, Inanimo, Vivo, Intentionali, Spirituali, Supernaturali, & Infinito) communes; quales ſunt Subſtantia (& in ipſa Subſiſtētia & Natura; Actus & Potentia) Accidens: Attributum: Magnitudo; Qualitas; Relatio: Exiſtentia, Duratio: Actio: Paſſio: Vbicatio, Situatio: & Habere.

LXXII.

PHILOSPHIA CHIMOERICA.

HVcuſque de Facultatibus contrahentibus Ens internis & poſitivis attributis, illudque ab internis negationibus & imperfectionibus abſtrahentibus breviter diſputavimus: operæ precium erit tranſire ad Scientias quæ illud contemplantur contractum extrinſecis denominationibus.

Glottoſophia, ſive Philoſophia Chimærica, Ens præditum denominatione extrinſeca, deſumpta à labio ſpeculatur. Contemplaretur Entia rationis, ſi darentur; ſed quia hæc revera non dantur, contemplatur ... linguæ

linguæ chimæras, & labii monſtra, quæ homines proferre ſolent. Ens linguæ definio eſſe duarum entitatum incompoſſibilium vocalis & poſitiva unitas & identificatio. Singula examinemus, & ut clarior evadat Diſputatio, unum Ens linguæ contemplationi proponamus: Sit hoc, *Album carens albedine*. Et eſt vocalis oratio conjungens & uniens vocaliter duos terminos contradictorios, & realiter incompoſſibiles. Ergo jam datur poſitiva unitas in ente-linguæ. Si quæras bonitatem & utilitatem in Entibus linguæ, non invenies; quia nihil reale & verum cauſare intrinſecè aut extrinſecè poſſunt.

Sed objicis primò; Malè dici non eſſe bona hæc entia linguæ, nam omne utile eſt bonum, & ipſa ſunt valdè utilia: cognitis enim falſitatibus faciliùs veritatẽ adſequimur. Secundò, non ſcis, cur debeat realitatis ratio illis negari, ſunt enim voces veræ & reales. Igitur, ſi reales ſunt, non conſtituent objectum novæ ſcientiæ, ſed ad Philoſophiam naturalem ſpectabunt. Tertiò, nõ ſolùm ſunt voces, ſed voces ſignificativæ, & ſignificatio aut eſt virtualitas, aut intentionalitas; res enim pro rebus ſuppoſitæ, virtualiter ſunt ipſæmet res, ita enim ſe habent, ac ſi eſſent res ſignificatæ, & voces etiam ipſæ vitales & animales operationes ſunt, adeòque non debent dici carere intentionalitate. Pertinebunt igitur ad Philoſophiam naturalem aut ſupernaturalem.

Reſpondeo ad primum, negando abſolutè entia linguæ eſſe utilia, & concedendo eſſe utilem illam notitiam quâ cognoſcimus eorum inutilitatem: non enim hoc ultimum pugnat cum primo. Incedendo igni nix inutilis eſt, & tamen prodeſt cognoſcere eſſe inutilem ad talem effectum producendum; quia aliàs prudenter experientiam faceret, & tempus & operam perderet, qui hanc inutilitatem neſciret. Cæterùm nemo dicet hanc eſſe bonam Conſequentiam, *Accenſuro ligno prodeſt ſcire illud nive incendi non poſſe, ne tempus perdas; ergo nix eſt utilis ut lignum accendatur*: ergo nemo dicet hanc, *Cognitio entium linguæ eſt utilis, ergo illa ſunt utilia*, eſſe bonam. Ad ſecundum reſpondeo diſtinguendo. Admitto enim entia linguæ materialiter eſſe ipſas voces, hoc eſt, fundari in vocibus, nego tamen ea formaliter loquendo aut voces, aut vocum ſignificationes eſſe; ſed dico ea conſiſtere in duarum rerum incompoſſibilium unitate: Hæc autem unitas voce reali exprimitur, ipſa tamen objectivè ſumpta impoſſibilis eſt. Hinc patet, quid ad tertium reſpondendum ſit, quia Entia linguæ, conſiſtunt formaliter in ſignificata unitate, non in voce ſignificante: quamobrem eſto vox realis virtualis, aut intentionalis ſit, aut non ſit, inde inferri non poteſt, intentionalem eſſe chimæricam illam unitatem voce illa reali ſignificatam.

LXXIII.

De Falſa Poſitione.

AB objecto ſic dicitur, quòd falſa ponat, inveniendæ veritatis causâ. Differunt Entia linguæ ab Entibus falſæ poſitionis primò: quia illa connectunt terminos qui ab intrinſeco habent incompoſſibilitatem; hæc verò terminos quibus non repugnat unitas per locum intrinſecum: hoc eſt, non repugnat niſi ratione alicujus realitatis aut formalitatis connexæ; quamobrem unitas Entium falſæ poſitionis major eſt unitate entium linguæ. Differunt ſecundò in bonitate; quia Entia falſæ poſitionis utilia ſunt graviſſimis quæſtionibus ſolvendis; at verò Entia linguæ inutilia: Aſſertiones omnes, quæ ad hanc Philoſophiam ſpectant, falſæ ſunt: ſed dividuntur materialiter in eis quæ ab extrinſeco habent quod nequeant eſſe veræ, & eas, quæ non habent ab extrinſeco quod nequeant eſſe veræ. Prioris generis eſt hæc poſitio; *Spiritus Sanctus non procedit à Verbo*; quæ falſa quidem eſt; & vera eſſe non poteſt. Cæterùm ſi; ut ait D. Thomas, repugnantia non conſiſtit in ipſiſmet terminis, ſed in aliquo terminorum attributo: hoc eſt in diſtinctione; putat enim Angelicus Doctor tam eſſe proceſſionem & diſtinctionem connexas, ut qui alteram auferat, & alteram auferre debeat. Sanè ſtando huic doctrinæ Spiritus Sanctus ſecundum ſe, prout dicit talem perſonam divinam, neque petit procedere à Verbo, neque non procedere; ſed petit eſſe actum ſubſiſtentem voluntatis divinæ; & quatenus conſideratur quà diſtinctus à Patre; petit procedere à Patre; & quatenus conſideratur quà diſtinctus à Filio petit procedere à Filio. Igitur hæc aſſertio, *Spiritus Sanctus quà ſpiratur à Patre; non diſtinguitur à Patre*; & hæc; *Spiritus Sanctus quà ſpiratur à Filio; non diſtinguitur à Filio*, ſunt Entia linguæ: quia connectunt contradicentia prædicata; at verò hæ *Spiritus Sanctus non diſtinguitur à Patre*, & *Spiritus Sanctus non diſtinguitur à Filio*; ſunt Entia falſæ poſitionis, connectunt enim terminos, qui ſunt incompoſſibiles per locum extrinſecum; quia ſi à Spiritu Sancto præcidas rationem proceſſionis, non intelligetur diſtinctus. Sic diſcurrere placuit; ad Thomiſtarum mentem; ſcio autem Scotiſtas aliter opinari: & ſcio etiam hanc doctrinam æquivocationibus eſſe expoſitam.

Sed dices, non poſſe illam rationem præcidi, quia illâ eâdem Spiritus Sanctus in eſſe perſonæ conſtituitur. Sed admiſſo conceptu perſonæ communis, poteſt facili negotio reſponderi aſſerendo ſpiratione non conſtitui Spiritum Sanctum in eſſe perſonæ divinæ, ſed in eſſe talis perſonæ, hoc eſt, in eſſe perſonæ diſtinctæ. Et negato perſonæ communi conceptu dici poteſt duas formalitates reperiri in omni relatione, rationem *in*, & rationem *ad*; ideòque in ipſa paſſivâ ſpiratione debere diſtingui *eſſe in*, ab *eſſe ad*. (diſtingui inquam aut præciſivè aut reduplicativè

cativè

cativè ſecundum diverſas opioinnes) & *eſſe in* conſtituere perſonam Spiritus Sancti, & *eſſe ad* diſtinguere: & cooc ludi hoo repugnare identificationem Spiritui Saocto, præciſo ab *eſſe ad* Spiratioois, quia ſi hoc *eſſe ad* per impoſſibile ille careret realiter, realiter careret diſtinctione.

Sæpè ſupponuntur falſa, ſed quæ nec ab intrinſeco, nec ab extrinſeco repugoaot, & tunc facilior procedit diſputatio, & aliorum aſſertorum implieantiæ ooſcuntur. Verbi gratiâ, impuguo te aſſerentem albedinem habere ſuum *ubi* intrinſecum, diſtinctum ab *ubi* ſubjecti, & arguo ſic. Si albedo careret illo *ubi*, modò ſubjectum informaret, eſſet ubi eſt ſubjectum; ergo ut ſit alicubi, noo indiget *ubi* diſtiocto ab *ubi* ſubjecti.

In Mathematicis diſciplinis frequentiſſimè occurrunt falſæ poſitiones, quas inveoerunt acutiſſimi artifices, ut propiùs veritatem accederent in rebus arduis. Sic cùm radices inquiruotur, inventi numeri ſupponuntur eſſe veræ radices, & multiplicatione adhibitâ examinatur, an numerum divilum attingaot, aut excedant ut multiplicc operatione examinatâ, oumeri veritati propinquiores reddantur.

Placuit falſas opiniones à chymæris diſtinguere, ut omnem hallucinationem proſcriberem: vidi enim ſæpè Viros doctos, qoi aſſertiones quaſcumque falſas ad Chymæras reducereot.

LXXIV.

PHILOSOPHIA VIRTUALIS.

COntemplatur id, quod virtualiter eſt Ens, id eſt, quod tametſi oon ſit realiter quale dicitur, oihilomioùs ita ſe habet, ac ſi quale dicitur, eſſet. Talis eſt *adoptio*, quæ eſt virtualis filiatio; quæ tametſi verè & realiter filiatio non ſit, ita tamen ſe habet, ac ſi realis & vera filiatio eſſet. Alibi ex profeſſo hanc difficultatem tractaturus; dabo aliqua entia virtualia, ut eorum quiditabus cognitis, aliorum meliùs ingenia cognoſcamus.

Epiſtola virtualiter ſumpta, eſt ille ipſiſſimus, cujus nomine mittitur; quia licet ipſe non ſit, ita ſe habet acſi ipſe eſſet. *Liber* eſt virtualiter ſuus author: quia ita ſe habet acſi eſſet author qui loqueretur. *Legatus* virtualiter eſt ille qui legat: ita enim ſe habet acſi eſſet legans. Similiter *habens procuratorium ab alio*, ut ejus nomine aliquid faciat, ex vi procuratorii habet, quòd ſit virtualiter ille ipſe qui conceſſit tale procurarorium; quia licet revera ille nou ſit, tamen ad effectum procuratorii ita ſe habebit, acſi omninò eſſet ille, qui procuratorium conceſſit.

Ferraræ coram Summo Pontifice inita fuerunt Regis Philippi III. & Margaretæ Caroli Archiducis filiæ, nec nõ Alberti & Iſabellæ Principum Belgii matrimonia per Procuratores. Primò enim Margareta nomine proprio, & Albertus nomine Philippi III. & deinde Albertus proprio, & Dux Albanus nomioe Iſabellæ contraxerunt. Et in primo contractu Albertus fuit virtualiter Philippus III. & in ſecundo Dux Albanus virtualiter fuit Iſabella. Cùm pater moritur ex vi repræſentationis filius eſt virtualiter pater ipſe, qui obiit: & tametſi realiter pater ſuus non ſit; omnia patris jura acquirit, & ita ſe habet, acſi ooo eſſet filius, ſed pater.

Si ad relativa deveniamus, *creari virtualiter* dicitur, qui virtualiter erat nihil io illo ordine ad quem promovetur. *Generatur virtualiter* qui adoptatur. *Occiditur virtualiter* qui in exilium perpetuum mittitur. *Actiones generoſa & infames*, licèt realiter tranſeuntes ſint, virtualiter ſunt entia permanentia: virtualiter enim perſeverant & ita ſe habent acſi non tranſiiſſent. Dum in Philoſophia Naturali diſputatur, utrùm ſit *potentia ad præteritum*? Virtualis illam virtualiter dari demonſtrat: ille enim qui alicujus peccati eſt reus, tametſi non poſſit facere ne illud commiſerit, tamen ſi veniam impetret, dicetur illud nou commiſiſſe virtualiter, ita enim ſe habebit ac ſi noo commiſiſſet. *Legitimatio* etiam poteotiam ad præteritum involvit: oothus enim verè ex illegitimo thoro natus eſt, nec poteſt Rex facere quod realiter fuerit ex legitimo oatus: at ſi legitimationem concedat, concedet quòd parentes virtualiter ſuerint coojugati, hoc eſt, ita ſe habeant, acſi conjugati fuiſſeot. *Ex vi* procuratorii, Epiſtolæ, legati, ſis virtualiter; quod realiter & verè nooes. *Et ex vi* fideijuſſionis habebit divitias quibus realiter caret; quia cùm aliquis fideiuſſor pro te compromittit, licet pauper realiter remaneas, ita te habebis ad effectum qui inteoditur, acſi realiter dives & opulentus eſſes.

Dantur etiam virtuales diſtinctiones & identificatiooes; multæ enim actiones phyſicè cùm unum & idem peccatum coоſtituunt, dicuntur virtualiter identificari: una, cùm eſt duplex peccatum, virtualiter à ſe ipſa diſtingui. Cùm pro animabus purgatorii oramus, ſumus in cauſa quòd ipſæ ſatiſpatiantur virtualiter, ac propterea ſatisfaciant formaliter, eſt enim formalis ſatisfactio quæ acceptatur ut ſufficiens, ſit ſatiſpaſſio virtualis aut formalis. Reges virtualiter ſunt in provinciis in quibus authoritatem habent, & omnia virtualiter examinaſſe dicuntur, quæ per Conſiliarios ſuos examinaruot.

Hinc patet Virtualium Entitatum ſyſtema eſſe ditiſſimum, nec reperiri realem aliquam formalitatem poſſe, cui non reſpoodeat altera virtualis ſeu moralis. E Philoſophia virtuali oritur Ethica, de quo jam ſcribo.

LXXV.

ETHICA.

SApientiã Poſſidoni Nymphę inſtar cõcipit, cujꝰ oervi & oſſa eſſẽt Logica, caro & sãguis Phyſica, animꝰ verò Ethica. Et meritò, quia ſicut oſſa dãt animali ſortitudinẽ, & nervi robur: illam ne timeat, hoc ut timeatur; ſic ſimiliter

ſapien-

ſapientia habet à Logica quod vinci nequeat, & vincere frequenter ſoleat. Qui Phyſicã eſſe Sapientiæ carnem & ſanguinem cũ Poſſidonio exiſtimet, altè intelliget Chriſtũ Petro (Matthæo teſte) dicentem: *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cœlis.* Hoc eſt, [Cùm me Filium Dei confiteris, non quæ naturalis Phyſica, ſed quæ ſupernaturalis Dei revelatio te docuit, proteſtaris. Beatus quidem es: Beatitudo enim vera in Dei revelatione conſiſtit.] Et rectè rerũ naturalium notitiam dices carnem quà ſolidam, ſanguinem quà ſubtilem. Sed neque hæc caro viva erit, ſi careat animo qui eſt Ethica. Ergo Philoſophus, ſi careat Logices peritia, erit debilis, & ſi mavelis ἄλογος: ſi non percalleat Phyſicen, erit exſanguis, ac proinde ſimilis moribũdo: & tandẽ ni Ethicis notitiis inſtruatur, erit exanimis, vel meliùs Hiſpanicè, *un de ſalmado*, id eſt, tantùm non atheus.

Cùm itaq; in Superioribus mentẽ tuam judicii oſſibus, & diſcurſûs nervis ornaverimus: cùm ne umbratilis eſſet, ideis phyſicis, ceu membris benè aptatis veſtierimus; ſupereſt ut breviter vivam reddamus, Ethiceo ceu Animum rationalẽ addendo, breviter inquam, quoniam occaſio & tempus nõ tolerat diſputationem prolixiorem. Rem fateor. Multa de moribus ſunt pulchrè dicta, quæ praxin concernunt, ſed quæ theoriam radicitùs examinent, vix pauca. Rem perſtringo: & ſic inſiſtẽdo meis principiis diſcurro. Ethicæ objectum, inquam, Virtus, Finis, Beatitudo: Hæc in ſummo Bono conſtituitur ex omnium opinione: cæterùm de hoc ſinguli diverſimodè philoſophantur. Summa Felicitas in ſententia Epicuri, Voluptas quælibet: in Dinomachi, honeſta: in Rodiani, Metaphyſica rerum notitia, atque Transnaturalis contemplatio: in Diodori, Fortunæ: in Theophraſti, Fortuna: Genius virtuoſus in opinione Stagiritæ: in Alcidami, Scientia: in Tiberinorum, Riſus: in Platonis, Vnio, ſeu Amor: in Biantis, Sapientia: Prudentia, in Boriſtenis: utraque in Thaletis Mileſii: in Pittaci, benefacere: in Ciceronis, quies otioſa: in Periandri, valetudo dives, & fortunata. Socrates, Empedocles, Zeno, & qui ab his Stoici, & Cinici ſummũ bonũ non niſi in virtute collocarunt: hæc definitur: Tẽperies, ſeu tranquillitas Animi moderans actiones naturales ex præſcripto Rationis.

Ipſe tamen Pythagoras rem altiùs conſiderans, hoius vitæ ſummam felicitatem aſſeruit conſiſtere in virtutis præmio. Addidit virtute homines perfrui non poſſe: ex intrinſeco enim ingenio poſtulat ut ipsâ utamur. Eâ mediâ patet homini aditus ad ſummum bonum, quod in præmium Virtutum divinitùs nobis conceditur.

Moralis Philoſophia in varias partes diſtribuitur, ſed præcipuæ ſunt Oeconomicæ, quas uberioris doctrinæ cauſâ adiungo & expono.

LXXVI
Oeconomica.

ARs eſt familiam & inferiores gubernandi. Ita Stagirita *Lib. 1. Oecon.* & Xenophon *de dictis & factis.* Eius ſpecies: Adquiſita, Dominatrix: Paterna, Matrimonialiſque.

Adquiſita Oeconomia Ars benè gubernandi rem domeſticã, ut fortunis proficias, & veteres divitias tuearis. Eius finis, cõſervatio ſalutis, cõmendatio honoris, filiorũ educatio. &c.

Dominatrix Heriliſque, ſervos & famulos reſpicit, & reſidet in Domûs capite. Illam definiam, virtutẽ animi, dirigentem Domûs Antiſtitem, ut ſervos & famulos benè gubernet. Habet bonos famulos, qui eſt bonus herus, & bonus eſt, qui hæc bina theoremata obſervat.

I. *Stipendia temporibus ſtatutis perſolvito*: illi enim, quibus non ſatisfit, non ſatisfaciunt.

II. *Ne credito ſecreta famulo, ne fiat ſuperior*, qui enim honorem ſuum crediderit famulo, ſemper eſt in diſcrimine: ac propterea non iam famulus à Domino, ſed is ab altero dependeat neceſſariũ eſt.

Paterna eſt ſimilis Dominatrici. Actiones Patrum dirigit, quæ erga Filios. Inſtruit ut aptè educent, benè inſtituant; ſtudioque illi applicent, quod illorum ingenio conveniat.

Dubitant aliqui: utra ſit major poteſtas, Paterna an Dominatrix? Perſæ teſte Ariſtotele *Ethicorum octavo* in hac fuerunt ſententia, ut crederent, majorem ſe in Filios habere, quàm in mancipia, & famulos juriſdictionem: ideò proles crudeliſſimè ſæpiùs tractabant. Cæterùm carebant Paternâ Oeconomiâ. Hæc dictat Poteſtatem Patrum in Filios eſſe ſummam, utpote & Politicam, & Naturalem: verùm ſummè ſuavem; ſunt enim ſoboles paterni cordis fruſta, atque ideò ſummè debent diligi, dirigi ſummâ curâ, ſed non ſummâ tyrannide.

Matrimonialis Maritum atque Vxorem reſpicit, & in alterutro conſiſtit, dirigens alterutrius actiones, quæ erga alterũ. Ideò nec malè hanc divides in Maritalem & Vxoriam.

Maritalis eſt advertentia quæpiam dictans Viro qualem ſe debeat exhibere erga Coniugem. Faciet obligationi ſatis, ſi animadvertat Fœminam non de pedibus, nec de capite Iovis (ut de Minerva crediderat olim antiquitas) ſed de latere mariti natam. Hinc conſtat non debere ſupponi pedibus, non ſuperponi capiti, ſed haberi quaſi collateralem:

Mulieris eſſentia, quæ? dabo non ut fœmineum ſexum vituperem, ſed ut homines cautiores reddã. Eſſentia dicitur quæ abeſſe non poteſt, ſi quid enim à ſubiecto abfuerit, nõ tã dicetur eſſentia, ſed attributũ ſeparabile contingenſq;. Eccho Nympha pulcherrima veterẽ explicat difficultatẽ. Mulier effingitur; cerneos tamẽ corpore, animo, vitâ, nõ voce. Mulieris ergo eſſentia cõſiſtit in hac ultima, quæ nõ poteſt deficere abſq; ſubiecti corruptione, nõ in corpore, aut animo: nõ in ſenſibus ſalute, aut vita, hæc etenim deficiũt in Ecchone, dũ mulier remanet. Lauda acumẽ: ride mecũ cõceptũ, rogo, fateor ſed quia ridendo dicere verũ nemo vetat, ita cõceptui adride, ut etiã monito inſtruaris. Vxor tota vox eſt. Ne examines, quæ poterit extraneis dicere aut nõ dicere, quoniã nihil nõ dices: ideò quæ volueris ab ea taceri, tace. Iudiges ſũma curâ. Coſta ita

natur diſponen. prope cor habitat,& aquilineis oculis ipſius actiones intuetur. Time tibi a tua coſta. Cor flammis amoris obnubila, ut illa in tuo ſemper iſtum reſpiciat, præter hunc nihil aliud.

Oeconomia uxorica omnes actiones fœmineas benè dirigit, quæ erga Maritum. Plura à pluribus requiruntur in Fœmina ut benè audiat: ſententia mea facilior eſſet & requireret multò paucior...

Prima uxoris virtus, reverentialis amor, qui eam ſollicitat, ut ſponſo uni placeat. Vt hanc obtineat, indiget prudentiâ ac providentiâ ſummâ. Diſplicet nemini, quæ peregrinò nemini placere curat.

Altera Virtus, obediat Marito, & reliquis domeſticis jubere. Obediat, jubeat, ſed prius obediat ut noſcat, quid debeat jubere.

Tertia, Agat domeſtica, & ni cauſa detur quæ urgeat, ne limina domûs excedat.

Fœminam in teſtudine pingebant Veteres ne domo excederet. Adrianus Iunius *de uxoriis virtutibus emblemate* 50.

Teſtudo premitur pede, clavem dextra retentat;
Vacat obſtruendo dentium ſepto altera.
Ne vaga diſcurſet conjux, nen futilis eſto.
Ipſamque curam opum tuendarum addecet.

Admitrunt Emblema Gyrovagæ; negant expoſitionem. Seſe exponunt cathedræ ſapientiæ myſticæ atque expendunt ſymboliſmum ſic. Pingitur mulier teſtudini inſiſtens, quod hæc animâs, nomenclatore Pacuvio, cùm ſit tardigrada, ſerò priſtino loco reſtituatur; & Mulier ſemel egreſſa non niſi ſerò revertitur in propriam domum. Obturat os digito & claves habet, ut innoteſcat ipſam ſilentium ſemper aperire, ſecreta reſerare. Idcircò conſervatæ figuræ emblematis aptiùs lemma præponeres *Vxoria vitia*, ſupponeres Decaſtichon expoſititium.

Teſtudo pedibus premitur: fere dextera clavem:
Ora locutura læva tegitque manus.
Cur hanc uxori dedit ætas priſca figuram?
Es, qui hoc exponas, alter Apollo mihi.
Reſp. *Tarda domum ad propriam teſtudo revertitur. Inde*
Quis neget uxores hoc animante vehi?
Inde ex ora premens ſecreti eſt omnibus index
Aſt famæ patulæ ſimbola clavis habet.
Symbola ſecreti & famæ confuderit uxor,
Namque tacenda refert, & referenda tacet.

Scio eſſe mulieres nonnullas prudentiſſimas, ſed quia hæ paucæ, volui urgere illa vitia, quæ videntur tranſcendere ingenia & mores plerarumque.

Politica Oeconomiæ pars, quæ reſpicit integrâ Communitate, eſt triplex: in Communitate enim imperii clavũ tenet vel unus, vel meliores, vel omnes. Cùm unus ſolus præeſt vocatur *Monarchia*; cùm meliores gubernãt, *Ariſtocratia*: cùm Populus, *Democratia*.

Quæritur [illegible] melior, & populis ſervandis aptior: Solô, Licurgus, Demoſthenes, Cicero, & ferè omnes antiqui *Ariſtocratiam* præponunt aliis: juniores *Monarchiam*. Athenæ Democratico regimine floruerunt olim: hodiè multæ Reipublicæ liberæ in Europa. Hoc regimen prætendunt inviris iure & lege Status Hollandici, & Zelandici, utpote liberius & minùs ſervile. Meâ ſententiâ unaquæq; Provincia Leges avitas, & ritus veteres tueatur, quibus non poteſt deficere quin ſibi. In legum mutatione talia & tanta inconvenientia experimur, ut præſtet leges minùs convenientes aliquando teneri, quàm in inconvenientiores mutari.

Condemnat Democratiam Cicero *in Epiſtola ad Planc.* & *in Politicis* Stagirita, ſi decernendi ratio committitur vulgo: ſed in ſummis Cõciliis hæc politica praxis ſervatur. Dividitur Populus in claſſes ſecundùm profeſſiones & officia. Harum quælibet ſecretis vocibus eligit meliores in Antiſtites & Conſiliarios. Cum occurrit negotiũ ad unã hominum ſeriem pertinens, illius Antiſtes & Conſiliarii decernunt deciſivè: cùm publicum, determinant omnes ſimul officiorum Antiſtites, & ſic Democraticũ ſubſiſtit regimen ſine tumultu; cui obnoxium eſſe ſolet, ſi aliter diſponatur.

LXXVII.

Artes hæ Philoſophicæ

QVarum olim Profeſſores in pretio, hodie lugent diviti ignorantiæ poſtpoſitæ. In hoc Ethnici æquiores videntur quàm Chriſtiani: teſte enim Plinio, oratio una Socratis talentis viginti vænibat, hoc eſt, ut multi putãt, ſcutis millies duodecim. Hodiè vix venirent uno ſcuto millies duodecim Socratis Orationes: nam ſi venirent æſtimandæ, ratio chartæ & operarum, non verò eloquentię haberetur: Pompeius tanti fecit litteras, ut poſt bellum Mitridatis Poſſidonium inviſerit febre moleſtâ laborantem. Tyrannus fuit Dionyſius, non Platoni: vel ſi illi, non ſemper. Hunc accerſere juſſit in Siciliam; venienti obviam egreſſus locum ceſſit in ſolio, quem antea nulli. Theophraſtus habuit Diſcipulum Anonymum, ſcriptis notum, cui Athenæ ſtatuas trecentas erexêre. Naſcebatur Philippo Alexander ille, quem capere non potuit totus orbis; & lætabundus ſenior expoſuit hilaritatis cauſam. *Eſt mihi ſummo gaudio*, ait, *non Genethlia Alexandri, ſed una ſapientia Stagiritæ: non recrearet me dediſſe Regno filium, ſi non inſtruendum ſublimi doctrinæ magiſterio.* Phyſici libri (octoginta (aliàs octingentorum) talentorum vocantur, quòd tanto donatus fuerit Ariſtoteles pretio, cùm Alexandrum doctrinam cauſarum edocuit. Trajanus Hiſpanus, virtute duce, atque fortunâ comite ad thronum imperialẽ venit, ſed in carpento admiſit Dionem, quamvis pauperem, qui ex Primoribus Imperii neminem: Pythagoras denique in tali apud Samios & reliquos æſtimatione fuit, ut ſemi-Deus audiret, & templo divinoque honore coleretur.

Ægyptus honore celeberrimo proſequuta fuit Geometras. Poëſis apud Italos donata præmiis, ac ideò arguta perfectione ſub Cæſare Auguſto. Traianus veneratus eſt Iuriſprudentiam, hinc hæc viguit ad Antonios & Gordianos Gentis

togæ.

rogaræ imperatores. Alexander tanti Appellem fecit quâ Pictorem; ut prodigus communicaret Coucubinam; Cuipiamque Muſico Civitatum quatuor vectigalia dediſſe legitur Marcus Aurelius.

Gentes divinis honoribus coluerunt Inventores Artium & Facultatum. Videlicet, Neptunum Antiſtitem navigationis, Mercurium Inventorem Rhetorices; Medicorum Genearcham Apollinem; Vulcanum cujus induſtriæ indomitum ferrum obediit; Cererem Inventricem Agriculturæ, Dianam Venatricem; Bacchum, cui debebant vinum; & Minervam, cui Scientias. De horum diſcipulis Spiritus Sãctus (Eccl. 38.) *Omnes hi in manibus ſuis ſperaverunt, unusquiſque in Arte ſua ſapiens eſt: ſine his non ædificatur Civitas.*

Superſedeo igitur ab hujuſmodi ponderationibus. Dantur temporum regionumque propriæ virtutes, propria vitia. Illi fuerunt priſci ſæculi mores, aliter omnia noſtrâ ætate: hodie magnifit ignorantia, & omnis doctrina contemnitur. Olim Cæſares & Moderatores provinciarum dabant operam Philoſophiæ, & hodie ad lauream promoveri eſt dedecus, dare operam literis eſt ignominia; malos formare characteres eſt honos: & qui ſe ſtupidiorem univerſis ſentiſcit, hinc vanam gloriam alit, & omnibus eruditis inſultat. Projicio calamum; indignatio enim impedit, ne plura ſcribam.

DISPUTATIO IV.

De Artibus Vanis, Superſtitioſis, Magicis.

SApientibus & inſipientibus debitor ſum; bonis & malis. Debeo ita viris doctis ſcribere, ut non ſim illis nimiâ rerum ubertate moleſtus: ita indoctis, ut ſufficientia edicam, & nihil omittam neceſſarium: bonis, ut dem ſufficientes notitias, quibus ſe munire & roborare contra ſuperſtitioſos poſſint, ne incautè decipiamur: malis, ne ita impugnentur artes malæ, ut earundem ſimul uſus & praxis tradatur: ſi enim id faceremus, ab uti poſſent ſcelerati, & ſiniſtrâ manu excipere, quæ dextra ſcripta. Omittam igitur ſuperſtitionum formulas, & præcipuas ſemper circumſtantias reticebo, Stanium, Stengelium, Sanchez, Delrium, Leſſium, aliosque viros pios & prudentes ſequutus, qui aut ex profeſſo, aut occaſione ſuccurrente de Artibus malis diſputarunt. Eorumdem veſtigiis inſiſtens, ita generaliter loquar, ut cauti reddantur viri boni, & non erudiantur viri mali. Singula artes ſuperſtitioſæ multis foliis a ſuis Authoribus traduntur: & à nobis nominabuntur, aut etiam paucis verbis condemnabuntur; Sufficit enim erudito Theologo earumdem nomina & objecta cognoſcere, & expedit omnia illa ignorare, ſine quibus ad praxin reduci non poſſunt: Monito iſto præmiſſo ad ipſas Artes Vanas, Magicas & Superſtitioſas deveniamus.

LXXVIII.

PRofitentur Naturales Scientias viri fœminæque; hæ ſunt paucæ, illi plurimi; ideòq; Sybillarum numerus parvus, magnus Philoſophorum. Profitentur Magicas viri & fœminæ: hæ ſunt multæ, illi pauci; ideòque plurimus eſt Sagarum numerus, Magorum parvus.

LXXIX.

De Magia nomine, definitione, diviſione.

PErſicum creditur, & olim in bonam partem ſumptum fuit; jam eſt ſuſpectum, & abſolutè poſitum illicitam Artem ſignificat, nam licita non jam *Magia* abſolutè, ſed *Magia naturalis* vocatur. Magia igitur generatim & in communi, *eſt Ars mira quadam & inſolita efficiens, quorum ratio ſenſum & vulgarem hominum cognitionem ſuperat.* Et eſt duplex; Speculativa & Practica: illa tota eſt in ſecretis noſcendis, hæc in miraculis patrandis. Poſſunt quidem vel ſecreta cognoſci, vel mira fieri concurſu divino aut angelico, dæmonum ope, aut etiam virtute naturali; unde triplex oritur Magia; *Supernaturalis, Contranaturalis, Naturalis*; ſive *Divina, Diabolica & Humana.*

Supernaturalis & Divina vix *Magia* dicitur; eſt enim ita ſuſpectum hoc vocabulum ut illo non audiam[illegible] cùm de divinis revelationibus & miraculis agimus. Naturalis in penitiore Philoſophia conſi[illegible] & Diabolica Dæmonom gradicitur, quod à pacto implicito aut expreſſo dependens [illegible] locet Dæmonum operam, & mira revelet aut faciat. Et quia ſæpè contrariis rebus utitur, quàm ad regulas Philoſophiæ deberet *Contranaturalis* vocatur.

His tribus Magiæ ſpeciebus quartam addo, quam *vanam* dico, cũ ex errore aut malitiâ fruſtrà effectus intenditur: nam ſi nivem ligno applicares, ut id per [illegible]ſtaſin accenderes nec res voto ſucced[illegible]ret, non dicerem te patrare miracula, non uti cau-

cauſarum ſecundarum virtute, non ope abditi Dæmonum, ſed decipi, & antiperiſtaſis vires non habere exploratas. Hinc eſt vanitatem à Superſtitione debere neceſſariò diſtingui, multa enim vanè procurantur, quorum inefficacia demonſtrat diabolicum abeſſe concurſum. At ipſo Vanitatis affectu poteſt & ſolet imbibi impoſtura, aut etiam ſuperſtitio; illa, ſi quiſpiam ſciens & volens cauſis vanis utatur animo decipiendi; hæc ſi conſcientiâ erroneâ opem Dæmonum, ubi nullum intervenit pactum, ſperet.

Primò igitur Magia Diabolica eſt illicita, non enim homo poteſt inire pactum cum Lucifero, nec ejus commilitones implorare. Secundò Magia naturalis, tametſi per ſe licita ſit, illicita poteſt eſſe per accidens; nam, ut optimè notat Carolus Stain in ſuæ Dæmonomagiæ Theſi V. ideò aliquando ſatis periculoſa eſſe cenſetur, quod Homines curioſi non ſatis unam ab altera diſcernentes, aut non ſatis diſcretionem curantes, facilè ad ſuperſtitioſam effectu aut affectu deflectant. Teriò denique homo peccator, qui citra conſilij ſuperioris impulſum vult aut habere revelationes cæleſtes, aut patrare miracula, temeritate aut præſumptione carere non ſolet; unde etiam viris ſanctis conſulitur, ut intra regiam viam ſe contineant & humanæ fragilitatis conſcij nec revelationes ambiant, nec miracula orare præſument.

LXXX.

De viribus Naturæ & Dæmonis.

SI Judex ſis, & ſuperſtitiones examinare & diſcutere debeas, ante omnia factum ipſum examina; fruſtrà enim de Jure controvertitur, ſi non eſt deciſa quæſtio facti. Multa falſa narrantur, & Dæmoni, aliàs nocentiſſimo, multa imponuntur; quam ob rem, ſi effectus ſubſequutus non fuerit, vanitas eſt urgenda, non ſuperſtitio, non miraculum. Si de effectu & cauſis conſtet liquidò, examinandæ ſunt Naturæ vires, temerè enim adſcriberetur Dæmoni, quod haber connaturales cauſas. Etiam cognoſcendæ ſunt vires Dæmonis, nam ſi effectus has ſuperet, ad miraculum recurrendum eſt. Ar fateri debemus nobis eſſe ignotos omninò multos Naturæ effectus, & ſæpè etiam nimium deferri Dæmoni; fortè enim Ariſtotelicis præceptis Naturæ potentia non clauditur, & fortè eſt Diabolus impotentior quàm creditur. Scio hanc rationem diſplicuiſſe Stengelio *de malis Artibus Theſ.* 24. at ego exiſtimo non poſſe prudenter aſſerere Bajonam non eſſe in Hiſpania, qui limites regionis ignoret; adeòque nec poſſe niſi temerè dicere hoc aut illud eſſe ſupra naturæ vires, qui iſtarum terminos exploratos non habeat. Si occulta & ignota naturæ potentia clypeus ſit, qui omnes ſuperſtitiones protegat, ut multi objiciunt, dicam hæc ipſa verba ab ipſis ope Dæmonum dici, cogamque ipſos rationem habere naturæ, ut ſuam innocentiam defendant. Volo tamen notari, illa ipſa quæ vires naturæ evidenter exſuperant, non debere ſtatim ſtygiæ acceuſeri potentiæ, dantur enim veneficia & miracula & utraque præter curſum naturæ. Sed quo poterunt modo internoſci? Do regulam. Sanè ſi in effectu ipſo reluceat aliqua circumſtantia moralis, intrinſeca aut extrinſeca quæ ſit peccaminoſa, ille à Deo non eſt, ſed à Dæmone potiùs, ſi Naturæ virtutem ſuperet, non aliàs. Omnipotentiæ etiam effectum denego, ſi videatur inutilis, ſi imprudenter elicitus, ſi lucri gratiâ, ſi à perſonâ ſuſpectâ. Notandum tamen eſt hos effectus magicos & ſuperſtitioſos, qui patrantur concurſu Dæmonis, ſimul eſſe naturales & contranaturales, contranaturales quidem, ſi comparentur cum cauſis, quas Magus adhibet, & naturales ſi cum illis, quas ſecretò Diabolus applicat, non enim aliter is videtur procedere, quàm per motum localem activa coaptando paſſivis. Pono exemplum. Laborat morbo periculoſo Fridericus, & Medea quædam abſentem muſſitatione dictionum barbararum recurat. Video illum convaluiſſe, & admiror (nam ſi ille non convaluit muſſitatio Medeæ vana fuit, at verè ſuperſtitioſa non fuit) & dico Dæmonem expertiſſimum medicum ad verborum præſentiam pharmacum ſalutare applicuiſſe & hujus virtute Fridericum curaſſe: addoque ſalutem reſtitutam poſſe comparari cum pharmaco applicato à Dæmone, & cum oratione barbarâ prolatâ ab anu: primoque ſenſu connaturalem eſſe, non ſecundo. Fugare enim morbos non ſolùm ſupra ſed contra vocum divinitùs non elevatarum vires eſt, nam ſicut repugnat candelam lucere quin ardeat, ſic etiam illa verba eſſe phyſicè ſalutifera, quin ſint cælitùs elevata: verba enim non habere connaturales vires quibus abſentem curent, clariùs eſſe luce meridiana ſupponitur. An verò vires habeant, quibus præſentem curent, altioris indaginis eſt, & alio loco examinandum.

Sed cur Dæmon opem locat veneficis? An-ne ut illos decipiat & ſecum in infernum importet? Poſſem aſſerere; ſed ut video eminentiorem ſibi finem Angelus damnatus proponit. *Similis ero altiſſimo*, dixit olim; & quia ubi ceciderit lignum, ibi remanet, impœnitens & pertinax, toto niſu & ingenio hanc ſimilitudinem ſemper affectat. Inſtituit Sacramenta Deus, initoque cum hominibus pacto ad aquæ præſentiam lavat animam, ad olei præſentiam firmat fidem, & alia multa præſtat in ſingulis, quæ quia naturæ vires ſuperant, dicuntur ſupernaturalia: & Dæmon ut ſimilis habeatur Altiſſimo, pacto expreſſo aut implicito obligatur, & poſitis inſenſibilibus concurſûs ſenſibilibus ſignis ſe Deum mentitur, & prodigia ſtupenda operatur: unde meritò Gabriel *diſp.* 8. *quæſt.* 2. *artic.* 4. & ex eo Georgius Stengelius *diſp. de bonis artibus in gen. Theſ. XL.* docuit quod ſicut Deus producit principaliter aliquos effectus gratiæ mediantibus ſenſibilibus Sacramen-

mentis, & ſacramentalibus, non tanquam ſuapte naturâ ſufficientibus, ſed tanquam ſignis effectuum; ita etiam Dæmon mediantibus ſignis (ad effectum producendum) inſufficientibus operetur.

LXXXI.

Examinatur P. Caroli Stain Dæmonomagia.

Dilingæ Anno M DC XXX. ad diem Junij 25. Præſide Carolo Stain S. I. Joannes Jacobus Langius diſputavit de Dæmonis viribus, & quia illas meritus fuit legibus Peripateticis, aut fortè ſtrictiùs, tota illa Diſputatio recognoſci debebit, ut clariùs Luciferi potentia, aut impotentia cognoſcatur. Judicis aſſumit officium, & Theſi VIII, ait. [Diabolicæ & ex Medææ Schola cenſentur eſſe variæ præcantatricum anicularum contra morbos aut vulnera preces, vel omninò falſæ ac fictæ, vel veræ quidem falſis permixtæ, ut Chriſtum habuiſſe ſpaſmum, febres &c. cum ſitu corporis diſtorto, clauſis oculis, inceſſu retrogrado, certo die, horâ &c. ſine reſpectu ad particulares cœlorum ac ſyderum influxus recitatæ.] Ego quidem in omnibus his quoad ſubſtantiam Staino aſſentior, ſed quia non-nulli contradicunt, judicium illorum ſubjicio. Sic inquiunt. [Verba præſcindendo à ſignificatione ſicut colores & odores ſuas habent activitates phyſicas, quas probat ſtridor, qui artus humanos concutit; firmant ſybila, quæ tauros, canes, & multas animantes irritant, confirmat Tarantula Apuliæ aranea, cujus virus ſoli Muſicæ cedit, vocumque tonum & conſonantias, non verò ſignificationem reſpicit. Sanabitur igitur naturaliter à Tarantula punctus, ſi aliqua præcantatrix anus debitâ armoniâ moduletur, dicat vera vel falſa. Hinc eſt, quod aliquando voces barbaræ poſſint efficaciores eſſe cultis & eloquentibus, nam ſicut pharmaca ſunt barbari & amari quidem cibi, ſic etiam poſſent prodeſſe inconcinni clamores. Si dicatur vox non habere vim quà ſonus, ſed quà dictio, non ſtatim falſa credenda eſt periodus illa, quæ vel ſit contra Ariſtotelem aut juniorum Scholas. Et ne ab exemplis à Staino poſitis recedam, poſſet aliquis fortaſſe dicere demonſtrari non poſſe Chriſtum Dominum nec febrem habuiſſe nec ſpaſmum? docent enim expertiſſimi Medici neminem mori ſine febri, aſſeruntque nervorum contradictionem dici ſpaſmum; nec video cur debeat dici miraculosè factum ne Chriſti in morte turbarentur humores, aut contraherentur nervi: nam qui ab intrinſeco morbos non habuit, habere potuit miſerias ab extrinſeco; & tunc ſpaſmus, febris, in Chriſto eſſent vulnerum accidentia, non morbi. Sed quia forſitan verba aliter ſumis, hoc non urgeo. Nec condemnanda omninò eſt dierum & horarum diſcretio; morbus enim diem à die, & horam ab hora diſcernit, & debent voces ſequi morbi viciſſitudines, ſi medicinales credantur. Cæterùm cùm reprobata à Staino non reprobo, non ſtatim ſingula approbo; video enim in Hiſpaniâ coram Inquiſitorum oculis Salutatores & Pſalmiſtas permitti (hoc eſt, nec approbari nec reprobari) quorum illi flando, hi muſſitando, ægros à medicis ſæpè derelictos recreant, nec ſuperſtitioſi judicantur. Porrò diſtortus ſitus corporis ſæpè eſt neceſſarius in cantu, nec eum damnare poterit qui cantum approbet, nec omninò varium corporis ſitum condemnat Eccleſia, in qua genibus flexis, inclinato capite, brachiis extenſis & aliis modis multi pſallunt. Clauſi oculi, fortè devotionem arguerent, & regreſſus maneret, qui dici poſſet circumſtantia vana & inutilis; nec ideò tamen deberet virtus naturalis damnari.] Hæc ab aliis ſint dicta; fateor enim mihi omnem in oratione cæremoniam & circumſtantiam diſplicere, de quà pietas non poſſit rationem congruam dare.

Sed Stainus progreditur. [Superſtitioſi quoque ſunt, inquit, triveneficarum characteres caballiſtici, verba exotica, figuræ Aſtronomicæ, periamata faſcinationum, & periapta ligaturarum, rhythmi, contactus, inſufflationes, oſcula, halitus, oſcitationes, ſigilla, numeri arithmetici vel muſici quà tales. Item numerus theſſerarum, etſi temerariè jactarum ſemper certus & optatus, ſpecula, ſchedæ paſſim collo appenſæ; furcarum, felium, caprarum &c. inunctiones, aliaque ſexcenta præter Eccleſiæ morem & approbationem adhibita, nullam per ſe hujuſmodi effectus phyſicam ſibi proportionatam producendi vim habentia.] Et meritò, ſi nullam habeant vim; ſed hoc ipſum non videtur in ſingulis debere ſupponi. Eſto phyſicâ virtute careant reliqua, cur hæc verbis, rhythmis, muſicæ, contactui, inſufflationi, characteribus, ſigillis, & ſchædis abſolutè negabitur? De verbis, ſtridore, ſybilo & muſica jam dixi, venio ad contactum, audioque Galliæ Regem multos morbos manuum tactu curare, & uti ſolere iſtâ verborum formulâ, *Ego te tango & Deus te ſanat*, non enim incredibile eſt dari etiam hodie in Eccleſia ſanandi infuſam gratiam; nec ſi datur, aliud quam contactum requirit. Inſufflatione merâ curant ſalutatores in Hiſpania, quos tamen Reſpublica permittit ut dixi: Schedis legimus viros ſanctiſſimos, & ſpecialiter D. Bernardum fuiſſe uſos; & characteribus qui neget efficaciam, debebit mihi dicere, cur Planetæ corpore invariato, ſi tamen in triangulo ponantur ſint benefici, ſi in quadrato maligni; non enim obſervo quidpiam in toto cœlo præter figuras alterari; & ſiquidem in Lunæ motu evidenter videmus vires & activitatem variari, debebimus virtutem efficaciamque characteribus & figuris adſcribere, vel iſti rationi reſpondere. Et quidem ego libenter viderem hujus ſolutionem inſtantiæ, tam parvi enim characteres facio, ut ſi experimentis non convincerer, variatis lineis & angulis variari vires planetarum negarem. Sed neque videntur rationes graves aliquæ adſtrui contra ſigilla: nam ſi in nativitate infans haurit Planetarum influxû (quo tametſi non ligetur libertas, humores corporis ad tale aut tale temperamentum reducuntur) cur non poterit eundem haurire metallum

ſtallum liquidum, & ſi frigeſiat, conſervare. An non ferrum ſi ignefiat, lineam meridianam ambit, licet non tangatur magnete? cur ergo non poterunt in aliis metallis aliæ elementorum ſigillari virtutes, aliæ reponi qualitates? quam ob rem auderem ego dicere, ſigillorum virtutem fortè eſſe nullam; & ſi qua ſit non poſſe ſufficienter probari aut improbari.

Statim & meritò ſuperſtitionis arguit, ſi cerea hominis imago pungatur in Italia, & dolorem ille ſentiat in Inſula; ſi ſcamni pes pannis hîc involvatur, & læſus longè diſtans ſanetur; non enim videtur id provenire ab aliqua cauſarum ſympathiâ; addit tamen [Dæmonis opus eſt ſi plenam Lunam alloquaris Dilingæ, & forſan quædam Empuſa Pariſiis ſtatim rem intelligat, eodemque interprete ſydere tibi reſpondeat.] Et quidem vera eſt hæc doctrina, me judice, tametſi contra plurimos, qui putarunt litteras inſcriptas ſpeculo, poſſe naturaliter in Lunam dirigi; & inde in aliam regionem refringi, & amico artis conſcio communicari, contra quos doctè multi & præcipuè Athanaſius Kircher Artis magnæ lucis & umbræ libr. . cap. . & ante eum Georgius Stengelius de malis Artibus Theſ. XIII. ſic inquiens. *Homines ſpeculis ludunt; ſed & hoſtis hominum id facit, dum lunaticos quoſdam jubet animi ſenſa ſanguine in chartâ conſignare & Lunæ oſtendere, unde Luna velut ſpeculum legenda omnia refundat etiamſi ſcribens in Italia, legens in Germania exiſtat. Quaſi ſpecies litterarum tam minuta in tanto ſpatio non evaneſcant?* Franciſcus Aquilonius *libr. 5. opticor. propoſit. 56.* docet convexa ſpecula, quale eſt etiam corpus lunare, longè diverſum effectum edere ab illo qui à ſpeculis planis producitur; nam plana ſpecula res objectas eâdem magnitudine per imaginem reddunt, niſi quòd quantum hæc aſpectantis receſſu ſecundùm apparentiam minuitur, tantum res ipſæ longiore receſſu minores videntur. Specula verò convexa res exhibent multò, quam reipſa ſint, minores, ac tantò etiam idola attenuantur magis, quanto res ipſæ longiùs à ſpeculo abſiſtunt. Ex quo infert, cum tanto intervallo Sol à Luna diſſideat, ſi quis juxta Lunam ſtaret, & Solis imaginem intueretur, fore, ut ne minimæ quidem ſtellulæ magnitudinem Solis phantaſia exæquaret. Cùm autem & nos tantâ iterùm intercapedine à Luna abſimus, tam exigua erit ſolis imago, ut viſum fugiat. Quid igitur è tanto ſpatio hinc uſque ad Lunam, & inde uſque in Italiam de litterula tam exigua apparebit; quam ne ad 10. paſſus quidem conſpicimus? Theſſala & illa ars eſt, flammiſque illuſtranda, quâ fures in cryſtallinis pilis veratricum, abſenteſque in ſpeculis exhiberent videndi. Licet enim ſpecula quædam certis locis diſpoſita ſibi mutuò ad aliquod ſpatium imagines tradere poſſint: hoc tamen iſto modo non peragitur; ſed imago excitatur in ſpeculo, quâ punctim vulnerata, is, qui omninò procul abſens eſt, quique ſpeculo ſuas ſpecies non injicit, vulnerari (in diſtans) putatur. Quibus qui naturam ſauciari non intelligit, plus plumbi in ingenio, quàm in ſpeculò ſuo habet. Verè enim Aquilon. *libr. 1. propoſ. 94.* ait, eos, qui ſenſerunt rem abſentem videri poſſe, naturarum intuitus vel non conſideraſſe, vel penitùs ignoraſſe, nam externus ſenſus ſuapte natura fertur in objectum, ut hic & nunc colore, figura, ſitu, magnitudine, cæteriſque corporeis proprietatibus affectum eſt, atque adeò quatenus tanquam præſens repreſentatur.

Deinde idem Stainus ait: [Nullus Magus licet omnibus Orci viribus adjutus, nullam quantitatis vel materiæ partem, aut indiviſibile producere vel deſtruere poteſt; nec ut materia pluribus formis ſubſtantialibus ſimul informetur; vel aliquid propriè effectivè producat; vel omni formâ nodetur efficere.] potuit addere. Nec quòd detur ſuppoſitum ſine naturâ.

Sed hîc video grandinem probabilium opinionum, & quæ concedi in dubio poſſent, aut etiam in dubio negari. Hoc non eſt impotentiam Dæmonis, & naturæ reſiſtentiam componere, ſed cum placitis propriis comparare. Quoniam juxta probabilem multorum illuſtrium Scriptorum ſententiam rarefactio fit productione novæ quantitatis: Cùm continuum dividitur indiviſibile continuativum deperit, duo nova pullulant, & neceſſarium eſt, unum indiviſibile materiæ corrumpi, duo terminativa aggenerari. In eodem homine Scotiſtæ præter animam rationalem formam corporeitatis collocant: & Patres Salisborgenſes & alii multi, plures formas ſubſtantiales concedunt. A materia quantitatem pullulare, hoc eſt produci, multi dicunt, & in Locali Scholâ, quæ hodie apud doctos in pretio, certior videtur ſententia, quæ in plantis & bruta materiam omni formâ ſubſtantiali deſtitutam affirmat, & elementaria corpora eſſe puras ſubſiſtentias naturâ deſtitutas contendit. Non ergò certò negandæ ſunt abſolutæ potentiæ Dæmonum, quæ forſitan dantur de facto.

Sed ſubjungit. [Unio quoque inter materiam & formam ſubſtantialem eſt entitas una ſubſtantialis, diviſibilis, materialis, in materiâ naturaliter ſubjectata; realiter modaliter à materiâ & formâ non minùs ac alia forma materialis divinitùs creabilis, ad compoſitum formaliter ut tale conſtituendum ita ſimpliciter eſſentialiter & intrinſecè neceſſaria, ut manente formaliter compoſito neque per Magos, neque per Dæmonem ſeperari tollique poſſit.] Sic judicat. at nos putamus omnia hæc eſſe probabilia tantummodò: nam Expreſſivæ Scholæ Profeſſores exiſtimant extrema ſeipſis uniri, & eſſe omninò ſuperfluum illum modum, adeòque illo ſublato, ſi adſint reliqua, futurum compoſitum verè & formaliter, nec hoc à Mago aut Dæmone impediri poſſe.

Ad cauſas efficientes deſcendit, & ait, [Thaumaturgus Dæmon, Sagæ, Magique per applicationem activorum ad paſſiva, vera quidem animalia, ſed imperfecta tantùm ex

putri materia alioqui naſci ſolita producere poſſunt. Sicuti nonnemo putat Anſeres illos imperfectos, ex deciduis Arborum fructibus, naviumque arenoſarum lignis, in mari putreſcentibus naturaliter generari ſolitos à Magis quoque produci poſſe.] Et quidem Ego poſſe Dæmonem animalia imperfecta (ſi imperfecta quæ ex putri materia ſuboriuntur) producere, fateor ſpontè; non tamen video repugnantiam quæ vetet, ne Leo aut Equus è putri materia generetur, ſi congruæ diſpoſitiones adſint, quas ſi natura inferre nequit, cur Dæmon non poterit? Organizare quidem poterit Leonis materiam, eamque ad congruum temperamentum producere; & cur non facere, ut ſicut muris, ita & leonis anima reſultet per accidens? Sanè non ſolere leones è putri materiâ produci ſcimus, at non poſſe neſcimus; maximè cùm dracones & crocodili leone majores aborti è putri materiâ credantur: vel qui dubitet, oſtendat mihi alium modum quo potuerit gigni crocodilus ille, cujus ante annos paucos ad Eſcurial occiſi exuviæ Matriti in templo S. Ægidij pendent. Unicus fuit. Ante ipſum talia monſtra ibi inviſa; cum ipſo tota ſpecies extincta. Ergo quantus eſt, ſpontè è putrida materia eſt egreſſus. Subnoto illam diſtinctionem animalium perfectorum & imperfectorum arbitrariam videri; quid enim muri deeſt ut animal perfectum dicatur?

Stainus ad intentionales cauſas tranſiens, ſic infit. [Propriis viribus Dæmon, Sagæ, Magi qua tales, nullam ſubſtantiam vel qualitatem materialem vel etiam ſpiritualem, aut intentionalem ut ſpecies intelligibiles &c. in extraneo ſubjecto colores v. g. in Cæco Nato, quos non vidit repræſentando, præter motum localem, ubi, ac impulſum fortè ad motum conſequentem, per ſe queunt immediatè producere, ut ex communi docet Suarez *diſp.* 35. *Metaph. ſect.* 6 *num.* 4. Concilia quoque, & Epiſtolam 91. Leonis Papæ adducens.] Ecce motum localem Dæmoni attribuit, cur non etiam productivam virtutem, nam in multis efficientibus cauſis præter motum localem ſeminis & materiæ nihil efficienter producitur. Fortè ſpecies ſenſibiles non dantur; ut dentur, fortè ab aëre non diſtinguuntur; ergo obſcuriora ſunt quàm putantur, quæ abſolutè & ſine ulla limitatione afferuntur.

Ad inopinatos & præternaturales effectus tranſiens, ſubſumit. [Cùm autem in mixtis monſtra variè poſſint naturaliter accidere, vel propter imaginationis maternæ vehementiam, vel ob variam continentis receptaculi diſpoſitionem, & qualitatum activarum improportionem, vel ob ſyderum influxum (ſi hujus habenda ratio ſit) ob materiæ defectum, redundantiam, permixtionem &c. ideò nec ea Magorum aut Dæmonis vires ſuperare cenſenda ſunt.] Sic ipſe, & benè: ſed opinor vires Dæmonum naturales ligari, quorum tanta eſt invidia, ut vel omnes interficerent homines etiam in matrum uteris, aut deformarent omnes ni divinitùs impedirentur.

Et ne milites confidant altis illis nominibus, quibus ſe protegunt contra omnia pericula mundi; ſubſcribit. [Neminem ope Dæmonis reddi invulnerabilem, ſed ab ipſo juxta humanum corpus poſito extrinſecè ictus excipi, & ſic vulnus averti quouſque Deo permittente, miſerum peccatorum abyſſis altè immerſum deſerat, ſinatque æternùm periturum occidi.] Conſonat Georgio Stengelio qui *libelli de malis artibus Theſi XXX.* ſic inquit. [Reddere invulnerabiles aliter nequit quam ictus prohibendo, avertendo, debilitando.] Et quidem tametſi negare non poſſim, ſolere quandoque Dæmonem clientes ſuos protegere extrinſecus, tamen experientiæ videntur perſuadere dari de facto medicinam, quæ invulnerabiles homines reddat; corpus enim invulnerabile non videtur excedere naturæ vires, nam milites qui altis utuntur nominibus, ſæpè cenſentur invulnerabiles intrinſecè. Rem expendo. Sunt beſtiæ quarum cutis enſe non perforetur, & tamen flexibilis ſit; nec video cur non poſſint partes illæ pertinaciùs à cauſis naturalibus uniri, ita ut & glandem regerant; nec video cur iſtæ naturales cauſæ non poſſint à Dæmone applicari. Fortè & ſunt applicatæ nonnunquam; nam reperiuntur homines, qui glande plumbeâ, aut enſe occidi nequeant; contundi tamen & interimi fuſtibus poſſint; qui certè non poſſent occidi, ſi Dæmon ictus exciperet extrinſecè vel averteret. Igitur verò ſimile eſt militem durum (ſic nominant) habere nonnunquam cutem coreo bufali ſimilem, quæ flecti poſſit, vulnerari non poſſit, ſæpè enim occidi homines collobio illæſo certum eſt. Sed hoc non urgeo; non enim quid Dæmon fecerit, aut non fecerit, ſed quid poſſit examino

Poſſe Dæmonem ait idem Author, facere ut Sagæ eùm maximè torquentur nil ſentiant, imò ut tranquillè dormiant, & citat Grillandum Delriumque, quibus & libenter ſubſcribo.

Somno mors ſimilis, & ideò ſubdit, [Non autem poteſt efficere, ut ſomniat Bodinus (Fludius alijque) ut anima veneficæ Stenonis alicujus tantiſper à corpore ſeperata, poſteà turſus ei reddatur; mortuam enim vitæ pernitiem vitâ quis donabit? Manium excitationem vel inediam longiſſimam in ijs, quos parcus Averni Mecænas occultis liquoribus infuſis alit, fingere, ſeque damnatorum loco ſiſtere, non tamen humidum radicale ita inſtaurare ut homo nunquam moriatur, vel ut defunctus reviviſcat efficere.] conſonat Georgius Stengelius *de malis Artibus Theſi XXX.* his verbis eandem opinionem retinens. [Mortuos ſuſcitare non valet; ſed cum id facere videtur, ſenſus hominis ſopit, ut mortuus videatur, quem excitari ſimulaturus eſt, vel cadavera ingreditur & movet, ut Cornelij Agrippæ juſſu Lovanij fecit, item cum Philuminum Macharæ ſexto poſt mortem menſe exhibuit, aut ſimilem ſpeciem fingit. Enimverò nec animas verè apparere facit ſine ſingulari Dei permiſſu: quia illæ certis locis, ut

Infer-

Inferno ,] Purgatorio alijve loco alligantur, ipſe ergo imaginem illarum animarum , quæ ſe Sagarum è Paradiſo venire dicunt , induit, & ſtultum volgus egregiè deludit , dum enim ſimulat juramentis & blaſphemiis tales animas fugari poſſe , ad jurandum meticuloſos blaſphemandumque allicit. Eſto , bonæ quoque animæ injuria in Deum verba horreſcentes fugiant : peſſimum tamen remedium eſt, alienam animam juramento ad tempus fugare, propriam penitùs occidere.] Ego tamen non video, cur neceſſariò ſe debeat loco damnatæ animæ ſiſtere, nec poſſit eandē in ſcenam producere ſi divinitùs non impediatur. At ſemper aut ferè impeditur, inquis, aſſentior, & pergo ulteriùs.

An, qui nec ſuſcitare poteſt mortuos , nec homines reddere immortales , poterit illos ſaltem ſoſpites & incolumes in bona valetudine conſervare ? [Poterit. Fieri enim poteſt, ut homo defectâ jam ac decrepitâ curvatus ætate , Dæmonis auxilio ſemel ac iterum vires reſumat , & habitum nitoremque juvenilem ſenio ablatum recipiat. Multa quidem latent naturalia remedia , quàm hominibus ignota, tam angelis apertæ. Cur igitur homini omnem hujus beneficij ſpem Hebe noverca præſciderit ? Suadet autem id ut credamus , Aquilæ renovari ſolitæ juventus altera. *Pſal.* 102. 5. & Serpentis cum tenui illâ leberide ſuâ ſenectutem exuentis ; & nobilis illius Indi , cujus juventæ florem intra CCCXXXV. ter exaruiſſe , terque refloruiſſe refert Maffeius *hiſt. Indic. Libr. XI.* verum nihilominùs etiam in ijs quæ Diaboli naturaliter poſſunt , ſæpiùs impediuntur , vel per angelos bonos , dæmonibus coërcendis formidabiles ; vel ſubſtractione concurſûs divini : vel reſtrictione potentiæ motivæ : vel minis Tartarum proponentibus : vel per cogitationum inverſionem, faciendo, ut aliquid menti non occurrat , aut mens eidem non inhæreat.] Adde odium Dæmonum adverſus homines , nam potiùs illi nos omnes interimerent ſi ipſis permitteretur, quam valetudinem juvenilem referrent.

Sed urges & dubia proponis diverſa, & inter illa An Dæmon verum aurum argentumve efficere poſſit ? Et Carolus Stain ſeverè & avarè reſpondet. [Si Dæmon, ait, aliquibus opem ſuam implorantibus aurum aliquando verum offerat , id vel aliunde ſurripit , vel ex Aurifodinis, Aurilegulus eruit : vel non tam aurum quam fictam auri ſpeciem repræſentans , ut Lappones olim & Finni venales ventos tribus nodis arte magicâ laciaris incluſos tradiderunt mercatoribus , ita ſuis Bultuarijs inanem auri ſub equis in ſtabulo nati, coctique bullam Barbaricarius cacodæmon exhibet. Quamvis, cùm verum aurum non abſolutè ſolùm verè naturaliterque produci poſſit, ut plerique concedunt & Delrius *libr. 1. diſ. cap. 5. q. 1.* fusè probat, ſed etiamnum à nonnullis quoque factum eſſe ſi credendum hiſtoriæ , certa conſtet experientiâ , nigri Bracteatoris notionam ac vires id non excedat.] Et hîc ego. Auri vera productio Dæmonis vires non excedit, ergo Dæmon illud facere poterit : dubium igitur eſt, an illud fecerit ; temerè igitur Carolus Stain Dæmonem potuiſſe aſſerit , feciſſe negat. Quid ergo ? Dicendus-ne eſt Diabolus aurum feciſſe ? Neque hoc. Sed neutrum ex hiſtoriis conſtare. Addendum tamen incredibile videri Artem hanc ſimul cum ſuis olim inventoribus periiſſe ; nec hodie eſſe eorundem in toto terrarum orbe hæredes, incredibile eoſdem , qui habuiſſe aurificum lapidem dicuntur , fuiſſe pauperes. Auderem dicere ne unum quidem fuiſſe , qui veram Artem auri faciendi invenerit. Compluti ſub Annum M DC XV. quidam Sacerdos fuit, qui audiebat Chimicus , & hujus peritiſſimus ſcientiæ , pauper tamen , qui ſcrupulis vexatus ſecretum noſtris Doctoribus communicavit, qui reſolverunt illa viâ aurum verum adquiri (nota hoc verbum : *adquiri*, inquam, non *effici.*) ſed ope avariſſimi Dæmonis, qui ad poſitionem pilorum & plumarum ſacrilegâ exoratus barbarie , aliquot veri auri grana pauca & parva vi impliciti pacti reponebat. Hodie hic Pragæ eſſe dicitur , qui ex uno ſeptem faciat, timeo ne ex ſeptem unum : nil definio ; at dico me in chymicis habere aliquam experientiam & illa duci, ne ſeducar. Audio mirabilia de hoc homine, eaque à viris maximis, at in hac materia habebo aures oculatas, credam quæ videro.

Sed quî ſibi commiſſos diſcipulos Dæmon docere ſolet ? Recurrit Stain ad concurſum extrinſecum, & ſtatuit. [Scientiam rerum naturalium aliter communicare non poſſe Orci Proſcholum , quam objecta proponendo, docendo, phantaſmata movendo , & quaſi coordinando ; memoriæ organum aptando ut faciliùs recipiat , ſpeciesque firmiùs retineat : vel motu locali noxia repellendo ; ſicut etiam debilitare memoriam tollereque poteſt, & linguam movere ignaro homine , quid loquatur, ac mendaciter tamen perſuaſo quaſi ſciat, quod neſcit. Ita quidam Anabaptiſtæ catholicè dein ſacro renati fonte, cùm prius tota Biblia recenti memoriâ habuiſſent , repentè omnium obliti ſunt ; anteà profectò nec aſinâ Balaam eloquentiores , nec Simonis Magi cane doctiores.] Concordat Georgius Stengelius *Theſi XXXI.* qui ait. [Scientiam quoque infundere nequit, ſed tantum phantaſmata præexiſtentia, vel linguam loquentis mover, quo enim pacto variis linguis infeſſi à Dæmone, ſeu energumeni , item beſtiæ quædam humana velut verba, ut geminæ columbæ , aut etiam quercus Dodonea, & Simonis Magi canis, eodem & Anabaptiſtæ Scripturis loquuntur. Quare converſos ad fidem , cum ante docti viderentur, rudes manere , aſſerit Soarius *de Relig.* Futura non jam quorum prognoſtica etiam Plinio *lib. 18. cap. 35.* nota, ſed à libero hominis arbitrio pendentia & adhuc occulta , per conjecturas quidem aliquando cognoſcere & prædicere probabiliter, non tamen certo Alaſtor poteſt, quamdiu non habet cauſam certam & determinatam, Ob eam rem æquivocis plurimum ſententiis utitur , ut dicta ſua in utramque partem excuſare poſſit. Vel, ut etiam Ulric-Molitoris ex S. Auguſtino monet, ea prædicit quæ

ipſe factus eſt: ſæpiùs autem, quæ ex affectibus hominum & ſignis naturalibus futura cognoſcit. Quod ſi ſigno aliquo externo, ut litteris, & collocutione res eſt prodita, æquè facilè illi eſt, eam promulgare, ac homini. Quo pacto multis ſagis prædicit, quo die capiendæ ſint: ſicut & præterita præſentiaque alias occulta, ſi illa in actu externo conſiſtant, ut occulta furta, theſauros abſconditos, indicare novit: ut & ea quæ remotiſſimè geruntur brevi momento nunciare: quæ divinatoribus ſignificat, vel ſe aſpectabilem exhibendo ac verbis manifeſtando, vel abſque ullo aſpectu formatis in aëre verbis, vel immiſſo ſcripto aliquo, vel in ſomnis, aut vigilia afficiendo phantaſiam &c. Neque eſt ſupra illius poteſtatem, in aëre motu locali, ſonos quoſdam, vocibus ſimiles efficere, qui etiam in urbibus nonnullis & campis ac ſilvis, quaſi exercituum clamores excitat, cum vecturas ſagarum triumphales inſtituit, quas Germani das wüttes Heer vocant, circa quas tamen vitandas, multæ ſuperſtitiones à vulgo mendaciosè nimis creduntur. Curioſis in hac re ſæpiùs nocetur, quam innocentibus, &c.]

Sed tantiſper hîc hærere volo, & diſcere, quid ſit hominem eſſe peritum; & cur debeat ſcientiam perdere doctus a Dæmone ſi ad Deum confugiat? Si literas formet in aëre Dæmon, ceſſante concurſu, ceſſabunt; at ſi ſcribat in chartâ concurſum, ut conſerventur, non requirent. Si Scientia ab illo infuſa in linguæ violentâ & extrinſecâ motione conſiſtat, inſipiens erit Doctor Fauſtus, cùm Dæmon concurſum negarit; ſi verò conſiſtat in veris notitiis hæ conſervari potuerunt eo non concurrente, fortè vel illo invito. Pono exemplum: Aliquam Clodius veritatem me docuit, illam jam ſcio, nec mea ſcientia ab ejus voluntate dependet. Ergo ſicut de Clodio, ita & de Dæmone philoſophabor. An-ne iſte obſcuriſſimus Lucifer rerum ſpecies menti indere aut eripere poteſt? Ardua quæſtio hæc, & quæ multa ſupponit. Quid enim ego ſcio, utrum dentur ſpecies, nullas enim agnoſco? Ut dentur, unde ſciam quid ipſæ ſint ſpecies? Etſi illarum exiſtentiam & naturam ignoro, unde potero ſcire, An à Dæmone poſſim invadi, cogique ut aliquas perdam, aut acquiram invitus? Satis ſit difficultatem tetigiſſe, quam alibi dilucidabo.

E diſcipulis venis ad diſcipulas, è Magis ad Sagas, & inquiris, An transformentur verè in diverſa animalia, & indubiè transferantur in loca diſſita; an verò ejuſmodi translationes & transformationes ſint ſomnia? Varia ſunt Philoſophorum & Theologorum placita, variæ ſententiæ, omnes firmatæ experimentis. [Striges volaticas hirco vel alteri animali, ſive vero, ſive ut plurimùm phantaſtico, vel arundini, colo, furcæ, Scoparumve baculo, vero quidem, ſed acto, & ſublevato à Pegaſario Dæmone Prodromo, inequitantes, verè corporaliterque per aërem de loco in locum ſæpiùs à ſuo Martinello, ſeu Wetter Hanſen (uti pharmaceutria quædam Colonienſis teſte Binsfeldio Magiſtellum ſuum & Amaſium nigrum appellari dixit) deferri, nocturniſque Synagogis intereſſe, infiniti ferè Philoſophi, Doctores, Hiſtorici, graviſſimique Theologi tradunt. Unde Leſſius *de Iure, & Iuſtit*: contrariam opinionem rectè falſam & Reipublicæ pernitioſam eſſe tradidit, cùm præſertim ætate noſtrâ compertum ſit, quòd Magi quidam & Lamiæ veredariæ volucres hircos ad itinera potiſſimùm nocturna, ſtudioſis etiam elocaverint. Interim negari nequit hæc orci mancipia non rarò tantùm per Extaſin obſtupefieri, perque phantaſmatum commotionem decipi, cum aliàs juxta parœmicum illud, *Anus, quæ volt, ſomniet.* Unde teſte Cajetano 22. q. 95. a. 3. Mulier quædam alio ſe volaſſe rata per imaginationis vehementiam, ita defatigata læſaque fuit, ut ad ſe reverſa refocillatione indiguerit. Alios & penè incredibiles imaginationis effectus, quotidiana nobis aperit in Noctambulis experientia.] Hinc eſt, à nonnullis duas Strigum ſpecies aſſeri, aliasque verè & realiter transferri à Dæmone, alias ſolùm decipi & ſomniis variis illudi & conturbari. Sed puto ſtatui probabiliùs poſſe, unam & eandem fœminam hodie verè deferri, cras ſomniare, nec dicendum omnia ſomniaſſe aut omnia revera feciſſe quæ fatentur, ſed ipſum eſſe diſcutiendum effectum, & inde recurrendum ad cauſas. Urgentur à multis experientiæ, quas ego nec temere rejicere, nec temerè admittere auderem. Ante annos aliquot igni ſunt mandatæ tres moniales in Belgio, aliæ duæ jam damnatæ à Bernardo Campmans Abbate Dunenſi defenſæ, quæ ab alio examinatæ Judice omnia retractarunt, & ob terrorem ſe mentitas confeſſæ ſunt. Eodem anno quo illæ combuſtæ, crudelis ille Judex poſt cœnam, dum ſenectute & vino gravis ad caminum accedit, in ignem labitur, & in cineres redacto capite, Deum illum adiit, qui cùm acceperit tempus etiam juſtitias judicabit. Narratur Principi Alberto tragædia, & ait, *Deus eſt juſtus.* Hæ ſunt experientiæ quæ allegantur, & quæ examine indigent, ne in re arduâ temerè procedatur. De potentiâ ad actum conſequentia non urget. Poſſunt anus infantes occidiſſe, poſſunt id ſomniaſſe: debebitque judex præter confeſſionem apud infantis parentes veritatem inquirere, fortè enim adhuc vivit, qui occiſus dicitur, fortè abiit alio tempore, alia ex cauſâ.

An-ne ſaltem cenſendæ ſunt ſomniare, quoties mutaſſe naturam ſe credunt, & fuiſſe in feras, aut domeſticas animantes converſas? [Dæmon Sagas, infernalis Proſerpinæ Nymphas, non poteſt in veros lupos, feles, picas &c. transformare, figuram ac ſubſtantiam intrinſecè mutando, ut conſtat ex cap. Epiſcopi 26. quæſt. 5. nequit enim naturaliter ſaltem Anima humana corpus informare belluinum. Sed Meduſa fortè ſubtractâ & alibi conſopitâ veram ipſe beſtiam ſubſtituit, uti forſan pro virgis Magorum Exod. 7. Serpentes veros, hinc inde collectos ſuppoſuit. Vel ipſemet Actæon alicujus beſtiæ formam aſſumit: vel veras Dianæ ſuæ ferarum exuvias apriſſimè circumdat, aut vaporoſam aliquam ei figuram

acco-

accommodat, obtectis cæteris humani corporis partibus, ſi feræ ſpecies minor ſit, quam vetulæ ſtatura ferat, aut ex factitio corpore quaſi diſtinctir, & ampliatia ſi major. Vel adſtantes & Euryalin ſuam impoſtor ipſe decipit ex parte objecti, variâ & repentinâ rerum poſitione, agitatione, permixtione, occultatione, perſpectivâ &c. vel ex parte medij, & ſpecierum in eo modificatarum, ut fit in accenſo vino aduſto. Vel ex parte organi, mutando phantaſiam, humores Organorum commiſcendo, & in certum ordinem redigendo, & ebrij, melancholici, bilioſi, ſpectra, cædes, incendia ſe videre putant, ita refert Pererius *lib. I. de Magia. c. I.* ex Philoſtrato, cùm Appollonius Magus cum Iarcha, & aliis Brachmanis menſę quondam accubuiſſet, tripodes lapideos ſuâ ſponte motos, & ab æreis pincernis calices inguruum circumlatos eſſe, certâ menſurâ vinum & aquam miſcentes, & cyathos proferentes. Verum licet Circæa Metamorphoſis iſta deluſoria ſit multi tamen eam conſtanter effectus veriſſimi ſunt: ut Memphedum aliena ſpecie tectarum, vulnera, cædes &c. & ſicut mali ſæpè pueri, voce animalium artificio naturali feliciter imitantur, ita latrare, rudere, crocitare, mugire, ululare, Enniones Acharonticæ paſſim audiuntur.] Hæc omnia conſonant D. Auguſtino, qui *libr. 18. de Civit. Dei & libr. de Spirit. & Anim.* docet Dæmonem ex aëre vel alia quacunque materia, corpus hujus vel illius figuræ formare, ſicque facere, ut res abſens videatur præſens, ob rem ſimilem in præſentia à Dæmone factam, velut res præſens non videatur talis qualis eſt, ſed in aliâ, quâ illam Dæmon circundat, formâ. Id effectum dare poteſt teſte Joan. Bodin. *l. 4. c. 1.* Paulo Grillando *in tract. de qq. q. 4. num. 14.* Georgio Stengelio *de malis Artib. Theſ. 29.* & quotidiana experientia, ut aliqui inter tormenta dormiant, vel doloris expertes rideant: cùm nempè vel pharmacum ex opio ſolano &c. ſoporiferum (quibus humores turbantur, nervorumque origines obſtruuntur, & ſenſus ſtupeſcit) adhibet, vel ſubducto venefico, faſcinatiſque judicum oculis truncum aut aliud in locum rei ſubſtituit: non autem, ut Bodin: hallucinatur, anima veneficorum à corpore ſeparari tantiſper, & poſt reddi poteſt.

Manet nihilominùs ſcrupulus, cur non poſſit Dæmon manente materiâ & formâ humana, verè & realiter alterare figuram; ſed rationem non dabo, & tamen ab experientiâ reſolutionem evidenter oſtendam. Decapitato enim homine anima corpus deſerit, & tamen licet id ſit certiſſimum, cur non poſſit corpus acephalum ab Anima informari non ſcio. Recurrendum igitur ad Dei decretum eſt, & ſi dicatur ea divino præſcripto animam rationalem corpus humaniforme petere, debebit addi hanc corporis humani molem poſſe lupiformem, aut piſciformem fieri, ac moriturum ſtatim hominem, cujus anima noſtram omninò figuram ad conſervationem ſuam requirit.

Conſequentia & doctrinæ ſimilitudo in causâ, ut mens huc illuc transvolet, & inquirat, An quantitatis impenetrabilitas à nullâ omninò virtute necromanticâ evinci & ſuperari poſſit? An-ne à Dæmone poſſint duo corpora poni in eumdem locum? an unum idemque replicari & in locis diverſis conſtitui? Replicationem eſſe ſupra Dæmonis vires facilè conceſſurus ſum: at penetrationem non puto ita repugnare naturæ, ut finitis viribus vinci non poſſit: & ſi finitis poteſt, poterit etiam viribus alicujus creatæ vel creandæ naturæ. De facto non ſolere Dæmonem bina corpora in idem ſpacium componere, experientiæ quotidianæ confirmant; Sagæ enim per interruptos muros, feneſtras, januasque clauſas ope Dæmonis non inferuntur, ſed per eaſdem januas, corporis earum aliàs capaces, magno ſilentio & celeritate apertas transferuntur, diſcluſis etiam ita muris, & in priſtinum ſtatum à trulliſatore Dæmone ſubitò repoſitis, ut anus quædam Italicæ prudentiores Doctori Grillando faſſæ ſunt.

Hinc ſcitur qui Dæmonis hominem affligant. [Poſſunt enim ac ſolent clavos, vitri fragmenta, ſpinas, cochlearia, cultros integros, cornua lucernæ, ſetas, pilorum glomos, forfices, panniculos &c. in corpus humanum inferre. Vel enim res hujusmodi ſolidas comminuunt, & ſic in viſcera immiſſas ibidem applicando activa paſſivis reuniunt. Vel immiſſo ſopore, ſenſibus hominis ligatis membrum in partibus præſertim carnoſis, & facilè per ſe dilatabilibus, ſine ullo ſenſu doloris incidunt adhibito medicamento ſoporifero chirurgis & lithotomis conſueto, immiſsâque tali materiâ, rursùm occultè curant. Vel per potos aut occultos corporis meatus, quantumlicet diſtentos immittunt. Exemplum hujus refert Oſwaldus Crolius in ſuæ Baſilicæ Chimicæ admonitione de ruſtico, qui devoratum cultrum diù geſtavit, quousq; Florianus Mathis fœliciter illum extraxit. Aliud reperio in Bechero Medico in libro, quem *Hiſtoriam cultrivori* intitulat; utrumque legi poterit apud Athanaſium Kircherum *ſui Magnetis libr. 3. part. 7. cap. 2.* Sed & aliud ſimili exemplum habet Ambroſius Paræus *libr. 2. chyrurg. c. VI.* de Opilione qui ſemipedalem cultellum, cui corneum erat manubrium magnæ ſatis craſſitudinis, in fauces à Prædonibus ore aperto adactum, ſex menſes retinuit, uſque dum natâ tandem in inguine vomicâ chirurgus eum inde extraxit. Et quod Chyrurgo licuit, Dæmoni negari non poteſt.

Solet apparere Dæmon homini bifariam; vel immutando oculos, vel aſſumendo corpus aliquod. Si immutet oculos, ab uno videri poterit aliis inviſus; ſi aſſumat corpus ab omnibus debebit aſpici, niſi novo prodigio curſum naturalem impediat. Cùm viſus alteri, alteri inviſus, eſſe dicitur ſub Galea Plutonis; germanicè, **vnder der Nebel Kappen.** [Vel enim immutant medium intra ſphæram illam ad quam ipſi ſe poſſunt extēdere; vel impreſſioni ſpecierū viſibilium (ſi hæ dantur) ponunt obſtaculum, quod ſubtilitate ac celeritate tantâ facere queunt, ut ſpecierum tranſitus, non ad ejus cui apparere volunt ſed ad aliorū oculos impediatur.

Vel illa corpora viſibilia ſunt per colores tantum apparentes (ſi iſti à veris diſtincti quod non puto) quorum apparentia ex certis angulis pendeat, qui cùm per ſolùm localem motum permutari poſſint, colores quoque vel mutari, vel etiam oculo præſenti omninò ſubtrahi poterunt; uti de Sole in aquis conſpecto certú eſt, & de Iride plerique docent. Licet aër ſibi relictus difficulter figuretur, condenſatus tamen facilè colorem & figuram admittit, ſi præſertim dicamus colorem à corpuſculorũ figurâ non diſtingui, & aliquid nubis, exhalationis, vaporis, vel ſolidiorum partium, à damnatorum vel etiam brutorum cadaveribus deſumptarũ, admiſceri. Hinc ſi Dæmones Magis vel Sagis ſpectabiles appareant, formant ipſi ſibi corpora plerumq; ex aëre, cùm cætera Elementa non tam commoda, vel ita facilè ad manum ſint: ſicut aliquando ſub muſcarum, araneorum, formicarum, avium, &c. formis in obſeſſorum ore conſpiciuntur, teſte Thyræo, *de Dæmoniacis. p.1.c.3.* Et quod mirabilius videri poterit, nunquam veram humani corporis organizationẽ, ſed aliquam tantùm carnis veræ ſimilitudinem Dæmones repræſentant, ut malus quiſpiam ex iis Artifex, teſte Cajetano carnem frigidiorem, aſperam, & quaſi glacialem humano tactui moleſtam afferens, faſſus eſt, ſe meliùs efformare non potuiſſe. Aſſumunt probabiliter mali Genij non raro vera damnatorum, vel infantium abſq; Baptiſmo decedentium corpora, quibus à putredine per longum tempus à ſe præſervatis, per intimam ſuam præſentiam, tanquam motores mobili uniuntur. Quis enim illis neget jus in corpora, quorum animas habent: illis tamen utpote veræ completæq; ſubſtantiæ non iniunt ut accidentia ſuis ſubjectis, vel partes ſuis totis & compoſitis. Uti neque Deus cauſæ materialis & formalis rationes proprias ſubire poteſt, utpote Divinæ repugnantes perfectioni, nec perfectibilitatem ut materia, nec actuationem formaliter informantem, ut forma admittenti.

Sed inquiris. Cur Dæmones Statuarij tam inſipientes ſint? Eſt enim illis forma varia, nunquam integra, ſemper aliquâ ex parte defectuoſa, ferina, monſtroſa &c. ut notat Binsfeldius *in tract. de confeſſ. maleſi. prælud.* 12. quam ob rem admirabundus interrogas, cur Pictor pulcherrimum juvenem pingere, Sartor curioſiſſimam veſtem aptare poſſit, & Dæmon ſe pulchrum ſpecioſumq; efformare non poſſit? Recurro ad Divinæ voluntatis potentiam, nam naturalem cauſam invenire non poſſum.

Sed quomodo Dæmones loquuntur, cantant? per motum localem poſſunt corpora quætumvis dura ſecare in partes (ferrum enim juxta Scripturam quaſi paleas æſtimant) & ex iisdem validè attritis ſonum cauſare; vel etiam adhibitâ fractione congruâ vocem articulatam formare, ut omnis antiquitas teſtatur, quæ & oraculorum ab iis fuſorum & antrorum, ſtatuarumque loquentium meminit. Huc referunt nonnulli Memnonis ſtatuam, quam cum radius Solis circa ejus exortum attingebat, & ad os ejus perveniebat, ipſa more hominum loquebatur. Teſte Philoſtrato *lib.6. de vitâ Apollon. c.3.* Huc etiam voces in Sagarum agminatim volitantium nocturnis vecturis, quas Germani **das wüettens Heer** appellant. Sed quia non debent admirari ſine cauſa prodigia, poſſet dici Memnonis Statuam fuiſſe vacuam, & per fiſtulam (quod nos ſæpiſſimè repræſentavimus) ſacrificulum aliquem locutũ fuiſſe, & decepiſſe vulgus credulum, vocem audientem, & cauſas non examinantem. Voces auditæ in aëre eaſdem Sagarum eſſe poſſunt: ſed hoc ipſum non tollit, quo minùs poſſint clamores inconcinni aut concinni ab ipſomet Dæmone formari.

An-ne poteſt eclipſare Solem, tollere cœlo Lunam, excitare procellas, naves ſubmergere, domos dejicere, homines trucidare? Reſpõdeo Angelis etiam bonis Deum non ſubjeciſſe orbẽ terrarum Heb.2. adeóq; non eſſe cur timeamus à malis: poſſunt quidem illi (uti quondam Tartari præſtigiis inſignes conſueverunt) viatoribus denſiſſimas tenebras conſtipatis nubibus ac nebulis lucem oculis eripientibus, velut Ægyptias illas palpabiles inducere; non tamen auferre diem, & veram noctem inferre; impetum quoq; maris, & ventorum vim vel promovere vel impedire queunt. Et ut aliquid etſi ſub dio ſit, neque nebulam neque pluviam patiatur, efficere. Item tempeſtates, ventos, grandines, ruinas &c. ad agitationem ollulæ, Sagarum voto ciere, vaporibus & exhalationibus undiq; conquiſitis, mutuâ reactione Meteorologicas impreſſiones producentibus. Cœli tamen Aſtrorumque Motum ſiſtere vel impedire non valent: nec integrum Elementum loco ſuo movere: & hoc defectu potentiæ: nequeunt etiam domos evertere, & occidere homines, ſed licentiæ defectu: ut conſtat ex Hiſtoria Jacobi Merloni Horſtij, viri pientiſſimi, damnati ultimâ ſententia in ſagarum conventu, ita tamen protecti à Deo ut nequidem tangi potuerint ejus agri.

Quid diſcutiendum reſtat? Totam videmur Phyſicam percurriſſe, & in ſingulis vires Dæmonis examinaſſe. Vacuum inciderat, & interrogas, An Dæmonum virtute poſſit dari? Audacter reſpondet P. Carolus Stain Theſi LIX. contra totius univerſi ordinem vacuum à Necromanticis fieri non poſſe, ita ut nexus, cohæſio, & compages ex cœlo terraque & ex iis naturis inter ea contentis coagmentata diſſolvatur, vel ſubordinatio, quam quælibet corpora inter ſe tanquam partes unum totum univerſum conſtituentes habent, ſeparetur. Et tamen habemus hodie P. Valerianum Magnum, Capucinum, Virum doctiſſimum, qui putat humanitùs dari vacuum poſſe, idque evidentiâ manifeſtâ monſtrari. Videatur Demonſtratio ocularis ejuſdem, ubi hæc materia curioſè & acutè tractatur.

Egimus de Corporibꝰ & Dæmonibus, & quãtas hi in illa vires habeant luculenter oſtẽdimus; nũc viceverſâ inquirimus, quãtas hæc in Dæmones habeant? Reſpõdeo ex cõmuni & receptiſſimâ Theologorũ ſententiâ Magos nõ poſſe Cacodæmones rebus corporeis, ut herbis incãtationibꝰ &c. Phyſicè immediatè ligare vel cogere, ſed moraliter ſolũ & ex pacto ſaltem implicito, Unde vel ſe talibus amuletis aliquãdo torqueri

tantùm

tantùm ſimulant; vel illa amuleta qualitates habent principiis activis à Dæmone ad hibitis naturaliter oppoſitas non quidem Spiritui maligno nocentes, ſed ejus effectibus reſiſtentes, ut herbæ quædam &c. Nilominùs addimus non omninò improbabiliter Nicolaum Serarium *in cap. 8. Tobiæ. qu. 3.* mediam ingreſſum viam, docere fumum jecoris illius de piſce ſumpti ſupraq; vivos carbones poſiti non merè naturalem, nec merè ſupernaturalem, ſed mixtam & ut ipſe loquitur quadantenus naturalem (quaſi obedientialem) expellendi Dæmonis efficientiam, non jam primò ſimpliciter, ſed in creationis principio ab ipſo naturæ Authore cordi & jecori impreſſam habuiſſe, ideòque *q. 4. concl. 3. 4. & 5.* ſubjunxit ceremonias & corpora, vel quæ ab iis ſunt ſenſibiles qualitates, ſi cum ſpiritualibus quibuſdam viribus jungantur, & à ſupernaturali Dei Angelivè boni concurſu vim accipiant, ac benè demum ſuſcipiantur, valere plurimùm.

Tandem libera hominis libertas cælum eſt ſpirituale incapax peregrinarum impreſſionum: illam nullo modo Sagæ Magique cogere poſſunt ac neceſſitare. Quod autem eouſque permittente Deo, conatus Dæmonum interdum progrediatur, ut hominis voluntatem non planè, ſed penè: non verè ſed apparenter ſaltem ſubegiſſe videantur, ex Vita B. Angelæ de Fulgino c. 19. colligitur, cujus vis ac potentia tentationibus graviſſimis reſiſtendi, licet plurimum debilitata fuerit nunquam tamē à Diabolo ita poſitivè cogi poterat, ut conſentiret. Ac hujuſmodi quidem periculoſiſſimas tentationes iræ, libidinis, triſtitiæ, deſperationis, &c. in hominibus præſertim otioſis veneficæ facili negotio poſſunt & ſolent excitare, quas teſte Molinâ *1. par. quæſt. 111. art. 3.* non tam facilè ſentiunt, qui litterarum ſtudiis vel aliis honeſtis occupationibus detinentur. Interim non mirari non poſſum, cùm audio homines veneficiis illudi, mulierculaſque amorem laſcivum erga ſe ope Dæmonum extorquere ab amaſiis. Quod ſi reliquas hiſtorias, aut neges aut ſuſpectas habeas, ſaltem veraciſſimæ & moderatiſſimæ Virgini S. Theroſiæ conſenties, apud quam *vitæ cap. 5.* cum ſtupore hæc legi. [Erat ille Sacerdos jam à Septennio in periculoſo ſtatu; agebat familiariter cum quâdam ejuſdem loci fœminâ, & nihilominùs legebat Miſſas. Erat id ita publicum, ut eſſet infamis notoriè, & tamen tam pertinax, ut nemo auderet cùm illo de hac materia tractare...... Certior à domeſticis ſuis facta, ejuſdem penitus perditionem cognovi, & inveni, illum non habere tantam culpā, quantam infælix illa mulier, quæ veneficia quædam in idolulo cupreo incluſerat, quod ab illo geſtari rogaverat. Pendebat illud à Sacerdotis hujus collo, nec unquam rejicere voluit. Ego non credo ea quæ in ſpecie de veneficiis ſolent dici; at quæ vidi referā, ut viri caveant ab ejuſmodi fœminis..... Tandē ille, ne mihi diſpliceret, imagunculā tradidit; quam illicò in fluvium ſubmergi curavi. Ut caruit illâ (mira res!) non ſecus ac ſi ex letargo profundiſſimo excitaretur, cæpit ſuæ inveteratæ miſeriæ meminiſſe, vitam ſuam recognoſcere, peccata horrere, condolere conſcientiæ, & odio fœminam habere, quam priùs arſerat. Angelorum Regina, ut puto, favit illi; erat enim Immaculatæ Conceptioni devotus, & hanc diem magno apparatu celebrabat. Relictâ tandem pellice, totum in gratiarum actione & pœnitentiâ annum egit, & fœliciter obdormivit in Domino.] Lego, & relego: & quia aliàs etiam multa ſimilia lego & audio, ſtupeo, & vix arbitrij humani libertatem cum Dæmonum poteſtate & harum hiſtoriarum veritate cōpono. Dicam igitur ſine ſpeciali licentia Dæmonem voluntatem enervare non poſſe; at illum ſolere permiſſione divinâ debilitare libertatem; non tollere, non neceſſitare, non cogere. Addamq; hanc ipſiſſimam debilitatem in pectore conſcientiæ & virtutis incurio vix effectu carere; at ſemper hominem ſi volet, diſſentire & reſiſtere poſſe.

LXXXII.

Concluſio.

SIc placuit cum Carolo Staino diſputare, & oſtendere multa ab ipſo falſa aut incerta aſſumi quæ ab integris Scholis (Thomiſta, Scotiſtâ, Nominali) negantur: cùm igitur favendum reo ſit in omni probabili contradictione, temerè procederet Judex, qui condemnaret de Magiâ ſuperſtitioſâ hominem, cujus dicta facta-ve excedant vires Naturæ placitis Staini menſuratæ. Fortè potentior ipſa eſt, quàm multi exiſtimant; fortè impotentior Dæmon quàm creditur. Fortè ſicut hominis, ita etiam lapſi Angeli ob peccatum enervatæ ſunt vires, obnubilata mens, arbitrij libertas minuta aut ſaltem ſtrictè ligata. Fortè ad ſingula indiget ſpeciali permiſſione & licentiâ & hæc rarò conceditur, & ad pauca. Quid ſcimus? Non debemus in re gravi præcipitem ſequi ſententiam nec in obſcura oculos claudere. Abſtrahendo igitur ab aliorum judicio, has Concluſiones pono.

Prima. *In omni dubio ac probabilitate ſtandum eſt pro poſſeſſione, quæ eſt in rebus à re dubia præciſis.* Corollarium, *Ergò in omni dubio & probabilitate ſtandum eſt pro reo.* Patet, quia ipſe eſt in ſuæ innocentiæ poſſeſſione, nec debet temerè deturbari: unde meritò Juriſperiti aſſerunt, præſumendum hominem eſſe bonum, quouſque convincatur eſſe malus.

Secunda. *Cùm inquiritur, An Geomantia ſit Ars ſuperſtitioſa? An ſit Necromanticus Fauſtus? Geomantia rea eſt, Fauſtus eſt reus, & debent ut tales tractari.* Ergò antequam convincantur damnari non poterunt.

Tertia. *Artium aliæ ſunt ſuperſtitioſæ effectivè, aliæ affectivè, aliæ concomitanter; aliæ ſunt periculoſæ, aliæ ſcandaloſæ, aliæ vanæ.* Superſtitioſæ effectivè illæ ſunt, quæ producunt effectum cooperatione Dæmonis. Superſtitioſæ affectivè, quæ nullum effectum, aut nullum ſupra naturam producunt, & tamen malâ fide exercentur à credentibus intervenire implicitum

Dæmo-

Dæmonis pactum. Superſtitioſæ concomitanter illæ ſunt, quæ utuntur mediis & circumſtantiis aliàs illicitis, aliud eſt enim acu transfigere caput unius figuræ ceteræ, aliud abuti conſecrationis formula, aut alligare paxillo reliquias alicujus Sancti. Periculoſæ illæ dicuntur, quæ naturales aut vanæ ſunt, ſed vehementiùs & curioſiùs quæſitæ, inducunt hominem in tantum ſciendi aut operandi deſiderium, ut certum ſit eundem uſurum eſſe malis mediis, ſi bonis intentum nequeat aſſequi. Scandaloſæ ruinam proximi reſpiciunt, peccaret enim qui arte naturali uteretur, tametſi illam licitam ſciret, ſi circumſtantes ſcandalizarentur, eſſe diabolicam putantes. Tandem vanæ illæ ſunt, quæ inefficaces, carentes mediis & circumſtantiis malis, exercenturque ſine operantis periculo, & ſine circumſtantium ſcandalo: ut quando ex ignoratione naturæ bonâ fide adhibentur media improportionata. Corollarium. *Ergo omnes hæ Artes malæ ſunt, adeòque meritò interdicuntur & intra malitiæ terminos condemnantur.* Conſultò hanc ultimam limitationem poſui; non enim meritò condemnaretur ſi ſupra malitiam ſuam, ut ſi vana Ars, ſcandaloſa, aut ſuperſtitioſa diceretur. Volo tamen notari obiter unam & eandem Artem ſolere & poſſe diverſis ſimul condemnari cenſuris, poſſet enim ſimul eſſe vana, ſcandaloſa, periculoſa &c.

Quarta. *Quod certò non excedit Naturæ vires, aut probabiliter excedit vires Dæmonis, huic adſcribi non debet.* Conſtat ex primâ. Ergo quæ infra naturæ vires debebunt naturaliter dici; & quæ ſupra vires Dæmonis miraculosè.

Quinta. *Quod certò eſt infra Dæmonis vires, & certò ſupra vires Naturæ, aut diabolicum aut miraculoſum eſſe poteſt.* Sed quomodo miraculum à veneficio diſtinguemus? Si nulla interveniat circumſtantia mala moraliter, miraculoſum credi debet; diabolicum, ſi finis, mediavè ſint mala. At quis metietur vires Dæmonis? hæc Concluſio

Sexta. *Quidquid cauſæ materiales operantur, poteſt Dæmon mediatè applicando activa paſſivis:* Ergo poteſt magna pondera localiter transferre: utrùm autem poſſit producere per ſe aliquam veram & realem entitatem ſubſtantialem aut accidentalem, phyſicam aut intentionalem, incertum eſt. Et hæc videntur ſufficere de ſuperſtitionibus judicaturo.

LXXXIII.

An Dæmon futura contingentia præſciat?

Multum debeat aliis Philoſophis Stygius Vates, nec enim debebit multum mihi, qui illum peccati in pœnam tenebras, ignorantiam, & impotentiam intrinſecùs & extrinſecùs contraxiſſe vaticinor, ductus exemplo hominis, qui moraliter & phyſicè punitus eſt. Porrò, ſi Dæmon futura neſcit, omnis ſcientia Divinatoria corruit; quæ ſive inficiatur pacto ſive non, eſt incerta, & quæ multa promittat & in ſingulis fallat. Puto igitur non omnia quæ nobis ſunt futura, eſſe futura Dæmoni; quoniam ſingula Æviternitatis inſtantia multis temporaneis æquivalent, ut oſtendam in Phyſicis, ubi de Durationis ſpeciebus tractavero. Accedit, quòd multa quæ futura ſint uni homini, ſint pendentia ab alterius decreto præſenti vel præterito, quod Diabolus ignorare non poteſt. Sagis enim revelavit non-nunquam diem horamque quâ deberent intercipi, non quòd ipſe futura contingentia præviderit, ſed quòd ſciret ſic eſſe à Quæſitoribus determinatum.

Si tanta eſt Ignorantia Luciferi, ais, quo illius clientes modo futura contingentia divinant? Quâ ratione fuit factum ut Chilon ſummum malum Lacedæmoniis ex Inſulâ Cytherâ oriturum prædixerit: Laërtius *libr. 1. cap. 2.* Ut Anaxarchus præmonuerit Alexandrum abuſus hoc verſu, *Ferietur aliquis mox Deûm humanâ manu.* Laertius *Libr. 9. cap. 1.* Ut Calanus homo Indus, eidem Alexandro mortem præñunciare potuerit. Cicero *libr. 1. de Divinat.* Ut Larcas Brachmanum Princeps Apollonio Tyanæo dicere ſciverit, eum habere ad ſe literas Larontis Indiæ Regis, & in ipſis deficere unum D. Brus. *libr. 7. cap. 20.* Ut Spurina Aruſpex noverit Cæſarem Calendis Martiis occidendum. Plutarchus *in Apoph.* Ut Athanaſius Epiſcopus Imperatoris literas venturas die ſequenti aſſeruit; Nycephorus *Libr. 9. cap. 35.* Ut Phaënnis Delphica Gallorum exercitum devaſtaturum fore Aſiam, ætate unâ antequam res gereretur, cecinerit; Pauſanias *Libr. 10.* Ut Plauſtus quadriennio antequam moreretur de ſeipſo ſcripſerit. *In Turcas bellum dum parat occubuit:* Campanus *in ejus vitâ.* Ut ſacrificanti Galvæ Umbritius inſidias & hoſtem domeſticum prædixerit: Suetonius & Cornelius Tacitus. Ut Juliani Imp. miles, & Apruncúlus Orator Gallus Conſtantium Imperatorem in Cilicia eſſe mortuum in extis viderint: Cuſpinus, & Cardanus, *de rerum variet. Libr. 15. cap. 83.* Et tandem (placet enim antiqua novis cooptare) ut Seneca Indiarum detectionem factam anno 1493. in Tragœdia quæ Medeæ inſcribitur, fuerit vaticinatus: ſic enim cecinit.

Venient annis ſæcula ſeris,
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, novoſque Typhis detegat orbes;
Atque ingens pateat tellus,
Nec ſit terris ultima Thule.

Hæc & alia reſumis, aisque videri impoſſibiles has fuiſſe prædictiones veras, ſi Dæmon futura neſciret.

Et Reſpondeo homines aliquando moneri divinitùs, quod de Athanaſio Epiſcopo & aliis piis Catholicis poteſt credi; aliquando moneri à Dæmone quæ conjectatur; nec mirum inter millena ejus oracula aliqua reperiri vera: nam & ſemel Jonas Ferdinandi II. Imperatoris Medicus Calendarium edidit, in quo negavit omnia quæ Aſtrologi Cæſarei aſſeruerant,

& ta-

& tamen pluries vera dixit, nec tamen aliâ ſcripſerat arte quam mero contradicendi & irridendi ſtudio. Multa etiam caſu cadunt, quale illud Virgilij;

FILIVS ante DIeM patrIos InqVIrIt In annos.

Chronologicum anni quo Carolus Philippi II. Regis Filius Indigna cogitaſſe dicitur. [Fortè non ſunt omnia vera, quæ de illo dicta.] Mirabile eſt illud Gongoræ:

Sirve à Doña Blanca Orlient;
Y como no ay mas que verla,
Es el Blanco Doña Blanca,
Y el terrero Doña Negra.

Quòd ante multos annos caſu effuſum, verum Bruxellæ fuit ſub Annum 1636.

LXXXIV.

An eſſent tolerandi Divini, ſi eſſet Ars certa.

RESpondet negativè Demonax, qui Auguri vaticinia nundinanti prudentiſſimè dixit, [Si potes ea, quæ Parcæ ſtatuerunt arte tuâ depellere, exiguam mercedem poſtulas: Si quæ fatis decreta, ſunt omninò eventura, quid proderit tua divinatio? Bis miſer eſſe cupit, qui mala quæ vitare non poteſt, amat præſcire.] Eraſmus 7. *Apopht.*

LXXXV.

Artes malæ in ſpecie.

EXaminavimus Dæmonis vires & Naturæ potentiam; quid dici debeat effectus phyſicus, quid veneficium, quid miraculum luculenter oſtendimus; jam ad ipſas Artes, in ſpecie recenſendas deſcendimus, & quid ex ſe ſint ſingulæ judicamus. Illud ex ſe dicimus, ſcimus enim ipſasmet naturales Scientias tametſi ex ſe ſint bonæ, ingenuæ ac licitæ, ſolere eſſe malas per accidens. Primo enim eſſe poſſunt ſcandaloſæ, ſi coram phyſicæ imperitis tractentur, qui ex ſuâ ignorantiâ metientes naturæ virtutem dæmoniacum judicant quidquid ſuum captum & ingenium excedit: quidam hodie non minùs ac olim in Fornaculis Cairi, magno numero pullos ex ovis Gallinarum, foco calido ſuppoſitis artificioſe excludunt: nonnulli etiam ova manibus verſant quouſque pullus naſcatur, quòd olim pertinaci labore admirante Urbe Auguſta præſtitit; Et Severinus Boëtius antehac vi Magiæ naturalis effeciſſe dicitur, ut metalla mugirent, æneus Anguis ſibilaret aves ſimulatæ dulciſſimè canerent, & hominis ærei tubicines agerent. Et tamen ignorantes turbantur, qui cùm hæc audiunt, Dæmonis ſuſpicantur concutium. Calvariam in Alberti Magni bibliothecâ loquutam fuiſſe D. Thomæ, ſunt qui aſſerant, ſed jam negant plerique, ne ſanctiſſimo ſeni necromantiæ notam murant: non enim vident quo illud modo potuiſſet fieri naturaliter. At Bapt. Porta alijque naturâ penitùs perſpectâ hæc eadem poſſibilia judicant & poſſe facilè practicari. Pone enim ob oculos Tabulam primam & imaginare occultam quandam inter pluteorum aſſeres fiſtulam, qualis eſt B C D E, per medios muros extenſum ad quamcunque diſtantiam, & in remoto qualicumque cubiculo fuiſſe Magnum Albertum, & per E W inſpiraſſe vocabula, & pronuntiabo eadem ad W. per D.C. in B. deferenda; eadem integra & incorrupta egreſſura ex B. adeòque credenda fuiſſe à Calvariâ foramini inſidente proferri. [Fortè hac erat præventus Ideâ P. Balthaſar Conradus S. I. qui anno 1641. Propoſitiones Phyſico-mathematicas de Natura ſoni clauſit hoc Paradoxo. *Facilè poteſt fieri ut Calvaria etiam articulatas edat voces*: fortè alia ſimili.] Obiter tamen noto, molimine multò minore potuiſſe fieri, ut Alberti Calvaria loqueretur, ſi verè loquuta eſt; minoribus enim impenſis ſciri potuit quanta eſſet D. Thomæ animoſitas. Bruxellæ Excellentiſſimo Principi Emanueli, Magni Emanuelis Luſitanorum Regis Pronepoti, ſerviebat Bottus, Vir Eccleſiaſticus & nobilis, qui de animi conſtantiâ & imperterrito corde gloriabatur. Poterat, ut ajebat, nocte integra in Oſſario dormire, quin eum timoris minima ſuſpicio turbaret: multa alia addebat, quæ cum admiratione audiebantur. Decredit omnia Princeps, & ut ſuperbam hominis arrogantiam humiliet, ſub altare Sacelli domeſtici ephæbum audaculum benè inſtructum collocat, deſcendit ad inferiorem aulam, curat vocari Bottum & alios nobiles; incipiunt ludere, & poſt breves nec malè circumductas periodos, de mortuis agunt. Se non auſurum exſpectare Animam reducem Princeps ait; idem de ſeipſis Aulici fatentur ferè omnes. Bottus contrà, ſe non timere ſpiritus, nec gyrovagas Animas. Petitur ab ipſo animoſitatis ſpecimen. Offert ſe paratum omnia facere. Illi Princeps. [Jam ſcis Sacellum domeſticum eſſe in loco remoto, ſeparato, alto; tenebriones ſpiritus talia loca obſidere, noctem eſſe tacitam, obſcuram, horribilem (ipſis vellem te terrere vocabulis:) attendito Volo iditur ut eas illuc, & calvariæ ad Crucifixi pedes hærenti dicas, *Tu quis es?* interdico te lumine, ſocio, cantu, & quocunq; meticuloſorum levamine. Vade & illam tuam toties vanè celebratam animoſitatem oſtende.] Feſtinat illicò, ne timidus videatur Bottus; claves recipit; loca vacua & tenebroſa penetrat; ſacellum adit, aperit; ſimilis non timenti ingreditur, & dicit Calvariæ, *Tu quis es?* Reſpondet puer, *Cranium ſum miſeri hominis damnati ad Inferos, qui fui ſimilis tibi, ſenex viridis, comeſſator, ebrioſus*; &c. Fugit Bottus inexſpectatâ reſponſione perculſus; ad gradus labitur, ſemimortuuſque redit, ſuamq; deteſtatur audaciam, calvariam loquutam jurat, dejerat; nimirùm, verba arcana, quę non licet hominem loqui. Cõdolet Princeps lapſo, decepto arridet; anxium turbatumque remittit ad cubiculum, & tragædia ab univerſis celebratur. Sequenti die veritas Principis mãdato detegitur, loquutuleus oſtenditur; videtur, palpatur, laudatur. Non tamen id ſuaderi poteſt Boto, opinãti ſeverè audiviſſe Spiritũ, & ſolandi ſe gratiâ ab amicis hiſtoriã in fabellam torqueri. Audit Ephæbũ, audit

Prin-

ed by Google

Principem, audit reliquos, recognoſcit altare; nec tamen terrorem excutit, neç ſe deceptum credit.

Hæc dixero, ut ſciamus, ſuſpiciones innumeras à meris præjudiciis pendere; nec omnia eſſe ſupra naturam quæ dicuntur. Latet quandoque modus, & quæ omninò naturalia & facilia, diabolica aut divina cenſentur. Sanè motuum Corporis agilitate, variis geſticulationibus, & artificioſa dexteritate mira fiunt, ut in Circulatoribus nonnullis, Agyrthis, & Loculatoribus videre eſt, quæ vulgus diabolica judicet, deſpiciant docti. Et quis neſcit ſphæram ab Archimede factam, omnes cœleſtium orbium converſiones, ſuis motibus clariſſimè repræſentantem, olim habitam loco miraculi, & ab homine dæmonis, aut hominis Dæmone elimatam communi doctorum ſententia? Annon eandem deſpicetemus hodie ſi cōferremus cum auratis machinis, quæ aſſervat Pragæ Cæſar in ſuo theſauro horologiario. Ibi inter alia cœlum artificiale vidi, quod ſi tantum decuplo ſit pulchrius Archimedæo, doctior fuit ætas antiqua quàm putamus. Non licet igitur præcipitare ſententiam cum agitur de Naturæ viribus, quæ ſunt multò majores quàm putamus.

LXXXVI.

De Hominum & Dæmonum pacto.

SUnt qui Artes omnes Divinatorias ſeveriſſimè damnent, aſſerentes omnium illarum exercitium eſſe peccaminoſum. Verùm diſplicet tanta ſeveritas, non enim omnes errores ſunt peccata, nam intellectuales morbis potiùs adſcribendi videntur, ſi ex inſuperabili ignorantiâ naſcantur. Non eſt idem patrare ſcelera & errare; ſæpè enim viri probi & ingenui ſanctiſſimè & modeſtiſſimè à veritate aberrant. Quidquid prætenditur interventu Dæmonis expreſſo aut implicito, vero aut credito, peccatum eſt: quod verò cauſarum naturalium concurſu vero aut credito non eſt peccatum. Terminos ſingulos dilucidemus. Interventu expreſſo Dæmonis ille dicitur aliquid prætendere qui init expreſſum pactum, quale pauciſſimi pepigiſſe leguntur. Interventu implicito, qui init pactum implicitum; init implicitum qui vult ponere media, quibus poſitis, ſcit Dæmonem aliquid infallibiliter facturum eſſe, & hoc ex vi promiſſionis expreſſæ factæ alteri. Interventus verus, eſt verus Dæmonis concurſus. Creditus, eſt concurſus Dæmonis exiſtimatus, ubi verè non eſt. Dico igitur peccare mortaliter, qui expreſſè aut implicitè, cum Dæmone paciſcitur; & etiam qui concurſu vero Dæmonis utitur; imò & illum qui miſerè deceptus concurſum ejus, ubi revera non eſt pactum, implorat: at verò qui expectat cauſarum naturalium concurſum decipi poteſt, ſed peccare non poteſt: non enim ſuperſtitioſum eſt naturæ vires periclitari. Ergo nos cautè prudenterque Scientias Magicas ſingulas & quid in ipſis poſſit Natura, nequeat Dæmon, accuratè expendamus.

LXXXVII.

Aſtromantia.

Divinatio per Aſtra.

SUmo ab Aſtris initium omnium Superſtitionum fonte, de quibus multa alij, & Delrius *Libr. I. diſq. cap. 3. quæſt. 1.* inquit, Omnium Superſtitionum caput præcipuum hoc Veterum Magorum fundamento niti, quæcunque enim per characteres, figuras, ac numeros ipſi perficiunt, ea produci volunt à virtute iis figuris communicatâ ab aliis virtutibus ſublimioribus, ex ſympathiâ quâdam naturali rerum inter ſe ſimilium quatenus hæ figuræ ad amuſſim invicem coaptantur; non ſecus atque Echo ex oppoſito corpore reſultat; aut in concavo ſpeculo collecti radij objectum ex adverſo corpus repercuſſum inflammant, vel cythara, eo modo, quo alia fidibus intenſis percuſſa, alteram tinnitu ſuo cogit concinere.

Profectò Aſtromantia in multas Scientias nobiliores ſe inſinuat, & præcipuè in Agriculturam, Nauticam, Medicam, Moralemque. Eſſe vanam ubique aſſero, eſſe periculoſam video, at eſſe ſuperſtitioſam & à pacto pendentem decredo. Ejusdem vanitatem alibi demonſtraturus ſum, ſummâ enim illa cauſarum motuumque ignorantiâ fulcitur, neſciuntur motus, judiciaque omnia falsâ poſitione fundantur. Cæterùm ſtellarum loca & ephemerides veræ aut falſæ, regulæ bonæ aut malæ non dependent à pacto, nec poteſt Dæmon ad notitiam eventuum futurorum ex aſtris noſcendorum, concurrere. Et oſtendo. Aſtromantici diſcurſus iſte eſt. *Cùm Iuppiter ſit in tali ſigno, in tali domo, ſignificat ducendam eſſe uxorem à Petro; Nonis Martiis ibi erit; ergo eadem ille die uxorem ducet.* Major ponitur à Regulis Artis ante centenos annos ſcriptæ, quam Dæmon alterare non poteſt; ſic ſuppono. Minor pendet à Jovis motu, qui Principi tenebrarum non ſubeſt. Conſequentia igitur à Dæmonis pacto non pendet, ut pendet in Geomantia aut aliis ſuperſtitioſis Scientiis, de quibus infrà. Præter vanitatem reperio in Aſtromantia periculum: primò ſi dicantur ſydera voluntati neceſſitatem inferre; Secundò, ſi manuteneatur libertas, & tamen nugivendulis, qui nundinantur vitæ plurimos annos, credamus. Sunt frequentes hiſtoriæ, & in ipſis hominum miſerè deceptorum exempla: nam qui ideò malè vivit & pœnitentiam differt, quòd numeraturus ſit annum vitæ centeſimum, oculos ſuos periculosè obnubilat & ſe diſcrimini æternæ damnationis exponit.

* * * *
*

Pyro-

Digitized by Google

LXXXVIII.

Pyromantia.

Divinatio per ignem.

AN Cometæ & reliqui ætherei Ignes, qui terrent mundum & clades humanas prænuntiare dicuntur, accenduntur à Dæmoni? Minimè. Cœleſtes ipſi; & lapſis Angelis recurſus in cœlos non datur. At quia ſublimes ille Ignes non poteſt excitare, aut extinguere, multa de illis mentibus Ceraunomantiam tradidit, ut homines de cœleſtibus ignibus vaticinarentur, [Cicero 3. de Divin. *Fulmen optimum auſpicium habetur, ſi ſiniſtrum iverit.*] poſteà de terreſtribus pactus in ignis ſpecie dat oracula, cum flammam in dextram aut lævam inclinat. Sic hodie Stygius Cyclops in igne ludit & illudit, cujus primus diſcipulus fuit Amphiaraus, à quo Juniores igneam hanc Artem didicerunt.

Huc *Capnomantiâ* referri debet, cujus profeſſores *Capnomantæ* vocantur, qui non jam flammam ſed fumum contemplantur, & quia huc illuc ille fertur, futura dextrorsùm ſiniſtrorsùm prædicunt.

LXXXIX.

Aëromantia.

Divinatio per Aërem.

AUram conſideras, & Cœli plagas, ventorum cardines, & turrium indices. Faticonſultus ventos conſulit, & juxta fluentis locum & angulum animosè pronuntiat. Artis regulæ ſtatuunt *Auſtrum eſſe aſſertivum Spiritum, negativum Boream; & intermedios quantum ab his cardinibus, tantum ab aſſenſu aut diſſenſu diſtare.* Hæc Ars ſuperſtitioſa poteſt eſſe; poteſt enim Stygius Æolus mutando & alterando ventos reſponſa occaſioni & tempori accommodare. Hinc orta mira & varia, de pluviis & ventis judicia; & inter alia opinio popularis habet, Cœlum pluvia ventoſaque tempeſtate lugere, poſt ſuſpendium aut aliam necem voluntariam hominis deſperati, aut ſaltem deſperatæ veneficæ, ut comminiſcuntur Hiſpani. Quod tamen ſæpè ſecus eſt. Ut ergo ſereno vultu Sol & cœlum non ridet, quia aliquis ſibi violentas manus inſulit: ſic neque luget. Quod autem ſæpè etiam furere ventos, & nubes lachrymari poſt tale facinus, videamus, cauſa poteſt eſſe, quia triſtiore cœlo melancholici humores augentur, occaſioque datur, ut homo, jam antè laqueo inclinatus ultimum quaſi complementum melancholiæ accipiat. Quid ergò mirum ſi tempeſtas horrida, quæ jam ante tale ſuſpendium in viâ & iter ſuum peragit etiam ſuſpendio peracto? Non ergo ſuſpendium occaſio eſt tumultuantis cœli, ſed cœlum potiùs majoris in tali animo perturbationis, & hæc ſuſpendij.

Apparatus Philoſoph.

Apud multos fulgura, fulmina, & cœli iræ ſolent eſſe futurorum Interpretes; ſed omnia vanè. A cauſis naturalibus pendent cœli inclementiæ, & præſentes patiuntur, effectus futuros non habent,

XC.

Hydromantia.

Divinatio per aquam.

AQuam conſiderat, & in ipsâ pondus, ſaporem, colorem, motum, & alia quæ ſubſunt Dæmonis poteſtati

Huc referri poterit dementia illorum qui Sanctorum ſtatuas projiciunt in præterfluentem, ut vel pluviam, vel aliquid aliud quod Deum orant, obtineant; quod hodie in multis oppidis ſummâ vanitate & Divorum contemptu fieri audivimus à viris doctis.

Ruſtici ad Rhenum terrâ indignum hominem judicant, qui ſibi mortem conſcivit ferro aut laqueo; eum in fluvium præcipitant, putant tamen vineas, agros, & reliqua loca per quæ horribile funus transfertur, vel umbra ſcelerati hominis reddi ſterilia, quæ tamen ſterilitas vera non eſt, ſed ficta à vanâ hominum credulitate: non enim naturaliter devenire poteſt à cadaveris umbrâ: quid enim illa in agros aget? non à Deo, hic enim culpas punit, & ideò fortè credi potuiſſet maledixiſſe ſponte morientis vineis, agriſque, non verò campis per quos tranſit; nam permittere legitimo magiſtratui tranſitum ad ſepeliendum in aquis hominem deſperatum virtus eſt, nec ob virtutem aliquis puniri poterit. Supereſt igitur ut ſit mera ruſticorum perſuaſio, aut ſi quid veri ſubſit, à Dæmonis malitiâ pendere.

Ad Hydromantiam *Lecanomantia* reduci debet, quæ fit pelvibus: apud Perſas olim in uſu, ut docet Strabo *Libr. 5.* quorum Magi *Lecanomantici* nuncupabantur, edebant ſtridorem fatidicum. Hodie apud noſtrates in uſu. Aquam haurium horâ intempeſtâ noctis, pedem ſiniſtrum nudant, & immergunt, nugas muſſitant, & Spiritum latentem interrogant, qui ubi aſſerit, ſonat pelvis aut cymbalum. Joannem Theophili Imperatoris Præceptorem abuſum fuiſſe hac arte, ut futura prædiceret, ſcribit Cedrenus & alij.

XCI.

Geomantia.

Divinatio per terram.

CApiebant Veteres lapillos, eoſque temerè projiciebant in terram (hinc Artis nomen) & poſtea ex eorum numero & ſitu divinabant, Juniores aut utuntur calculis, aut punctis calamo præcipiti factis, & è ſedecim quatuor componunt figuras quas vocant Matres, è quibus quaternas ſuſcipiunt Filias, quaternas Nepotes; demum eruunt duos Teſtes, unū Judicem,

E & au-

& audacter pronuntiant. Et quidem hujus Artis vanitas in ſuperſtitionem poſſet vergere, ſi pulſum Dæmon regeret, dum charta pungitur; at Geomantici errores non ſubeſſe Dæmonis pactum, benè probant; nam ſi ſubſiſteret fœdere iſta Ars, in omnibus quæ percalleret Dæmon, errare non poſſet: errat tamen: eſt ergo inertia & vanitas.

XCII.

Characteromantia.

Divinatio per litteras.

AB aſtris ad terram deſcendi, & in ipsâ omnes artes liberas & ingenuas ſuperſtitionibus infectas video. Duxiſti uxorem, & vis ſcire an tibi ſupervictura ſit? numera nominum litteras, & notato uniuscujusque valore ex Peroſiridis aut alterius tabula (nam & ſunt in hac inertiâ opiniones & ſectæ) pronuncia: ille enim ſepeliet alterum qui plures habeat. Alloquitur illa e garum, ſuſpicionibus angeris, & procum times? Utriuſque nomen compone, nec ream judices, ſi diſſonent eorum vocabula. Ad Senatum aſpiras? Ad libram reduc competitorum nomina, nec alios timeas ſi tuum plus valeat. Et quidem hîc ego in ejusmodi *Onomomantiâ* (ſic vocatur) inexcuſabilem vanitatem video, ſed ſtatim Dæmonis concurſum non video.

Sunt qui poma litterata contra rabidi canis morſum præbeant; hos ipſos Stengelius Theſi XXI. cenſet rabidos; Ego tutiùs quàm verbis exiſtimo lignis, & lapidibus ineſſe naturales virtutes, & canibus fuſtibus, lapidibusq; tutiùs occurri poſſe.

Sunt qui ut mitigent dolorem dentiū diſco inſcribunt, *Hic Iudas Machabæus* &c. ſunt qui chartæ, *Venit Ieſus ad portam Gallicam. & dixit Petrus. Domine doleo molaribus, & illi Ieſus. Steſt vermis, moriatur; fieſt* &c. [Non abſolvo ſtu torum has formulas, ne abuti valeas:] ſunt qui & illa. Dentem ſi exciderit, vel poſt terga conceptis verbis vel in Cæmeterium abjiciendum ut alius ſuccreſcat, qui ſuadent proximè abſunt, ut etiam cum Pyrrho, & Deucalione ſaxa ſeminent, aut cum Cadmo milites; & tamen multi ſunt, qui id ſuadent. Aliud Recipe contra dentium dolorem, ejusdem valoris: *Piſa aliquot in furnum ſpargere (aut in puteū ſi quis verrucas è oculis expungi velit,) & tantâ celeritate refugere, ut cadentia non exaudiantur*: cui ſimile eſt illud contra febrim, *quo tria piſa ante ortum ſolis in bivio ſuffodiuntur, ut congerminent*; & centena alia.

Characteribus etiā proceditur contra quendam infantium morbum, qui Germanicâ lingua der Altvatter / vocatur. Nomine enim pueri puellæ-vé ægrotæ recitato, rhythmos quoſdam de carne, pulmonibus, & hepate tali morbo in pœnam infantis affecti vaſtandis pronuntiant, infantemque ante ſolis ortum ſoli offerunt, & morbum quem imprecantur, abſtergunt. Nēpe contraria contrariis curanda exiſtimant. Characteribus etiam creduntur animari, enſes, annuli, fila, cribra, forfices, cultri, & multa alia, quibus aut furis nomen, aut ſuſpectæ fœminæ pudicitia, aut ânûs rugoſæ ſinceritas in judicium vocatur.

Hinc diſci poterit quid de reliquis characteribus, quibus abutuntur aniculę ſentiendum ſit. Puto enim aliquando ſuperſtitioſas & ſemper vanas eſſe eaſdem artes, quæ, quia tanquam Pandora quædam Heſiodia, malis mundum implent, enumeratione potiùs indigent, quàm refutatione: cùm pleræque ſuâmet ſe vanitate accuſent. Nam qui cruces in fronte, digito ſalivâ intincto, & qui eaſdem in calceo efformant curandi morbum, aut intelligendi arcana gratiâ, prudentiæ limites omninò excedunt, qui locum aut teſſeras, aut chartas luſorias aut annulum è catena patibuli in digitis variant, ut fortunam varient, nec id quidem inveniunt quod pueri in fabâ. Litteræ autem quas S. Michaelis vocant, quasque A. M DLXXXX. Deus ipſe ſuis manibus in ſeſto Paſchatis ſcripſiſſe fingitur quibus qui non credant, eos certò damnatum iri &c. Epheſiæ ſunt, nec quæ debeant audiri vel legi. E quarum etiam patria ſunt illæ preces de quibus Leſſius *Lib. 2. de Iuſt. c. 43. dub.* 10. *n.* 63. diſputat, quæ certò promittunt recitantibus eos non deceſſuros ſubitâ morte, vel tale periculum evaſuros: vel futuros benè fortunatos. Et quidem hodie ejusmodi preces frequentiſſimæ ſunt, & periculoſiores, quo meliores; creduli enim homines, ubi ſe non eſſe morte ſubitaneâ abripiendos ſupponunt, omnia ſcelera perpetrant, & ſub obtinendæ veniæ ſpe, aut ſecuritate potiùs, immergunt ſe in vitiorum oceanum. Multum de hac re diſputavi Poſſonij in Hungariâ dum Regni habebantur Comitia. Videbam enim Catholicos nobiles ſub miſſam uti libello contra omnia pericula mundi, formare cruces, & cum magno ſolamine ſauciæ conſcientiæ relegere illa Orationum lemmata, quæ recitantibus bonam mortem, empyreumque pollicebantur.

XCIII.

Breviaria.

AD Characteromantiam ſpectat, & multifariam reducitur ad praxim. Dividitur in Sortilegam & Capitalem. Aperit primò occurrentem librum prior, & jactis numeroſis ſortibus illas dictiones interlegit quas denominant numeri, & inde barbaram componit reſponſionem, quam interpretatione ſubjunctâ cooptatæ conſultationi. Capit litteras initiales poſterior, & eas connectendo oraculum quæſitum reddit. Hæc apud Hebræos in pretio eſt, & dicitur ראש·תבות Raſce theboth *Capita dictionum*, quod per litteras initiales procedat. Hâc ipsâ delectantur Hebræi, qui dictionum Sacrarum capitalibus ſigilla exornant, & eorūdem virtute omnes eſſe morbos expellēdos delirant. Hanc ad ſatorum præſcientiam reduxit vel triviam Moraez in prognoſtico illo, quod in Ducis Barganrini adulationem edidit. Impugnavi ejus frigidas divinationes Apologetici illius quod inſcribitur, *Reſpueſta al Manifieſto del Reyno de Portugal*, libr. 6. cap. 8.

Cabala.

XCIV.

Cabala. קבלה

CAbala apud Judæos Ars pulchra & utilis; ſed hodie jam vanitatibus & ſuperſtitionibus plena; ludit in Scripturæ litteris; & currendo, recurrendo, alterando, variando, ſenſus arcanos elicit, & textum vulgatum exponit. De hac inferiùs Opuſculo particulari.

Hanc corruperunt Arabes, coſctamque ſtridere turcicè, aſſeritur morbos propellere, & mortuos ad vitam revocare, & hoc Sacrarum litterarum virtute artificiosè connexarum. Hujus ſcientiæ peritiſſimos Chriſtum Mahometumque mentiuntur, nec aliter prodigia feciſſe quàm virtute Cabalæ: alia pejora adjungunt, quorum ergo debuerunt ejusmodi Regulæ & Libri à S. Inquiſitionis tribunali damnari.

XCV.

Characteres Sagarum.

S*imilis ero altiſſimo*, olim dixerat Dæmon, id hodie Chriſti ſimia ignobilis, ubi datur occaſio audacter & malevolè repetit. Chriſtus Dominus aquas divinas, quibus animæ purgaretur inſtituit, illasque abluto homini voluit characterem imprimere, quo Chriſtianus ab Ethnico diſtingueretur. Et Dæmon magnis etiam, ſed exſecrandis, Sagas cæremoniis initiat, & characterem imprimit, quo ipſæ à fœminis aliis diſcernantur: nam ut in Dæmonomaniæ *libr.* 4. *cap.* 1. inquit Joannes Bodinus Andegavenſis, exploratum omninò eſt, nunquam illachrymari ſagas, quòd in fœminis, in vetulis, ignobilibus mirum omninò. Conſentiunt Paulus Grillanus & Sprengerus Quæſitores, qui ne unam quidem lachrymulam à Sagis ſe potuiſſe extorquere ſcribunt: conſentiunt alij, qui hanc ipſam ariditatem oculorum à pertinaciſſima animi obſtinatione provenientem, eſſe earumdem characterem exiſtimant, ex quo validiſſima poſſit ſumi præſumptio contra ſagas. Alias experientias Theſi XXXII, appellat Stengelius, & ait, [In multis ita eſt; quanquam univerſim omninò falſum eſſe, clara nos experientia docet, cùm ubertimas nonnullarum Sagarum lachrymas, & antè, quam Judicibus, & poſtquam ſua ſcelera confeſſæ ſunt, videmus. Debet ergo & hic error inter Bodini laudes annumerari; ſicut & illæ inter vulgi perſuaſionem, quod in Sagarum oculis nullæ imagines, ſeu, ut vulgus loquitur, nulli maſculi reluceant. Illud quoque à nonnullis aſſeritur, dæmonem in Sagarum conventicula neque ſalem, neq; panem, ſaltem album venire permittere. Quod itidem multæ Sagæ falſum eſſe dicunt. Si ergo quibusdam creditur id negantibus, cur non credatur & aſſerentibus? Nec apparet, cur domo ſua ipſæmet ſalem, aut panem afferre non poſſint, cum & ipſam V. Euchariſtiam ter uſtulandis manibus hæ Orci Nymphæ afferant, & extremis ignominiis devenuſtent.]

Teneo igitur, has & alias Sagarum paſſiones, aut actiones non eſſe characteristicas; nam cum video illas negari à multis, aſſeri ab aliis, ſuſpicor reperiri quidem in aliquibus, at univerſales non eſſe. Sanè nullam Sagam carere Dæmonis charactere conſtantiſſimè teneo, & ad id voce communi inducor, quæ non poteſt abſolutè contemni; nam in rebus quæ probari à ratione non poſſunt, ſtandum eſt experientiæ, & virorum prudentum judicio: à quibus dicitur quòd ſtigmatis illa teſſera, ſeu character, hoc eſt, cicatrix & veſtigium unguis à Dæmone impreſſi ſæpè ſit valdè latens & imperfectè delineatum vel quòd ſit verrucæ inſtar, vel quod nonnunquam à Dæmone ita callidè ſanetur, ut ſublatum videatur, non ſemper facilè deprehenditur, quamvis ſæpè etiam figura ſit ſatis manifeſta, ut pes leporis, vel bufonis, vel catellus niger. Illud mirabile addit Delr. *lib.* 2. *q.* 21. & qui quotidiè ejuſcemodi torturis non ſolùm interſunt, ſed etiam præſunt, idem ſe ſæpiùs expertos reſtantur, in eo ſigno, ex pacturgi pacto, dolorem Sagas non percipere, etiam acu profundiſſimè adactâ. Quod mortificatâ carne, haud dubiè poteſt fieri, cùm & chirurgi cauteria quibusdam facturi carnem ſecandam ſenſu prius ſpolient.

XCVI.

Steganomantia.

Divinatio per ſecretas litteras.

EDidit Polygraphiam I. Trithemius, ſcribendi pluriſariam fœliciſſimam Artem; Steganographiam addidit, quam diabolicam putarunt veteres, & nos liberam & ingenuam monſtravimus. Hac nonnunquam abutuntur Divini, quorum ut noſcatur verſutia, hiſtoriam ſcitu dignam propono.

Theodoro meo, anno M DCXXXV. ſcriptum ex Italiâ ab Aſtrologo. Exercitus exit è Galliâ, Brabantiam cogitat, Vaticinium hoc habe. *Cxxapcſ Gubzaſ purqrgbe.* Clavim mittam & vera prædixiſſe probabo. Cædimur ad Namurcum, & Italus tranſmittit hanc Clavim.

a b c, d e f, g h i, l m.
n o p, q r s, t u x, y z.

quâ inſtructus Vaticinium aperio; nimirùm *Princeps Thomas cadetur.* Admirantur Aſtrologi ingenium, & præſcientiam Theodorus, & quid ſentiam inquirit.

Et ego tunc, & modò iterùm Divinationem rideo, & Steganographicum acumen laudo, & duas habuiſſe claves contrarias illud lemma pronuntio; quia vicit Chatillonus Sabaudum, illam miſit, miſſurus dubio procul alteram, ſi Thomas obtinuiſſet Victoriam. Modus is jocandi & decipiendi antiquus eſt, nam homines vafri, dum inter contradictoria hærent, utrique fortunæ ſe præparant. Occurrit antiquum exemplum quod Reſolutionem meam firmare poterit. Nam Auguſto ex Actiaco bello revertenti inter gratulantes accurrit Heliopompus tenens Corvum dicentem, *Ave Auguſte Cæſar Victor*, quâ ſalutatione delectatus Auguſtus avem ſex millibus nummum accepit. At Helio-

pómpi ſocius, ad quem nihil ex tantâ liberalitate provenerat, ſuggerit Cæſari, eundem & alium habere Corvum, quem ut adferre cogeretur, rogavit. Allatus, verba, quæ didicerat expreſſit, *Ave Victor Imperator Antoni.* Viditque Auguſtus Heliopompum ſe præparaſſe in utramque fortunam, huncque oblaturum fuiſſe Corvum, ſi habuiſſet Victoriam Antonius.

Sic uſi, ſic inſtruxi: quia dum hæc diſputabantur, obſidebatur Breda: ſic concluſi. Ecce hodie Breda mi Theodore, cingitur ab Auriaco, noſtri milites properant, & magna affulget ſpes utrique parti, utram que magnus timor invadit. Do Oraculum, *Theodori sũ famul⁹*. Omitto clavim ne fata turbem, exhibebo ſuo tempore. Nec poteram erroris argui, nam duas præcogitaveram in utramque fortunam. Prima erat.

Valor. *i b c r b c g i i t*
Figura. A. b. c. d. c. f. g. h. i. l.

o n t a p q b t l i ur as. x. y. z.
m. n. o. æ. p. q. r. s. r. u. ũ 9. x. y. z.

& quia hæc non ſufficeret addideram alteram, videlicet,

Valor. *i b c c i c g r e t a n*
Figura. A. b. c. d. e. f. g. h. i. l. m. n.

a e p q c d au i & as x y z
o. æ. p. q. r. s. t. u. ũ. 9. x. y. z.

Hoc enim lemma, *Theodori sũ famul⁹*. ſi aperiatur primâ Clavi, ſonabit, *Liberabitur Civitas.* ſi ſecundâ, *Auriaco cedet Civitas.* Ergo non ſuperant humanam mentem hæc oracula.

Nec ſoliùs Aſtrologi Itali condemnatur aſtutia; quoniam & Dæmon apud ſcire hac arte fuit viſus, quæ neſciebat. Legantur Gentilium hiſtoriæ; nam Apollo ipſe cum reddebat oracula, utebatur carminibus, quæ duos gignerent ſenſus, & conſultorem ambiguum & ancipitem agerent, quale illud tritum, *Ajo te Ajacem Romanos vincere poſſe*: quo æquè Romanis ac Græcis victoria promittitur. Hinc & Divinos noſtri ſæculi, ne temerè loqui videantur, per ambages & obſcura vaticinia inſinuare quæ ignorant, & talia dicere, quæ multifariam exponi & intelligi poſſint. Sic unus è nominatiſſimis. *Hoc anno periclitabitur C. D. N. peribit M. R. S. & T. V. G. triumphabit*: quibus initialibus litteris nihil eſt, quod dici aut exponi non poſſit.

XCVII.

Glottomantia.

Divinatio per verba.

GRammatica ſuperſtitioſa quædam eſt, & vana ſaltem quæ ſexcentis modis committitur. *Primò* enim otioſæ adoleſcentulæ horâ intempeſtâ noctis feneſtram orientalem accedunt, & à primis verbis quæ audiunt, conjecturam inſtituunt. *Secundò*, aliæ librum capiunt, orationes græco-barbaras muſſitant, & juxta artis regulas aperiunt, & primam paginæ lineam quam ſors propoſuit, ut Apollinis ſententiam acceptant. *Tertiò*, doctiores anus viginti quatuor dictiones ſumunt, eaſque Horis, Solis filiabus, conſecrant, & ſignificationes immutant, & juxta privatum pactum intelligunt quæ ab aliis dicta. Clientem ſuam exempli causâ vocant *Anatem*, unum amaſium *Piper*, alterum *Cinamomum*, alterum *Salem* &c. & inquirunt ab aliquo idiomatis hujus ignaro. An ne Anas pipere indigeat? An melius condiri poſſit ſale? &c. & reſponſa in ſignificatione idiomatis privati aſſumunt. Reſponſio vana eſt, nec aliter ſuperſtitioſa debet dici, quam ſi à Dæmone linguâ reſpondentis regatur, quòd facilè non debet credi.

Solent bano autem otioſi juvenes ad nugas trahere, & mutando vocabulorum aliquas ſignificationes inter ſe colloqui; accedunt fœminæ & viri, & quia novam ſuppoſitionem vocum neſciunt, tertio quocunque verbo impingunt, & ridentur. Multa id generis lepidiſſima audivi; ſed jocos inſinuaſſe ſufficiat, ad ſeria redeo.

XCVIII.

Rhetoricomantia.

Divinatio per ſchedulas.

ETiam in ſuperſtitionibus datur eloquentia & ornatus, Dæmonque in concionibus ſuis rhetoricatur. Jubet conſiderari tropos figuraſque, reduci ad metaphoras ſeria, & è coloribus eloquij exſugi oracula.

Partes Communis Rhetoricæ ſunt hæ: Inventio, Diſpoſitio, Eloquutio, Memoria, Pronunciatio. Et ingenioſa ſuperſtitio omnea ad divinationem traducit. Scinduntur Schedulæ inæquales, tot quot fuerint quæſtiones & in ſingulis aliqua reſolutio ſcribitur: & hæc operatio nominatur *Inventio*. Componuntur tumultuario ordine, & hæc Schedarum cooptatio dicitur *Diſpoſitio*. Additur muſſitatio exorbitantium precum, quæ *Eloquutio.* vocatur. Aliâ mente retinentur perſonæ, & hæc idea *memoria* dicitur. Involvuntur Schedæ & aperiuntur illicò, & earundem Reſolutiones ſunt quæſitæ ſententiæ *Pronuntiatio.* Sed hæc omnia vanitate ſunt plena, & ſchedarum deordinatio naturalis omninò eſt; ſed ſi hæc ipſa ſemper ſit doctrinalis & verax, Dæmonis cooperationem prodit. Et quidem antiquiſſima eſt hæc Schedarum vanitas. Illius meminit Ariſtoteles *Sect. XVI. proble*: *VI.* & detractâ larvâ conſiſtit tranſpoſitio in Schedarum inæqualitate. Nam ſi planas rectaſque dimetiendo abſcideris, rectæ, & eodem ordine, quæ fuerant involutæ revolvuntur: Secus aliquando, ſi Schedulæ inæquales fuerint convolutæ, non diverſi ſitus cum ſtupore ſpectantium, nemine tangente, ſi quis artem noverit, proveniunt ꝫ ita, ut Schedula longior, quæ in medio fuerat, extremum v. g. in revolutione locum occupet; quod planè ob circulum longiſſimum qui ex lon-

longiſſima ſchedula conficitur, exteriorumque ſemper ſedem obtinet naturaliter, non ut impoſtores illi (quorum nonnullas etiam ſimiles fallaces artes Lucinus *in Pſeudomante* detexit) dictitarunt, majore aliqua, quam humana arte contingit. Ariſtoteles id ita explicat, quod orbes in quibus nulla mutatio contingit, in eodem plano, qui autem mutationem ſubeunt, non in eodem planu contineantur.

XCIX.

Logomantia.

Divinatio Logica.

UTuntur aliqui quâdam divinatoriâ Logicâ, quæ dicitur dirigere actus intellectûs præſagi. Terminos componunt & dividunt, cooptant opponuntque, convertunt, invertunt, inferunt & reducunt.

Sed quia Logica eſt Ars mentis operationes dirigens, meritò quis rogare poſſet, An detur Ars quæ componat hominis delirantis ideas ut prudenter diſcurrat? An altera, quæ Memoriâ retineat quæ nunquam didicit? An tandem tertia, quæ voluntatem alius ad meum arbitrium operari compellat? Et Stengelius *Theſi XXI.* reſpondebit Alexium Pedemontanum, ut conſtat è verſione Germanicâ D. Jo. Jac. Weckeri *pag.* 70. (nam ſecretorum ejus liber in Hiſpanicam, Gallicam, Germanicam & multas alias linguas translatus eſt) admirandam prorſus detexiſſe Dialecticam non tam argumentis quàm externis medicinis innixam, quâ homines ſive à naturâ, ſive ab arte veneſica, fatui, ex ſtultis ſapientes reddi, novo ſanè hellebori invento poſſint. Quam artem, ſi bona eſt, dolendum eſt tamdiu delituiſſe, nec excubias diligentiores egiſſe, ne tanto numero ſtultitia triumpharet. Interim hâc Medicinâ uti qui vult, manè faciat, ut ſerò ſapiat. Affine huic eſt, quod idem author *part.* 2. *pag.* 57. tradit, ubi ad bonam homini memoriam faciendam, ſiniſtrum pedem (cur in ſiniſtro pede potiùs, quàm in dextro vis hæc aures vellendi?) animalis cujusdam certo alligari loco jubet, Unde ſi quis pedem abſtulerit, memoriam ſimul alteri auferri neceſſe eſt. Sed bonum eſt quod auctor ipſe, ut *in præfat.* fatetur ſe multa ab aniculis didiciſſe, & *pag.* 35. *ſecunda partis* dicat, artem ſuam optimam incertam & fallacem eſſe. Quamobrem ipſe ſatis inſinuat fucum ſe non tantùm mulieribus (quod prolixè facit) præſcribere, ſed ſæpè etiam lectoribus vendere.

C.

Metromantia.

Divinatio per carmina.

SOlet nonnunquam futurorum Interpres in interrogatione ipſa reperire reſponſum, meditando nimirùm, non jam vocum ſignificationem, ſed ſyllabarum quantitatem. Quattuor interrogationis verba prima aſſumunt, hoc eſt, quaternos pedes, inter quos, Dactylus aſſerit, Anapæſtus negat, Spondæus hæret, & præcipitatur Antibrachis.

Non multum ab hac differt Γοητεία incantatio, impoſtura, ludificatio; & ejus ſocia Μαγγανεία, præſtigiæ, fallaciæ, incantamentum, carmen; è quibus naſcuntur aliæ ſimiles.

CI.

Arithmomantia.

Divinatio per numeros.

MUltas habet ſpecies, quia multis modis numeri conferri poſſunt. Habet anus rerum futurarum conſulta fabas Mercurio Stygio ſacras, & ubi rogatur, manu incertâ aliquas ex illis apprehendit, & ſi invenerit pares, fœlicia; ſi impares infœlicia pronuntiat. Et iſte eſt ſimpliciſſimus præſciendi modus. Monachij ante annos paucos quidam Italus Arithomantes rogatus de morbi ſucceſſu, ſic invenit reſponſum. Habebat globulos ligneos viginti duos; numerus enim iſte caballiſticus eſt, litteras hebraicas exæquans, & ut Mecabulimi aſſerunt efficaciſſimus; erant ſinguli inſcripti rerum diverſarum vocabulis. Habebat etiam hemiſphærium concavum characteribus nominibusque grandium Angelorum ornatum, quod tali aquâ, tali borâ, ad talem lineam & tales characteres implebat. Conſultus igitur de ſtatu & vitâ alicujus etiam longè diſtantis, Interrogationem concipiebat, & ad artis ſuæ regulas, globulos projiciendo, aquam interrogabat, adjurabat: qui omnes ſummergebantur, ſi quæſtionis perſona mortua erat; ſupernatabant omnes, ſi ſana; partim ſub aquâ, partim ſupra remanebant, ſi laborabat morbo, pauciores, plures ſecundum morbi gravitatem. Illi qui veniebant ad marginem in characterem aliquem neceſſariò impingebant, & globi characteram cùm limbi charactere componendo conjecturas plauſibiles & curioſas formabat. Magnus erat vanitatum proceſſus, ſed quòd iidem globi in eadem aquâ jam omnes, jam nullus, jam tot, jam tales ſummergerentur, aut non ſummergerentur, ſine concuſſu Dæmonis fieri non poterat.

De ſuperſtitioſo numerorum abuſu Georgius Stengelius *Theſi XVIII.* ſic inquit. [Arithmeticæ tantus eſt abuſus, quantus uſus. Quidam enim non manent intra ejus cancellos, quibus etiam certo verborum circuitu adhibito quamvis altero nihil interrogato aut reſpondente, parem ne an imparem alter numerum, tantum ne an majorem, hanc ne rem an illam habeat, iſtum ne an illum oculorum numerum aſtragalis teſſeriſque jecerit. &c. facilè altero etiam omnia tagente & adſtupeſcente, aſſequi poſſent: ſed neſcio quam vim in ipſo numero ponunt, ut videre eſt apud Strozzium Cigognam *in univerſæ naturæ theatro. lib.I. p. cap.* 8. Nam Pythagoras & Alcmæon viribus numerorum omnia producta eſſe, & conſervari cenſuerunt. Quaternario

& novenario Juſtitiam, quinario nuptias, ſeptenario maturitatem aſcripſerunt: Ad quod alluſiſſe videtur Seneca qui ſcribit ſeptimum quemque annum ætati ſignum imprimere: Septennio enim primò dentes ſolidiores ſuccedunt debilioribus, altero ſeptennio mares pubeſcunt; tertio ut plurimum barbeſcunt &c. Unde & carminibus: item huic & illi verſui Homerico, huic & illi Pſalmo Davidico, eò quòd decimus vel centeſimus (cum tamen alius ſit apud Hebræos ordo) vim majorem, & phyſicam (non moralem) cùm Cornelio Agrippa adſcribunt. Reputantque hæ Superſtitiones in multa negotia, ita ut ſine inſtitutione Eccleſiæ ſub certo numero crucium vel candelorum, &c. fieri debere putentur quæ inter ſigna vanæ obſervantiæ Th. Sanchez *in opere Morali libr. 2. cap. 4. num. 43.* rectè collocat. Et ex infra dicendis, magis apparebunt, certè numerus eſt id, quod conſtat unitatibus, unitas autem nihil eſt, quàm res ipſa quæ numeratur, vel indiviſio & negatio, quomodo ergo peculiarem agendi vim habere poteſt?] & *Theſi XX.* [Pentaphylli herba quinario foliorum numero impiè luſoribus fortunam afferre, præſtigiaſque patientibus oculos aperire, & glaucomam abſtergere creditur.]

CII.

Logarithmomantia.

Divinatio per Logarithmos.

PRæcox eſt Superſtitionis Genus, & Logarithmica divinatoria multis annis ante liberalem inventa, cujus Authores Polyanthæ meminerunt verb. *Divinatio*, iterumque verb. *Sortilegium*, & multi alij. Quo hanc veteres exercuerint modo, omninò incertum; certum, ſi junioribus creditur, debere ad Sortilegas Artes reduci.

CIII.

Cyclomantia.

Divinatio per Circulos.

GEometria Superſtitioſa quædam eſt, quæ abutitur multis figuris. Omitto circulos virgineos Mænadibus iſtis, ut Stengelius *Theſi* XXXVII. loquitur, per quoſdam halitus, ſuffitus, & oſcitationes inauguratos ut partu, vel morbo laborantibus proſint, quos meritò damnant Theologi cum, Navarro *cap. Quando. c. 6. num.* 49. ad execrabiliores venio, illosque quibus Dæmon inferior adjuvatur ſuperioris virture breviter ob oculos pono. Primò enim conjurationis locus eſſe debet ſolitarius campeſtris, ubi decuſſantur duæ viæ. Ibi à Mago ducitur circulus, quem impune non tangas. In areâ clauſâ varias ducit figuras, triangulos, quadrangulos: mitrâ pentagoniâ depictâ caput munit; pentagonos appellat Salomonicos, illiſque credit mentem illuminari. Eoſdem Hiſpani nominant *Pies de bruxas*, nos formam primâ tabulâ damus. Centrum circuli occupat, & quia à Septentrione panditur omne malum, ſuperſtitioſis Cæremoniis & precibus invocat Spiritus Aquilonares. Illi, tanquam qui comparere nollent, ſe cogi ſimulant, & tandem circum circa comparent, & oracula reddunt, delendoque omnes characteres conducunt eum in civitatem.

Aliud Geometriæ ſuperſtitioſæ genus eſt circa metas menſuras. Stengelius *de malis Artibus. Theſi XI.* [Ex Geometricis principiis fatetur ſine omni radio mathematico, vel quadrante, vel alio inſtrumento ſeparato, latitudines fluminum, altitudines montium, turriumque poſſe cognoſci, non tamen id fieri poteſt ſine omni inſtrumento etiam conjuncto, nam & digiti pro inſtrumentis, & naſus ipſe &c. eſſe poteſt. Quod ſi quidam ſolo aſpectu de diſtantia aut magnitudine ſpacij Geometricè pronunciant malis artibus utuntur.] At ego hoc ipſum admittam, ſed parcius; non enim video cur non poſſim meris oculis aliquando percipere quantum à terrâ ciconia, aut alia avis notatè moveatur.

CIV.

Horomantia.

Divinatio hora per annulum.

MIrabiles ſunt apprehenſiones hominum, & mirabiliùs quòd perſuaſioni correſpondeat effectus. Habui Amicum in Flandriâ, doctum, pium, qui in campo, in Urbe, nullo alio utebatur horologio, quàm annulo pendulo apud ſciphum, qui manûs inconſtantiâ oſcillans, horam proximiorem indicabat. [Modum & uſum expreſſum videris Figurâ primâ.] Vidi in manu ipsîus nulli eſſe obnoxium errori hoc prodigioſum horiſonium, non item in aliorum manu; adeòque exiſtimo manum præjudicio moveri, nam ſæpè obedit illa menti & oſcillatio indicat horam quam poſtulamus.

Ego quidem ut verum fatear, rem clariorem exiſtimo, quàm quæ multis ſit verbis tractanda. Diviſio diei in viginti quattuor horas arbitraria eſt; & ut ſit naturalis, cur poſt horam duodecimam debeat ſemel annulus tangere vitrum, & non tredecim vicibus potius, non intelligo. Ut diem in duas partes natura ipſa diviſerit, quod non credo, cur non incipit numerare ab ortu? cur non ab occaſu ſaltem? cur à meridie aut mediâ nocte? quoniam ſi rerum naturam contempleris, minus manè à veſperè, magis diem à nocte æthereum Luminare diſtinguit.

Putant aliqui hanc ſuperſtitionem eſſe novam, nec veteribus notam, at ego in Polyantheâ, voce *Divinatio*, repetiu *Dactylomantiam*, eamque exponi *Divinationem ex annulo*, & ſuſpicari incipio eandem omninò

eſſe

eſſe cum illâ, quam *Heromantiam* nominavi. Annulo enim vaticinatos fuiſſe veteres, nonnullibi legiſſe me memini, & inter alios etiam annulo in vitrum aquâ plenum dimiſſo, & ad latera utrinque alliſo, ſonanteque hariolatum ſuperſtitioneſque ſuas teſtatum Numam Pompilium Pierius Valerianus affirmat. Quæ vana vaticinandi ratio ab Ægyptiis derivata videtur: nam *Geneſ.* 44. Diſpenſator domûs Joſephi apprehenſis ejus fratribus dixit, *Quare reddidiſtis malum pro bono? Scyphus quem furati eſtis, ipſe eſt in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet. Peſſimam rem feciſtis.* An ne Joſeph hac delectabatur vanitate? Minimè, nam ſtando iſti litteræ, ſolùm colligitur officioſè mentitum, nec eſt, cur talem eum faciamus, ut nullum commiſerit veniale; & inter venialia vix aliquod minus officioſo mendacio. Sed ut video ipſa littera poterit ſuaviùs interpretari; ſunt enim qui vertant, *Per hunc Scyphum Dominus meus vos tentavit, ut ſciret utrum fures eſſetis.* Nec contra militant quæ inferiùs poſita; omnia enim piè poſſunt exponi, & ad hanc ſententiam reduci. Accedit, quod hæc verba Joſephi ipſius non ſint, ſed Proviſoris domûs ejus, qui fortè ethnicus fuit, nec deberà nobis defendi.

CV.

Axinomantia.

Divinatio per inſtrumenta.

ALij utúntur ſecuribus, bipennibus, dolabris, cribris & aliis inſtrumentis, creduntque illa characteribus & orationibus animari, motuque ſuo oracula certiſſima reddere. De hac Arte promantica agit Plinius *libr. 36. cap.* 19. & alij.

Inter innominatas hujus generis Artes, quæ tametſi ſpeciale poſſint habere nomen, illo ſunt generali contentæ, ſingulatim diſcerni ſolet, *Coſcinomantia*, quam eſſe communem in Gallia Calepinus affirmat, quam auderem dicere unicam aut ferè diſci & doceri in Hiſpania ab aniculis; eſt enim facillima & pacto certiore fundata. In officinâ quæ talem cæli plagam reſpiciat, die tali, horâ tali cribrum emitur; domum illud per Eccleſiam transfertur, forficibus apprehenditur & elevatur, præmiſſiſque nonnullis orationibus interrogatur. Illud incantatione vivax quiete & motu reſpondet; quoniam negat quieſcendo, aſſerit oſcillando.

CVI.

Cateptromantia.

Divinatio per ſpecula.

SPecula, alia dedit natura, alia conflavit Ars, & omnia Viris doctiſſimis ſunt cruces. In ipſis Phyſicus & Mathematicus Naturæ admiratur miracula; linearum concurſum & recurſum, radiorum aut ſpecierum reflexionem; objecti multiplicationem, & multa alia, quæ in Philoſophicis & Geometricis libris ediſſerit. Sanè vitri plumbo infecti virtute mira fiunt, quoniam ejuſdem ope res valdè diſtantes accendimus. Quæ plumbum liquefacerent, multa ſpecula vidimus: quæ duriora metalla, ſunt rariora & majore artefacta. Excelluit in hac arte Venetiis Marinus Geraldus (qui vel invitis Galilæo, Metio, & aliis, à perilluſtri D. Alegrete Auguſtæ Sacellano optimo amico meo, optici tubi Juventor creditur) & multiformia fadit, quibus Philoſophos inſtrueret, recrearet, iuvaret. Uno accuratiſſimè elaborato donavit Urbanum VIII. quod tantæ fuit potentiæ, ut argentum & aurum eliquaret. Simili ſpeculo Romanam claſſem Archimedes incendit. Ptolemæus in Pharo ſpeculum conſtituiſſe dicitur (quod tamen ob nimiam diſtantiam & in aquis præcipuè ubi vapores & nebulæ perpetuæ ſunt meritò multi in dubium vocant) in quo per ſexcenta millia paſſuum hoſtiles naves conſpexerit. Sed & Joannes Pena, Mathematicus Regius præfatione in Perſpectivam, item Vitellio, aliique cylindricorum ſpeculorum ſubſidio docent, quomodo reciprocis reflexionum ictibus extrorſum imagines in aëre pendulæ videantur, viſile autem & ſpeculum non ſpectetur, ut non ſpeculorum repercuſſus, ſed ſpectra & præſtigiæ videantur. Has ego imagines emergentes è vitro, etiamſi artem callerem, primâ vice cum maximo ſtupore conſpexi, egique gratias Deo qui tam pulchro ſpectaculo ditare voluerit naturam. Quid Matthæus Riccius vitro trigono apud Sinas admirationis non excitavit? Fruſtum illi Solis aut Lunæ, aut aliûs corporis cæleſtis affirmarunt. Eodem ſe vidiſſe in muro repræſentari Iridem Stengelius ſcribit, & meus optimus amicus Joannes Marcus hinc jam libro ſpeciali, hinc pulchrè & ſolide, quo Iris in nube modo efformetur, oſtendit.

Alij per vitrum multangulum totos in campo nunc avium, nunc ovium greges, & mox copioſiſſimum exercitum, vel in aquis claſſem oſtenderunt, cum tamen re ipſa unica avis, aut ovis, aut unicus in illo tantùm eques, aut unica triremis eſſet. Ita etiam Aquilonius *libr. 4. optic. ad propoſit.* 115. [poſſe (inquit, pluribus phantaſticis in locis eandem rem ſpectari, ſpecula inprimis teſtatum faciunt: ſiquidem una eademque res toties numero multiplicari videtur, quot ſpecula ſunt, à quibus imago ipſius repercuſſa diverſis lineis in oculum relabitur. Deinde per vitra pluribus planis cælata, res una toties numeratur quot vitrum facies habet, à quibus radij ſimulachro rei affecti ad obtutum infringuntur. Hoc ludicri genus eſt, quo cataphractus miles inſignem armatorum aciem exhibet; nummuſque aureus congeſtum aureorum acervum oſtendit, cupidorum oblectamentum, ac lucerna una multis numero æqualis impenſiùs lumen transfundit. Quo pacto etiam unicus homo, ante ſpeculum viginti

terminorum, ſeu fracturarum conſiſtens v. gr. ſpecies repræſentatur. Prout etiam materia aut forma ſpeculi temperatur, faciem venuſtam vel lurido, aut etiam Æthiopis colore monſtroſam, aut per medium diviſam, aut in rictum canis, alteriusve beſtiæ diſtentam, aut deorſum porrectam pedibus ſurſum tendentibus, aut pro introſpicientibus facie aliam imaginem.] Sed quia multi & optimi ſunt de hac materia libri ſcripti & impreſſi, non eſt cur ſim in his vitiorum prodigiis recenſendis uberior.

Meritò hîc rogare poteſt aliquis, An arguendi de ſuperſtitione illi ſint, qui meridie mero cæleſtes ſtellas repræſentant? Ungebo errorem aut vanitatem fortè, non autem damnabo phænomenon. Quoniam duobus præcipuè modis aſtra interdiu facesque in ipſo flagrantiſſimo Sole conſpicuas fieri ajunt. Unus, qui nihil vanitatis poſſidet, eſt, ut è puteo, aut antro obſcuro cælum intuearis, ita enim profundiore umbra, tenebrisque copioſioribus, non ſecus atque nocte viſus congregatur, nec à lumine ſuperfuſo diſſipari ſinitur. Alter autem modus vulgò notus, etiam doctos hallucinari fecit. Speculo enim convexo aquis immerſo fixas in cælo ſtellas etiam meridiano tempore oſtendunt. Primus modus me judice, difficilis eſt, nam vapores qui radios Solis obtegunt, etiam ſydera occultant, nec tamen omninò vanus, ſi ut aſſeverat Peripateticus apud Galilæum de Syſtemate mundi, ſuggeſſit teleſcopium, quia tubus in ipſo eſt puteo ſimilis, vitra vaporibus. Secundus modus fallax eſt, nam quæ videntur, ſtellæ non ſunt; illa enim quoque, quam æſtivis menſibus pro Canicula monſtrant, Canicula non eſt, ſed ſolis imago, convexitate ſpeculi ad ſtellæ parvitatem contracta & è fundò ad ſuperficiem aquæ in fractione delata, ibique apparens. Quod Aquilonius *loco cit.* ex eo probat. Primò, quia in planis ſpeculis hoc non contingit. Secundò quod Solis figura tantò appareat minor, quantò minoris ſphæræ portio ſpeculum fuerit. Tertiò, quod eâ anni tempeſtate ſtellæ phantaſia borealis appareat, cùm tamen Canicula ultra Æquatorem Auſtrum verſus excurrat. Quartò, probari poteſt, quod Sol ubique non habeat aliis menſibus eandem à Canicula diſtantiam, cùm tamen ſplendor ille in ſpeculo, qui Caniculam repræſentare exiſtimatur, ferè ſemper à Sole æqualiter diſtet.

Confirmat hanc ipſam veritatem experientia quam expendit Robertus Fludius, & olim in laudem D. Chryſoſtomi vander Sterrn vigilantiſſimum apud S. Michaëlem Antwerpiæ Abbatem ad mores reduxiſſe me memini; nam in ſpeculo plano aquâ tecto (quid quid Aquilonius dixerit, aut non dixerit) ipſe Sol radiatus conſpicitur, tanquam ſtella.

Hæc omnia & alia multa cernuntur in ſpeculis, nec à Dæmonis concurſu pendent: quamob rem *Catoptromantia* quam univerſi damnant, aliquid aliud debet eſſe. De illa Spartianus in Juliano. *Carmina profana incantaverunt, & ea quæ ad ſpeculum dicunt fieri in quo pueri ligatis oculis futura reſpicere dicuntur.* Audio multos hoc ævo reperiri, qui ejusmodi ſuperſtitioni vacent: ſi enim quæ dicuntur, ſunt vera; Catoptromantia Dæmonis concurſu non caret.

Huc videtur omninò referenda *Chryſtallomantia*, cujus meminêre compoſitores Polyanthææ impreſſæ Francofurti ann. 1613. pag. 366. verb. *Divinatio.* & alij.

Nomen ſpeculi me cogit ne mandem oblivioni Librum, cui à ſpeculo nomen. Prodiit anno 1616, impreſſus typis Davidis Franci ſumptibus Stephani Michelspacheri, & inſcribitur CABALA, hoc eſt, ut vult Spebala, *Speculum Artis & naturæ in Alchymia. Exinde quid lapis Sophorum antiquiſſimus rei ſit, qui triplex & tamen ſimplex lapis exiſtit &c. per ignotum, attamen notum, ſicuti inſignia prima figura, nunc è Germanico Latio verſa* &c. In hoc tractatu præter calumnioſas in Summum Pontificem figuras, pauca reperies, quæ legere aut aſpicere poſſis: quam ob rem librum vel hoc ſolo nomine flammis condemnandum exiſtimo. Sed quid prætendit in opere intricatiſſimo & obſcuriſſimo Speculator? Aſſerit non ſolùm ſe in tribus ſpeculis Sal Sapientum, Mercurium, Sulphur Sophorum, & Sapientum ignem (cujus beneficio omnia in omnibus maturantur mediante viſibili elementari igne) inveniſſe, ſed etiam addit, Tria nunc hæc ſpecula, ſedulâ diligentiâ, artis ſpagiricæ ope, uno conjunctim ſpeculo incluſiſſe in quo Deum & omnia, cum pampetum gazis perfectiſſimè quando libet videat, unde nuncupari theſaurus theſaurorum rectè meretur. Quin & promittit, minima naturæ occulta, & arcana patefacienda, medio horum graduum. Primus eſt calcinationis, ſub quâ etiam reverberatio & commendatio intelligitur. Secundus eſt gradus exaltationis, quæ ſublimationem, & elevationem una cum diſtillatione comprehendit. Tertius Conjunctionem notat ſimul cum putrefactione, deſolatione, reſolutione, digeſtione, circulatione. Quartus gradus continet in ſe multiplicationem, ſub qua aſcendere, lavare, imbibere, cohobare, nec non coagulare, figere, augmentare, tingere latet. In his etſi multos terminos artis imò & chymicæ ſapientiæ documenta reperias, non eſt cur tempus teras, omnia enim aut injurioſa aut vana ſunt, & oculis prudentum virorum indigna. Imò diſplicet ipſum *Cabala* nomen: licet enim detur naturalis quædam & ingenua Cabala: illa tamen, quæ Judæorum Philoſophiam, divinam, humanam, & naturalem, omniumque rerum doctrinam, myſticè ac ſymbolicè continere fingitur, jam dudum vanitatis ſuæ eſt convicta, ut eſt videre apud Peter. *libr.* 1. *de mag. cap.* 10. & per ſe vanitas tantorum promiſſorum ſatis fatet.

* * *
* *
*

Muſo-

Digitized by Google

CVII.

Muſomantia.

Divinatio per Muſicam.

CÆlos ſuo motu cauſare melodiam mordicùs tenent Pythagorici, ſupponentes totum Olympum eſſe pervium, & liquidum; nam ſi orbes ſolidi eſſent, nec aër qui frangeretur, nec armonia quæ audiretur, eſſet. Et quidem priſco ævo communis fuit Philoſophi Samij ſententia, & optimorum vatum verſibus illuſtrata. Sol ab Orpheo vocatur *Cantor* teſte Domit. Chald. ab aliisque conſonis vocabulis denominatur. At nunc jam ſilet Aſtronomica Muſica, nec benè audiunt, qui illam ſe auſcultare delirant.

Strozzius Cigogna hanc numeroſam armoniam è planetaria plagâ ad empyream traduxit, & Magiæ omnifariæ *pag. 1. libr. 2. cap. 13.* Seraphimos ait cum primo Mobili, Cherubimos cum Syderibus fixis, Thronos cum Saturno, Dominationes cum Jove, Virtutes cum Marte, Poteſtates cum Sole, Principatus cum Venere, Archangelos cum Mercurio, Angelos cum Lunâ concordantiam habere. At meis auribus diſſonat hæc armonia, illam Georgius Stengelius *in malarum artium Theſi XVII.* non eſſe Philoſophicam, ſed oratoriam aſſerit, quàm potius deberet nugatoriam.

Aſtrologi, Judices futuri ſæculi, cæleſtium decretorum Interpretes, Angelos ab iſtâ armonia abnegant; at ſupra fidem intendunt organi humani fides, & ſingula hominum membra docent cum ſingulis Planetis & ſignis concordare. Poſteà genus humanum in claſſes & numeros dividunt, & cholericos docent conſonare Marti, phlegmaticos Lunæ, Melancholicos Saturno, Sanguineos Veneri; addantque Summam eſſe armoniam inter Jovem & divites, inter Mercurium & egenos. Dives multos habet circumpedes, & Satellites plurimos Juppiter; & pauper anceps & ambiguus ſimilis eſt Mercurio, qui cum ſit Deorum nuncius, Erronibus ſervit à pedibus. Sed neque hanc muſicam omninò approbo; ſcio enim humores in multis à cælo dependere, at hoc ipſum ſobriè & parcè pronuncio; teneo enim hominem quà ſapientem, hoc eſt, ſpiritualem dominari aſtris, obedire quà materialem & corporeum; eumque quia non dominantur deſpoticè, nec debere obedire tyrannicè.

Cum ipsâmet Muſicâ armoniâ humanos humores & paſſiones habere conſonantiam experimur quotidie; & expertus Ariſtoteles fuit qui *Politic. Lib. 8. cap. 5.* dixit in melodiis ipſis ſunt imitationes morum, & hoc eſt manifeſtum, ſtatim enim harmoniarum diſtincta eſt natura, ita ut qui audiunt aliter diſponantur (nec eodem modo ſe habeant ad unam quamque ipſarum, ſed ad quaſdam flebiliter, & contractè magis, puta ad eam quæ vocatur Lydia miſta: ad quaſdam verò molles ſecundùm mentem ceu ad illas, quæ ſunt remiſſæ: ad aliam verò mediocriter & compoſitè plurimùm, ut videtur Dorica facit ſola omnium harmoniarum. Phrygia verò diſtrahit, ac rapit animum, & quaſi extra ſe ponit. Non tamen ex mente Philoſophi tam potens Muſica, ut omnis qui audiunt cenſeri debeant μουσόληπτοι, hoc eſt, in muſicam ecſtaſim rapti.

Sæpè muſica paſſio in perturbationem convertitur; & quia poteſt id fieri divinitùs, angelitùs, & humanitùs, quo hæ humorum perturbationes & labores ſuccedant, inveſtigas. Stengelius [Illud decidere, ait, non eſt ita proclivi quomodo muſica quoſdam ad ſaltandum tantoperè impellat, qui certo genere morbi laborant, quem Germani noſtri S. Veits Tantz / id eſt, *S. Viti choreas*, Itali ſua linguâ Saltatores tales *Ballerinos* vocant. Singulari Dei pœna id, maximè in Italiâ (ubi mendicantes, dicunt ſe punitos eſſe, quòd SS. Euchariſtiæ majores ſui reverentiam non exhibuerint, dum ſacerdote cum illâ tranſeunte, non ſolùm genua non flecterent, ſed etiam choreas impiè continuarent) accidere probabiliùs eſt. Sicut & ſingulari modo curari aut leniri creditur in certis locis ſacris Divo Viro dicatis, ubi quotannis in ejus feſto, usque ad extremam laſſitudinem deſaltant: quamvis Magicis quoque artibus id evenire ſubinde poſſit, ut hoc velut ſymbolo muſicæ poſito, veneficium operetur. Inſaniunt enim audito quocunque concentu, & vix contineri poſſunt. Et ſuſpectæ ferè vagabundæque ac paucæ fœminæ in Germaniâ, & adeò in viciniâ noſtrâ ſingulis annis ad loca prædictos ſaltaturæ conveniunt: fortaſſe & nonnullæ, ut ſic ſtipem emendicent, ſicut aliqui Epilepſiam quoque eadem cauſa mentiuntur, &c.]

Poſſet igitur ſuperſtitiosè conſiderari Muſica, ſi aliqua nota ſpecialiter conſideraretur; puta ſi pluries pulſetur UT, quàm RE; pluries SOL, quàm LA, &c. vel ſi omnes reducerentur ad computum, videreturque in quânam lineâ plures, in quâ pauciores; in qua pares, in quà impares eſſent. &c.

CVIII.

Phytomantia.

Divinatio per plantas.

ARbores & plantas contemplatur, & ab earum motu, colore, magnitudine, & aliis qualitatibus fata futura addiſcit, & vaniſſimè vaticinatur.

Sunt qui Virgulis tali die ſectis, & tali modo præparatis theſauros abſconditos quærant, ſunt qui inveniant. De ipſis Georgius Stengelius *Theſi XVI.* [Impoſtores etiam ſunt, qui theſauros monſtrare ſe profitentur virgulis quatuor bifurcatis, quarum ſummitates decuſſatim ſimul hærentes, inferioresque extremitates manibus apertis tenent, ita ut virgæ decidant, in loco quo theſauri quærendi, cùm ergo virgulæ, quæ jam ante caſum minantur parum arteriarum pulſu ſuccutiente moventur, ruinam ſubeunt, & quia arteriarum ſubſultationes oculis non ſunt conſpicuæ,

virgu-

virgulæ ſponte ſuâ exilire putantur. Ita alij bifidum (ex corylo, ſi aurum argentumque, ex fraxino, ſi æs, ex piceaſtro ſi plumbum quærunt) ſurculum decidunt, *Virgulamque divinam* appellant, aut *Metallicam*, qua venas auri argentique aut alterius metalli explorant, inclinante eo ſeſe virgulâ quâ ſub terris venæ porriguntur.] Si interroges, An-ne hæc virgularum virtus & inclinatio ſit naturalis, an potiùs à Dæmonis concurſu pendens? [Fieri poſſe, ait, ut tanquam magnes vi quâdam occultâ naturalique ſympathia hi ſurculi à metallis trahantur. Utrùm autem fiat, quamvis id Majolus *par.* 2. *Colloq.* 4 aſſeratat, valdè tamen incertum eſt. Illud rem ſuſpectam facit, non quòd plerumque fures & magicis imbuti, tali virgulâ etiam in privatorum ædibus argentum inveniant; ſed quòd ſæpè hinc & inde venæ ſint, cur ergo ad hanc virga potiùs convertitur quam ad illam? item cur furca potiùs quam pes? an quia in furca Crux, in Cruce autem hac, ut ſæpè aliàs divinæ gloriæ prædo fœdus quoddam & ſubſeſſas innexuit? Denique cur non ſemper, aut in omnium manu virgulæ hæ ad iſta metalla ſe convertunt? an quia ut in Jaſpide, aut in lapide Turcico, quem vocant, quique in vitro ſuſpenſus, horas motu, ſonituque indicare creditur, non omnium idem ſanguis & manus ad fallendum idonea? Non ſcio. Cur non poſſit dari virtus naturalis in plantis, quæ ipſas in aurum & argentum inclinet, nemo oſtendit, maximè cum Magnes pertinaciſſimè ferrum ſequatur, & hoc naturali virtute. Sed quia de potentiâ ad actum non argumentatur Dialecticus, rem in medium pono, eamque aliàs me examinaturum polliceor.

Scio opinione veterum multas fuiſſe arbores ſecretorum peritas, & inter ipſas Laurum reliquis doctiorem creditam. unde *Fatidica* dicta à Claudiano *paneg.* 3. Vocalis reddebatur igne; nam ex ejus crematæ ſtrepitu futura colligebat antiquitas, [Vide Porphyrium Philoſophum & Euſtachium *Iliados* 3.] Si comburebatur tacita, inſtantia timebantur diſcrimina; ſi fragoſior, fælicitas ſperabatur. Ad prius augurium alludit Propertius libr. 2. Eleg. 26. *Et tacet extincto Laurus adusta foco.* Ad poſterius Tibullus libr. 2. Eleg. 6. *At Laurus bona ſigna dedit, gaudete coloni.*

CIX.

Theriomantia.

Divinatio per animantes.

Θηρίον græca vox eſt, & omnes irrationales animantes comprehendit; Aves, Beſtias, Serpentes, Piſces; & in quatuor ſpecies omninò diſtinctas dividitur, qui enim Aves ſpeculantur, non ſolent alias animantes curare.

Auſpicium eſt, Avis-ſpicium, & ad eos pertinet, qui exiſtimant omnia facta & infortunia humana ab avium motu dependere. Mirabiles conſequentiæ iſtæ ſunt. *Aquila exercitui Thebano ſupervolat, ergo habebit victoriam. Grues aciei ala ſiniſtra imminent, ergo omnia ſuccedent ſiniſtrè. Gallinæ noctu clocitant, ergo ſupervolat Sagarum cœtus. In agro recens arato mergus conſidet, ergo colonus non morietur hoc anno. Illæ picæ ſunt impares numero, ergo aliqua ex illis eſt Saga.*

Augurium, vel ut veteres dicebant *Augurium*, eſt Avi-garrium. Et ſumebatur olim ſummâ vanitate ex avium volatu & garritu, aut etiam occurſu, aut quocunque motu extraordinario. Erant autem tria præcipua ejusmodi ſuperſtitionis genera. Aliæ enim aves volatu, aliæ cantu, futura prænunciabant (& illæ quidem *Præpetes*, & iſtæ *Oſcines* dicebantur.) aliæ paſtu, ſi enim illæ ita avidè comedebant, ut cibus terram paveret, hoc eſt, feriret, nullam forè pavoris cauſam; multam tamen, ſi comedere nollent. Et eò venit Veterum ſtupiditas, ut nihil publicum privatumve ſine auſpiciis tractarent, at omnia P. Claudius Ciceronis inimicus, tanquam vana interdixit, ut conſtat ex eodem Cicerone *Orat. pro Seſtio.*

Alectryomantia, divinatio ſpecialis Galli gallinacei cantum & volatum contemplans.

Multi etiam ſumunt à terreſtribus beſtiis auguria. Nonnulli iter agentes offenduntur, ſi occurrant lepori; gaudent ſi lupo; cùm tamen certum ſit generoſos homines poſſe timere à lupis, & leporinos non debere à leporibus. Alii hoſpites ſuperventuros putant, cùm vident feles pellem, piloſque linguâ permulcentes. Qui ſoleam equini pedis cum omnibus clavis reperias, ſi eam domi affigas, ædes te à fulmine tutas reddidiſſe aſſerunt. Canes à rixa avelli credunt, ſi panem mutes.

Harioli Iſidorio Clario *in Levit. cap.* 20. aſſerente, os cujusdam animalis inter dentes ponunt, & mira loquuntur per ipſum.

Gaſtrologi de ventre diſſerunt, & *Gaſtromantici* ſordidâ conjecturâ à fluxu & crepitu hauriunt notitiam futurorum.

Cephaleomantici caput aſini conſulunt, vel in hoc laudandi, quod aſinos ſe doctiores ſupponant.

Auguria etiam ſolent à Serpentibus ſumi; quod & Stengelius *diſſ. de malis artibus Theſi* XXXIX. aſſerit: ſunt enim anus plurimæ, quibus loco maximæ Bibliothecæ ſit Bufo, & ex ejuſdem motu, quiete, & colore ſumant occaſionem delirandi.

Reperio etiam obtinuiſſe apud multos colubros occidendos non eſſe. Ille enim, ut præſagiunt, qui vel unum occiderit, totâ ſuâ vitâ miſer erit.

Arabes dracones religioſè occidunt, & eorum corde aut hepate in cibum ſumpto auguria captant. Volaterranus *libr.* 13. *cap.* 4. *Anthrop.*

Multa piſces enunciant; ſed plura ipſis affinguntur temerè à præſcientiæ avidis. *Ichthyomantes* divini erant apud Athenæum, futura præſagientes ex piſcibus, in his provinciis vix noti.

Anthro-

Google

CX.

Anthropomantia.

Divinatio per homines.

NOn parcit ſibi homo, ſed ex ſeipſo auguria educit. Si auris dextera tinniat, ſe alicubi laudari aſſerit; ſe vituperari ſi læva. Si illotis manibus domo egrediatur, pertimet infortunium. Si invertantur Scopæ, baculi, aut poſula Sagas non poſſe ingredi exiſtimat. Sale caput dormientis aſpergit, & vera ſe ſomniaturum ſperat. Pedes reſpicit in matrimoniis, in gradibus, in aliis locis. Recepta benedictione à Parocho illum Conjugem priùs moriturum dicit, qui prius moverit pedem. Si gravida aſcenſura gradum, pedem dextram elevat, fæmellam dabit, maſculum ſi ſiniſtram; quaſi in ſiniſtra vergat & inclinet fæmina etiam in ventre. Si ſiniſtrum pedem ante dextrum è lecto efferat, aut veſtiat illo die grave infortunium timet. Si ſolvatur aliqua calcei ligula, de eventu felici aut adverſo pronunciat. Silebunt, ut putat, convivæ omnes, ſi pedem pedi ſuperponat. Erit fulmini obnoxius qui locum primum menſæ occupat cum audiuntur tonitrua. Si imaginem aliquam in templo verteat, aut ſui mutato animo reſtituet, aut ſaltem egredi nequibit. Fælix erit, ſi ſæpè araneum viderit. Si patibulum aſpicit contabeſcet ſpiritu, niſi digitum premat. Sic homo ipſe diſcurrit; & ſæpè tam cæcus ipſe eſt, ut ſuam ipſius cæcitatem ignoret.

CXI.

Necromantia.

Divinatio per mortuos.

MUltis nominibus vocatur eadem Ars ſub diverſâ ratione. *Necromantia* mortuos evocat, & prædicere futura jubet. *Sciomantia* eoſdem comparere cogit ſub umbrarum ſpecie, unde & nomen diductum. Sunt qui velint à Necromantia *Necyomantiam* diſtinguere, quòd in alterâ requiratur ſanguis, & reputatur in altera, ſed nomina Synonima ſunt, & reperiuntur multi conſulendi & revocandi mortuos modi ſub uno facultatis vocabulo.

CXII.

Enypniomantia.

Divinatio per ſomnia.

AN ſomniorum imagines ſint naturales, an à Deo infuſæ, an ſuggeſtæ à Dæmone, an verò vanæ, & ſubortæ per accidens, jam ab annis multis diſceptatur. Inſomnio Divinitatem aliquam ſaltem extrinſecam recognovit Homerus Iliade. *α*. *Etenim ſomnium à Iove eſt*, imò & intrinſecam Iliad. *ξ*. *Somne Rex omniumque Deorum, omniumque Hominum.* Et Seneca in Hercul. fur. Act. 4. *Volucer, Matris genus Aſtrææ, Frater duræ languide mortis.* Quam ob rem hanc ipſam divinitatem reſpiciens Macrobius, quinque eſſe ſomniorum differentias, tradit. Illæ ſunt, *ὄνειρος, ſomnium. ὅραμα, viſio, ἐνύπνιον, inſomnium, χρηματισμὸς, oraculum, φάντασμα, viſus.* Somnium & phantaſma eſſe falſa creduntur: oraculum & viſio vera; iſta clarior, verùm illud divinius.

At ego nonnunquam pias cogitationes inſomnio infundi à Deo, obſcænas ſuggeri ſæpè à Dæmone negaturus non ſum; at exiſtimo plerumque provenire ab humoribus, & nimis ſubtiles interpretationes vanas eſſe: Hanc ipſam ſomniorum vanitatem detexit & prodidit Virgilius *Æneid. 6.* ubi infernum deſcribit, ait enim

In medio ramos, annoſaque brachia pandit
Vlmus opaca ingens, quam ſedem ſomnia vulgò
Vana tenere ferunt, foliiſque ſub omnibus hærent.

Placuit Ovidio ſomnij epitheton & *ii. Metamor.* poſtquam ſubterranea ſomni palatia deſcripſerat, ſic ait,

Quò cubat ipſe Deus membris languore ſolutis
Hunc circa paſſim varias imitantia formas
Somnia vana jacent, totidem quot meſſis ariſtas,
Sylva gerit frondes, ejectat littus arenas.

Et ut Patribus doctrinam hanc confirmem Gregorius *Moralium libr.* 8. ſuper illud. *Terrebis me per ſomnia*, oſtendit ſe noctu non terreri imaginibus, *Somnia contingunt*, ait, *aut ventris repletione, aut inanitione, aut illuſione, aut cogitatione ſimul & illuſione; aut revelatione; aut cogitatione ſimul & revelatione. Cogitationes ſanctiores, cæleſtiores, virtuoſiores ſequuntur ſomnia blandiora & delectabiliora.*

CXIII.

Phyſiomantia.

Divinatio per corporis conſtitutionem.

SUperſtitioſa Phyſica totum corpus examinat, & in eo faciem manusque tanquam præcipuas partes; qui faciem contemplantur, Φυσιογνώμονες & Μετωποσκόποι dicti, qui manus verò Χειροσκόποι, ſeu χειρομάντεις. Videatur Ariſtoteles *de generat. anim. libr. 4.*

Phyſiognomia igitur faciem hominis reſpicit & è proportione divinat. Cicero *de fato*: [*Zophyrus Φυσιογνώμων, qui ſe profitebatur hominum mores naturaſque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoſcere.*] Hujus artis meminit Plinius *libr. 35.* Suidas, & alii.

Non videtur omninò contemnenda hæc facultas, quia experientia nos docet diſcurrendi fælicitatem & facilitatem in homine à capitis officinis pendere; quarum proportio ab exteriore apparentiâ colligitur. Vidimus homines valuiſſe memoria nonnunquam, qui tamen vulnerati capite

capite hanc eandem prærogativam perdiderunt; & quia exempla quotidiana nu surgent, è pulchra facie morum ſuavitatem, è turpi ſeveritatem & auſteritatem inferimus. Sed quonam in Phyſiognomiâ modo proceditur? Vanè, ſuperſtitiosè, phyſicè.

Vanè quidem, cùm lineis frontis, genarum & menti ſpeculatur Metopoſcopus, putatque longas ſignificare morbos, breves divitias, dextras filios, ſiniſtras carceres & ſexcenta alia, quæ cum his lineis nullam habere connexionem videntur.

Superſtitiosè cùm ab actionibus, quas facilè Dæmon immutet, infert conſequentias Phyſiognomon. Siſtitur in medium puer innocens, & tacitus mente illum interrogat Divinus, parvusque à Dæmone prædeterminatus, ridens adnuit, lugens negat, claudens oculos mortem ſignificat, caput ſcalpens morbos, terga vertens mineta.

Naturaliter tandem, primò enim ætatem divinamus ex facie, ipſa enim coloris puritas & frontis levitas Amaryllida juvenem à Xantippâ ſubnigrâ & rugosâ diſtinguit. Secundò oculorum & ſupercihorum diſpoſitio varios animi affectus & paſſiones prodit; loqui dicuntur oculi, colorque ipſe animo alterato turbatur. Imò & pictores ipſi penicillo exprimunt animum amantem, deſpicientem, iratum, furantem, cogitabundum, melancholicum; quia hæ & ſimiles multæ paſſiones faſtidiunt cordis latebras, & ad faciem emergunt. Tertiò etiam ipſaſmet inclinationes Phyſiognomon à capitis proportione venatur. Sic diſcurrit. [Omnia bruta habent inclinationes notas, quia cùm careant arbitrio, appetitum ſequuntur; Nulla eſt humana facies, quæ caput alicujus beſtiæ non referat: ergo nullus erit homo cujus inclinationes alicujus beſtiæ paſſionibus non ſint ſimiles.] Majorem ſacræ Paginæ, Patrum & Philoſophorum teſtimoniis demonſtrat: aſſerit quod homo cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis; ſuadet ut nolimus fieri, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, ſed potiùs ſimus prudentes ſicut ſerpentes & ſimplices ſicut columbæ. Proponitque in confirmationem Apologos poſt Æſopum à multis Patribus eruditè conſcriptos. Roborant hoc aſſertum ſuffragio communi Pictores, qui veterum facies à facinoribus, quæ legunt in hiſtoriis, eruunt. Hinc eſt, quod Aquiliformem Julium Cæſarem pingant, ut ingenij promptitudinem & vehementiam Spiritûs exprimant: Octavium Auguſtum pacificum & moderatum Agniformem: Capriformem Tyberium, ob ſummam quâ ardebat libidinem: Caligulam qui omnes depauperavit, ut ſe auro involveret, Lupiformem; Piſciformem Claudium qui naumachias in Theatris exhibuit, arenamque in Oceanum vertit: Neronem Matricidam, incendarium, flagitioſum, crudelem, Leoniformem: Galbam ſubdolum, mendacemque, qui dignus fuiſſet imperio ni imperaſſet, Vulpiformem imaginantur: Othonem feſtinum, & in vitâ morteque moræ impatientem Equiformem: Vitelium edacem, obeſum, & parcere neſcium, Elephantiformem: ob prudentiam Serpentiformem, Veſpaſianum. Titum, religioſum, fidelem, Caniformem: tandemque Tauriformem, ſylveſtrem, ferum, aggreſſorem nobilitatis Domitianum, &c. Hinc ulteriùs progreſſi Porciformem, Heliogabalum, aliosque Cygniformes, Anſeriformes, aut Bufoniformes effingunt.

Hinc Ciceroni lux, qui 2. de Fin. *Nec tamen argumentum hoc Epicurus à pueris petivit, aut etiam à beſtiis quæ putant eſſe ſpecula naturæ, nam viri diſſimulare, & paſſiones ſubigere poſſunt; at pueri & beſtiæ neſciunt.*

Scio hunc ipſum Phyſiognomiæ diſcurſum, non ſemper eſſe verum; dantur enim facie ſimiles homines, moribus & ingenio diverſi. Exemplo nobis ſint Carolus & Clodius apud Magnum Henricum Galliæ Regem; quorum ſummi ingenij erat prior, ſummæ inertiæ poſterior: de quibus aliquando ipſe Rex, *Omnes homines habent*, ait, *aliquam beſtiam cui ſint ſimiles: & re benè perſpectâ Ludovici beſtia eſt Leo, Froylani Taurus, Caroli Clodius.* Sed quia è facie colligitur quædam generalis ſaltem genij & ingenij idea, bruta cum hominibus ſpeciali tabulâ volui componere, & Figuram delineare.

CXIV.

Chiromantia:

Divinatio per manum.

EſT Phyſiognomiæ altera pars. Qui hanc Artem profitetur χειρομάντης, χειρομάντις & χειροσκόπος appellatur. quales olim Helenus Syracuſius, Eumolpus Eleuſinius, & noſtro ævo Tiſnerus, Ebortus & nonnulli alij fuêre, qui περὶ χειρομαντείας libros curioſos ediderant.

Sanè è manibus aliqua indicia medica eruuntur; nam palmæ ardentes intemperiem enunciant, color linearum ruber ardorem jecoris, pulſûs turbatio febrem, at linearum contemplatio vana eſt. Ideò illæ in palmâ, quia manus clauditur introrſum, nam ſi clauderetur extorſum in dorſo ejusdem manûs eſſent. Sectiones, cruces, patibula, circulos, ſtellas, ſignificare morbos, labores, infortunia, favores, promotiones, falſum eſt, vanèque aſſertum ab otioſis ingeniis lucri causâ. Hac arte victitant gyrovagi illi, qui in Hiſpaniâ *Ægyptij*, & *Zingari* vocantur in Germaniâ, ideò fortè tolerati & permiſſi, quòd jocari credantur.

Sed hîc ſubiungam quatuor lineas, quas à Patribus familias legi optarem. Sunt qui hanc artem eſſe nugatoriam & vanam confitentur, & tamen illam profitentur, tenentq; hanc ipſam inter juvenes multarum eſſe fragilitatum pallium. Tenera eſt caſtitas, & quam meris oculis violare poſſis. S. Auguſtinus in Regulâ. *Oculi veſtri etſi jaciantur in aliquam feminarum, figantur in nullâ. Neque enim quando proceditis, feminas videre prohibemini; ſed appetere, vel ab ipſis appeti velle criminoſum eſt. Nec ſolo tacito affectu, ſed aſpectu quoque, & affectu appetitur & appetit concupiſcentia femi-*

fœminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habetis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis eſt indicium. Et cum ſe invicem ſibimet (etiam tacente lingua) conſpectu mutuo corda nunciant impudica, & ſecundum concupiſcentiam carnis alterutro delectantur ardore etiam intactis ab immundâ violatione corporibus, fugit ſanctitas ipſa de moribus. Nec putare debet, qui in fœminam figit oculum, & illius in ſe diligit fixum, ab alijs ſe non videri cum hoc facit: videtur (enim) omninò, & à quibus ſe videri non arbitratur. Tam rigidè, tam ſeverè in materia pudicitiæ Auguſtinus.

At audire me exiſtimo Aſmodeum, immundæ concupiſcentiæ Antiſtitem, petulantum adoleſcentum comitem & conductorem, qui Divo iratus in hæc verba prorumpit. [Te annoſo & jam canos mulios pectente ſenior ſum Auguſtine. Sis doctus, ſis cautus, ſis providus; ego vivacitate naturæ, ingenij cultu & ſæculorum plurium experientiâ elimatus, ſum doctior, cautior, providentior. Oculis ponis fræna, habenas linguæ; nec illos ablandiri, nec hanc adulari fœminæ ſpecioſæ permittis? Nihil in toto humano corpore criſtallo oculorum eſt purius, & tamen ibi ſordes reperis, & aſpiciendi libertatem condemnas? Afra hæc & nimis auſtera ſeveritas, debet ingenioſè coërceri. Dabo Artem, & te invito, in quâ ſub boni ſpecie non jam pulchram adoleſcentem juvenis oculo transverberet, ſed manu-capiat, & captivam retineat, ab omni concupiſcentiæ notâ liber, ab omni ſuſpicione alienam. Pone Ruſticam, pone Principem, pone Nobilem; nubilem, nuptam-ve, pone ſi velis Virginem, quæ nec aſpicere ſoleat, nec aſpici. Si illam amat Lyſimachus, & nullis atribus audiri poruit (mira dicturus ſum) liber à dentibus invidiæ, ſuſpicionibus vulgi & judicum temerariorum reprehenſione, me duce, poterit & palpare, & palpari. Ipſam et Pudicitia, ſi fœmina curioſa ſit; & ſi curioſa Chiromanti laſcivo cedet manus. Hanc Artem in ædes Palatinas protrudam. Et mutuo illarum contactu, etiam linguâ tacente, etiam oculis clauſis, gratiâ nobilioris modeſtiæ, corda loquentur impudica: & dum ſub Chiromantiæ ſpecie fovetur concupiſcentia carnis, & alterutro delectantur ardore; mero manuû motoſarum contactu caſtitas proſcribetur è moribus. Magna eſt apud juvenes χειροκρατεία (magna manuum potentia) Chiromantiam diſcordem vertet in unanimem Chiromachiam, & quia in hoc dulciſſimo bellandi genere [fœmina cunctatur tanquam quæ vincere non vult] vincetur vinciens, vincietur vincens, & cùm dimiſſam & liberam putet, ſeſe experietur manu captam. Igitur Auguſtine, ſiquidem Artem claudendi oculos publicas, Artem ego manus claudendi oppono; & dum oculis exſpolias facies, ego oculis manus expolio, nam exſpoliata oculis pulchritudo expolitis manibus poteſt captari. Docebant Veteres Rhetoricam, Dialecticamque Philoſophię eſſe manus; illam apertam, iſtam clauſam; & noſtra etiam Chiromantica Philoſophia duas manus habet; Rhetoricam, Dialecticam; fœmininam, virilem; apertam, clauſam. Aperit manum illa, & ſub ſapientiæ ſpecie, in palmâ, (ubi incurabilia ſunt vulnera) ictum recipit; remedium poſtulat, & Chiromanticus venator manum claudit, & dum volucres futuraſque fortunas prædicit, cogitat meliorem eſſe manu-captam avicniam liberâ aquilâ; nec putat ſe tangendo exceſſiſſe, quoniam futura contingentia, quæ manui inſcripta, ſuâ carerent eſſentiâ, ſi contactu] Sic Aſmodeus ſummus Chiroſcopus; & verè, ni experientia mentitur: nam in pleriſque Chiromantiæ ſtudioſis ſuperſtitionem nullam, ſed multum luxum multâ cautelâ coloratum invenio.

Apparatus Philoſoph.

CXV.

Theomantia.

Divinatio per Deum.

DIffert Θεομαντεία à Θυομαντεία, quod illa ſolùm Deum reſpiciat, hæc autem res divinas & ſacras. De hac agemus mox, nunc aliquid deplore dicamus. Sunt igitur Theomantæ illi, qui docti à Deo futura enunciant, quorum aliqui Prophetæ, alij Vates. Prophetæ afflatu veri Dei habent futurorum notitiam, quam etiam habent ſuo modo Vates, ſed afflatu Numinis falſi. Ad Prophetiam referri debent omnes ſacræ Scripturæ prædictiones eventu certiſſimo, & miraculis inimitabilibus, & omni creaturæ, etiam Angelicæ impoſſibilibus confirmatæ: ad Vaticinium pertinent omnia Gentilium Idolorum oracula, quorum multas ego differentias reperio: nam vel Dæmon movebat labia Statuę, vel Hominis; ſcimus enim multas olim fuiſſe obſeſſas Divorum Statuas, quę oracula rogantibus redderent. Prędictionibus claręfuerunt Dodonęa, Delphica; item Trophonij, Amphiarai, Branchidarum in Mileſiâ; Sabęa etiam in Phocide. Antiochena, Palicenſis, Sebennitica, & alię; nimirùm Jovis Hammonis, Serapidis, Mercurij Pharenſis, & Bacchi Thracij. In his olim locis reddebantur oracula, vel ſtatuarum voce, vel concuſſione murorum, vel inſtrumentorum ſtrepitu, Dæmon enim obſeſſor ludebat & illudebat varijs artibus ut homines accurrentes deciperet. Præter ſtatuas etiam ille irruere ſolebat in Homines, & movendo Sacerdotum ſuarum linguas, mirabilia præferre. Ovidius.

Phœbus adeſt; ſonuêre tubæ, ſonuêre pharetræ:
Signa Deum noſco per ſua, Phœbus adeſt.

Et quidem notabile Exemplum reperio apud Virgilium *Æneid.6.* à ritu Sacerdotum deſumtum. Ibi ſic;

Ventum erat ad limen, cum Virgo poſcere ſacra
Tempus ait, Deus, ecce Deus. Cui talia fanti
Ante fores ſubitò, non vultus, non color unus,
Non comptæ manſere comæ. ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, majorque videri,
Nec mortale ſonans, afflata eſt Numine quando
Iam propiore Dei. Ceſſas in vota preceſque
Tros, ait, Ænea? ceſſas? nec enim ante dehiſcent
Attonitæ magna ora domus. & talia fata
Conticuit. Gelidus Teucris per dura cucurrit
Oſſa tremor, fuditque preces Rex pectore ab imo.
Phœbe graves Trojæ &c.

At Phœbi necdum patiens immanis in antro
Bacchatur Vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum, tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitq; premendo.
Oſtia jamque domus patuêre ingentia centum
Sponte ſuâ, Vatiſque ferunt reſponſa per auras.

Hic Hominis obſidendi modus, cum per eos Phœbus ſtygius loquitur: quem jam in Europâ ſepultum, noſtrates repererêre in Americâ, & in ſecretioribus Provincijs Indiæ, etiam nunc oraculorum apparatu deceptis. Noſtri Authores Theomantas ad quattuor claſſes aut ſpecies reducunt. Repetiuntur enim obſeſſi, ſeu Pythonici; Afflati, ſeu Enthouſiaſtæ; Ecſtatici mente alienati; & Lycanthropi: quæ omnes Theomantiæ differentiæ *Levit.* 20. damnantur.

Inter omnes Theomantas Pythonicæ immundiſſimæ erant, obſcœnæ meretriculæ, quibus adjungere potero Molochomantas æquè ſordidos. Erat Moloch Ammonitarum Idolum 3. *Reg.* 11. 8. conſultus ſeminis deciſione; cujus nefanda Deus oracola interdixit. *Levit.* 20. dicens, *Homo de filijs Iſrael, & de advenis qui habitant in Iſrael, ſi quis dederit de ſemine ſuo Idolo Moloch, morte moriatur; populus terræ lapidabit eum: & ego ponam faciem meam contra illum, ſuccidamque eum de medio populi ſui, eò quòd dederit de ſemine ſuo Moloch, & contaminaverit ſanctuarium meum.*

Lego inferiùs. *Anima quæ declinaverit ad Magos & Ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi ſui.* Et interrogo, An-ne fornicandi vocabulum ſumi metaphoricè debeat, an in ejuſmodi ſuperſtitionibus pediſſequa eſſet divinatorij ſacrilegij fragilitas, & conſultores, conſultæq; commiſcerêrur? Quid ſcio? multa ſuſpicor, cum Sagarum Magorumque noſtratum culpas lego; ſemen olim Molochi erat Minerval, & hodie Dæmon Magis Sagiſque abutitur revelationis pretio. Sed ne per ambages te conficeram, Iſidorum Clarium Brixianum, Monachum Caſſnenſem, & poſteà Epiſcopum Fulginatenſem proferam; qui illa verba *ad Magos*, ſic exponit. [Alius vertit *Pythones*, nempe à Pythia; nam mulierem, Apollinis Sacerdotem, ità appellabant; ex cujus pudendis impudens Dæmon reſponſa dediſſe dicitur. Secundum Hebræos verò, qui habet Pythonem, vocare ſolet mortuum, qui inter Magi illius fæmora, vel inter axillas in locis immundis apparet, loquens voce ſubmiſsâ, quaſi vox illa ex profunda aſcenderet terrâ. Eſt & alia Pythonis ſpecies, nempe quòd cranium mortui conſulitur, & reſponſum inde quæritur. Hæc Hebræi.] Huc uſque Clarius.

CXVI.

Cleromantia.

Divinatio per ſortes.

SOrtilegi adſcribuntur Theomantis; quoniam ſortes ſi infallibiles eſſent, aut à Deo regi deberent, aut à Fato. quod ſi à Fato, quid deeſſet Fato ne eſſet Deus? putò enim atheos cum ad Fatum recurrunt, Deum quem negant, admittere ſub alio nomine. Sortes Doctor Angelicus 1. 2. *queſt.* 95. *art.* 8. in bonas, malas, & vanas partitur. De ſingulis accuratè Etymologicum trilingue Lugdunenſe editum anno 1607. & prolixè Peucerus, *Comment. de varijs divin. generib.* Inter profanas ſortes celebres habebantur Herculanæ, Preneſtinæ, Antiatinæ, Aponianæ, Vergilianæ, Lyciæ & Deliæ.

Multis hodie modis ſortes jaciuntur ſine ſuperſtitione ſeu periculo; nam tametſi electio per ſortes mala ſit, ſi expoſita periculo promovendi indignum, ubi digni ſunt omnes, tolerabilis eſt; & olim obſervata ab Apoſtolis in promotione Matthiæ, & hodie Compluti in Creatione Rectoris; è tribus enim ab univerſitate delectis & hoc nomine ſolo digniſſimis, ſors unum promovet. In privatis negotijs abſit, ut bona malaque agenda aut omittenda ſorti ſubſint, & tamen ubi bona ſunt omnia, nec humanitus reperitur diſcretio, ad Deum ſanctè confugitur, & per ſortes ejus voluntas ſpectatur. Sanctè uti per ſortes, à multis Viris ſanctis, colitur; & à Stengelio oſtenditur integro libro non eſſe omninò vanas ſortes illas, quas jaciunt, cùm certant pietate Catholici.

Si in ſortibus aliqua ſit implicita aut expreſſa Dæmonis invocatio, ſacrilegæ ipſæ & homine ſincero indignæ. Superſtitioſis molitæ innituntur Artes & inter ipſas, Geomantia, Onomomantia, Arithmomantia, Logarithmomantia, Cabaliſtica, Tephramantia, Botanomantia, Ceromancia, & aliæ.

CXVII.

Thejomantia.

Divinatio per ſacra.

NOmine religioſo inſignitur, & tamen Ars irreligioſa. Apud veteres aliter abutebatur rebus ſacris, ſed apud nos audentiùs & crudeliùs omnia divina legat, ut fatorum quæſitam cognitionem adquirat. Speculativa eſt, & ſi ad praxin perveniat *Theurgia* nominatur. Hujus meminere multi Authores, nulli clarè, Stando igitur divinationi purè ſpeculativæ dico; *Thejomantiam eſſe quandam divinandi Artem, quæ ſacras veritates præmittit, & temerè deducit conſequentias.* Temeraria ſunt iſta judicia, ſed multorum. I. *Qui tertiò conſequenter ingreſſus templum, miſſam defunctorum invenit, illo anno moriturus eſt.* II. *Qui claudit oculos, cum elevatur hoſtia, eſt in mortali.* III. *Qui non ſumit aquam benedictam, eſt ſaga.* IV. *Qui dormit ſub concionem, vera ſomniat.* V. *Qui Corporalium, quibus Neomiſſa uſus, tranſglutierit particulam,*

ticulam, docebitur in ſomnio an habeat uxorem laſcivam. VI. *Qui tot curarit miſſas duci in altari Septentrionali, horâ tali, & tales orationes addiderit, viſitabitur ab animabus Purgatorij, antequam ex hac vita deſcedat.* &c.

Apud Veteres *Theomantici* dicti, qui & *Hieroſcopi*, Sacrificiorum Inſpectores, qui profitebantur extiſpicinam, Pyroſcopiam, Capnomantiam, Libanomantiam Oenomantiam, Critomantiam, Ocrhyticomantiam, Ichthyomantiam, & conjectabantur per exta, per ignem, per flammam, per fumum, per thuris ſuffitum, per vinum, per hordeum, per farinam, per ovorum inſpectionem, per piſces.

CXVIII.

Ars notoria.

EſT Ars univerſalis, ſuperſtitioneſque quas ſeorſim & ſingulatim alunt cæteræ, ipſa in unum conjungit. Meritò ab Angelico Doctore damnatur; omnium enim notitia ſoli convenit Deo. Ars breviſſima quæcumque eſt longa; vita, ut illa adquiratur, eſt brevis; experimentum, quo comparari poteſt, fallax. adeòque nulla in mundo quæ perfectè ſciatur. Sed quo modo hæc Encyclopædia ſcientiarum adquiri dicitur? veſtium munditie, corporis puritate, arâ, thure, oratione, jejunio, & alijs multis cerimonijs, quæ Dæmonis præſciſſu concuſſu infundere ſcientias non poſſunt.

Hoc omninò ſcientiæ monſtrum condemno, & in ipſo ſingulas Facultates promanticas, & ne Lector exiſtimet me duci noſtræ ætatis ſcrupulis has artes ab omni ævo irriſas & damnatas oſtendo.

CXIX.

Veterum Iudicium

De promanticis Artibus.

DÆmonum illas cooperatione aliquando fulciri certum eſt; at omnes ſemper & ubique uni Dæmone falſum. Errant & mentiuntur Promantes in rebus obvijs, & quæ à Dæmone ignorari non poſſunt. Unum è multis exemplum recenſebo, ut videamus has ipſas omnes artes ab Ethnicis fuiſſe contemptas & vanas omninò judicatas. Miſonianum proferam, cujus Fulgoſus *libri VII. cap. 31.* meminit. Hic enim prudentior toto exercituum turmas hærentes inſpiceret, intelligeretque inſtantiam eſſe Auguris juſſu, ad auſpicium pedetentim acceſſit, aliudque ſimulans arcum tetendit, primâque ſagittâ confodit auguralem volucrem & in terram dejecit. Aruntem riſit, dixitque parum conſilij atque opis ab irrationalibus animatis poſſe quenquam ſperare, poſteaquam patrat ea neſcire quæ ſibi ipſi immineant; Vir verè ſagax, qui verbo & re auguria eſſe vana & à ſtultis credi oſtendit.

Apparatus Philoſoph.

Adjungo Miſoniano Demetrium, qui apud Eraſmum *lib. Apoph. 6.* ex Plutarcho, Philippo roganti an occupatum locum Meſſenijs redditurus eſſet, tametſi exta infortunia prætenderent, *Si animum* inquit, *Vatis geris, locum dimittes; ſin Regis utroque cornu* (duplici arce) *bovem* (Peloponeſum) *retinebis.*

Quibus exemplis ita fuit commota Poſteritas, ut multi pullos qui dicebantur infælicia portendere, ſummergi juſſerint, & dixerint, *Si non volunt comedere, ſaltem bibant.* paucis monſtrando verbis quam parvi Augurum inſania debeat fieri.

Ridicula erant prudentum Ethnicorum ſententia, omnia Divinorum oracula; & inter ipſos, ut *l. 2. de Divinat.* notat Cicero, M. Cato ajebat, *ſe demirari quod non rideret aruſpex quoties aſpiceret Aruſpicem.* Et meritò; ſolent enim Impoſtores inter ſe irridere vulgi dementiam; nec ignorare alter Aruſpex poteſt, alterum fucum plebi facere & credulos homunciones decipere.

CXX.

MAGIA PRACTICA.

OMnes hæ facultates, quas recenſui, eò tendunt, ut quod viribus naturæ non poteſt, Dæmonis ſuggeſtione ſciatur. Sunt & ſcientiæ Magicæ operativæ, à quibus eximia perpetrantur prodigia, quæ juvat breviter enumerare. Regulas non trado, ſed inſinuo; ita ut quicumque ſatis ſit doctus, ut eas fugiat; nemo ſatis ſit doctus, ut utatur. Multas conſultò omitto, vel quia rudiores, vel quia ad poſitas reduci poſſunt.

CXXI.

Medicina Magica.

SAlutiferam Phyſicæ partem jam olim ſuperſtitionibus inquinatam lugebant veteres, vitabant prudentes & ſancti, Chryſoſtomus de fato ſerm. 7. *Si quis medicus potionem dat, accipienda eſt, nec curioſè inquirendum qualis, ſed habenda uti ſanitati conducens ſi veneficus eſt, magus, incantator, non modò non inquirendum qualis ſit, ſed etiam vox fugienda quaſi letbifera.* Ecce Chryſoſtomi ævo duplex fuit medicina, Naturalis, & Superſtitioſa. Hanc breviter exponendam ſuſcipio: incipioque ab ægrotâ Arithmeticâ, quæ Criticos dies & annos climatericos peperit. Naturalis hæc eſt dierum & annorum diſcretio, ſed ſuperſtitioſa eſſe poteſt, ſi limites prudentiæ excedat, Tempus teſte Ariſtotele eſt numerus motus, ſecundum prius & poſterius, & tamen hominum pericula non dependent à numero ſed ab humoribus. Fortè numerus nil reale eſt à rebus numeratis diſtinctum: ut ſit aliquid, quantitas erit quam non puto operativâ eſſe. Nō ergo ſeptimus aliuſve criſin dies ſed humorum & ſanguinis revolutio facit, alij quippe humores adeò celeres & acres ſunt ut uno quoque die periodum compleant, & ſubjectum invadant: alij

ſecundo die : alij tertio : unde febrium nomina & differentiæ emanant. Sunt & humores, qui tardiùs redeunt : hinc ortæ variæ febres : notiores ſunt Quotidiana, Tertiana, &c. & Martinum Gutterez Hiſpaniæ Ciſtercienſis Generalem Reformatorem vidimus laborantem Octanâ. Hos humorum receſſus Georgius Stengelius *Theſi XIX.* vocat *Criticos*, & ex ipſis deducit, quid debeat de ægri valetudine ſperari. At Medicaliter dies enumerant, & aliter futura præſagiunt: videntur enim judiciales hi dies fere a Lunâ pendere ; eſſeque quintum, ſeptimum decimum, quintum-decimum, vigeſimum, vigeſimum-tertium, vigeſimum quintum, & trigeſimum in quibus locum morbi Luna aſpectu ✱ □ △ ☍ △ □ ✱ reſpicit. Sunt in corpore humano humores varij. Sanguinis circulatio negari non poteſt, diebus determinatis ſuam periodū complet ille humor qui febrem cauſat. Alius ſequitur Lunam & circuit menſe : alius anno : & quod mirabilius eſt, alius ſeptennio, alius novennio : hinc otime annum LXIII. eſſe periculoſum: quia in eo concurrit ſeptennarius & novennarius motus : nam ſexageſimus-tertius nonus ſeptennarius & ſeptimus novennarius eſt : quam ob rem Auguſtus Cajum nepotem lætum natalem diem ſuum celebrare juſſit, quòd annum illum omnibus ſenibus periculoſiſſimum evaſerat.

Hucuſque juxta naturæ leges : at poteſt accedere periculoſa ſecuritas, aut vanus timor, ſi vel critici dies bono valetudinis recuperandæ omine negotia conſcientiæ retardent, quod ſæpè vidimus ; aut climaterici anni afficere credantur moralia. Lego in Ambroſio Calepino impreſſo Venetijs anno 1625.[*Climatericus*, dici poteſt *Scalaris numerus* ad quem per gradus & veluti ſcalas quaſdam paulatim aſcendimus; qualis eſt numerus qui ex novem novenarijs reſultat: nam unitas ter ſumpta conficit ternarium, ternarius ter ſumptus novenarium ; novenarius autem novies ſumptus conficit LXXXI. ārium. qui eſt numerus climatericus. Hunc autem numerum in humanæ vitæ annis maximè formidabilem eſſe à veteribus proditum eſt ; quippe qui rarò ſine vitæ aut fortunarum periculo ſoleat tranſmitti. Hoc enim anno ætatis Plato Philoſophus, Diogenes Cynicus, Dionyſius Heracleotes ; Eratoſtenes Geometra diem ſuum obierunt. Alij annum ætatis ſexageſimum tertium in primis periculoſum judicarunt, qui conſtat ex ſepties tribus ter multiplicatis, quem etiam Climatera vocabant] Sic ille, apud quem vides climatericos annos morbis eſſe & jacturis fortunarum infames. Veteribus, quos citavit hic Author, multi noſtra ætate ſubſcribunt ; vanè tamen, Ericius Puteanus Lovanij bonarum litterarum Antiſtes, vir aliàs robuſtæ valetudinis, ætatis ſexageſimo tertio, trabe decidnâ in arce percuſſus, in civitate curru excuſſus, à temerario accuſatore reus actus, multa paſſus vitæ pericula & fortunarum jacturas firmabat opinionem eorum, qui climateribus ſubjiciebant extrinſeca & moralia : at ego eum ob climatera morbo afflictum concedam ; verùm trabem ideò fractam, inverſum currum, lite conteſtatam calumniam, quòd annum agebat Scalarē, crediturus non ſum.

Hæc de hominum morte ; & quia tota vita dies unus, aliquid de nativitate ſubſcribamus. nec inculari ordinem præpoſterum putans, nam currimus hic omnes, metam propetamus ad unam ; & qui currunt non tam reſpiciunt carcerem à quo egrediuntur, quàm terminum ad quem contendunt. Naſcuntur infantes ſeptimo, octavo, nono, decimo, & ſi noſtro ævo credimus, etiam decimo-tertio. Octimeſtres partus non ſolent diu eſſe ſuperſtites, non ob numeri aliquem malignitatem ; ſed ob rationes phyſicas, quas Medici prudenter expendunt. Hanc Hippocrates *libr. de octim. part.* profert.[Aliquando, ait, fætus humanus ſeptimo menſe perficitur, & tunc poſt ſextum menſem conatur exire : quod ſi non reperit magnam reſiſtentiam, tunc validus erit & robuſtus: ſi autem valdè ei reſiſtitur, continuâ illâ menſis pugnâ debilitatur, & octavo menſe prodit in lucem. Cùm autem nono menſe fætus perficitur, ita plerumque validus fit, ut nulla eum reſiſtentia uteri debilitet.] ſi non placeat hæc ratio, alia dari debet, aut quæri, nec recurri ad numeros qui cùm activi non ſint, non poſſunt homines fælices aut infælices reddere. Et quid quæſo dicemus de infante menſe tertio-decimo nato ? Puto ejuſmodi nativitatem naturalem non eſſe.

Inter Nativitatem Mortemque excubant morbi, & illis fruſtrà opponimus numeros. Video pilulas ternas, quinas, ſeptenas dari, ſyrupos tertiò aut quintò ſumi, triduò à vino abſtineri. Pentaphyllum credi ſalutiferum ratione potentiſſimi numeri : uno ejus folio ephimeræ, tribus tertianæ occurri ; & in medicinis univerſis aut ferè vitari & fugi parem numerum : ſed hîc ſi non ſuperſtitionem, ſaltem vanitatem quis neget ? Pilulæ impares authore Delrio *lib. 1. cap. 4. quæſt. 2.* & Stengelio *Theſi XIX.* in medicinis, ſicut heliotropij grana tria pro tertiana, quatuor pro quartana, & alia hujuſmodi per ligamenta malo exemplo ſervari ſolent, neque enim catapotia aut pilulæ impari numero plus proſunt, ut fatentur præſtabiles Medici (licet numero impari plerumque præſcribantur, & conſuetudo hæc multos in annos manſerit) quàm pari, ſi æquali quantitate præbeantur. Antiquæ igitur ſuperſtitionis monumentum impar iſte numerus olet.

Fruſtrà etiam alij cæremonias opponunt ; ridendi etiam omninò illi ſunt, qui ſuadent laborantibus dolore renum ; ut audito tonitru in pavimento volutentur : & naufragantibus tertio in ignem injectis grandinum globulis, tempeſtatem ſedari.

Vana & periculoſa etiam eſt Medicina, cùm ſupra naturæ vires aut juventus ſeni, aut mortali vitā æterna in hoc mundo promittitur. Bruxellæ Titius (& canus ipſe) nundinabatur pulveres, quibus vitaretur Senectus, imo quibus repelleretur.

Vetatur

Vocatur ab excellentiſſimo Principe Emanuele de Portigal, Antonij filio, Magni Emanuelis Luſitanorum Regis Pronepote ſeptuageſimum annum agente, neo deſpecturo juventutem reducem, ſi offerri contingeret; conſtat ſententiæ ſuæ, & pollicetur unius menſis curriculo ita conſortaturum Principem ut reproducat novos crines, novos dentes, novas carnes, & exutâ veteris hominis lebetide, novum hominem induat. Audio Virum; nec tamen Artis eminentiam, ſed promittendi audaciam miror: & ſimilis applaudenti interrogo, An-ne dederit eximiæ artis ſpecimen. Periculum ſe feciſſe, ait, in arboribus; nam effætæ & decrepitæ trunco terebrato & mediâ hyeme pulveribus in medullam tranſmiſſis octiduo flores habuit, recepturos etiam fructum ni illos glacies uſſiſſet. Omnia Principi arrident; at anceps hæreo, nec rem probo nec impugno; venio ad alia reperioque illum in chymicis & phyſicis virum doctiſſimum. Cœlum, terras, abyſſos diſcurrendo revolvimus, ſed ut actum de Dædalo, volandi Artem verè à Dædalo habitam, hominum poſteà negligentia deperditam, ſe reſtituiſſe ſerenâ fronte & pectore tranquillo affirmat. Audit Princeps impatiens, atque ſe judice, unam & eandem artem eſſe volandi juveneſcendique æquè impoſſibilem, unam ac alteram; niſi fortè diceretur rejuveneſcere annoſum ſenem poſſe, ſi volet ad alteram vitam. Frigidè diſceſſit inde Titius; at promiſſa miracula nec in vegetativis, nec in ſenſitivis, nec in humanis unquam vidimus.

Fortè legeat quæ in volumine artium aut Secretorum Alexius Pedemontanus ſub medicinæ pallio philoſophiæ non probata paſſim inſpergit, ut quod libr. 1. non ſolùm aquam aut ſuccum promittat quo homines ſemper (inſtar Artefij apud Cardanum) venuſti, ſani, robuſti conſerventur, quoque ſenectus impediatur, (mirum ni ſuccus ille nectare aut ambroſia temperatus eſt) quo & affirmat ſeptuagenarium ſenem canis, & morbis coopertum, ita revixiſſe, ut tanquam ſerpens exutâ leberide pro viro 36. annorum haberi poſſet: ſed etiam huic aquæ, Aurum, ut vocant, potabile ſi miſceatur, vel ſi etiam ſolum bibatur, idem dicat, omnem morbum inſanabilem, ſeptem dierum ſpatio ſanare ſe poſſe. Quibus ſi fides habeatur poterit & haberi fabulis, in quibus Medea Æſonem recoquit, ut eſt apud Ovid. vel Bacchi nutrices rejuveneſcunt. ex eſt apud Æſchylum, & ne nimis ſeverus cenſor videar, fateor me ante annos triginta Alexium in puteum inutilium librorum rejeciſſe irritatum multis ejuſdem poſitionibus quas periclitatus & falſas reperi. Scio quid ſcribat Strozzius Cigogna *pag. 1. lib. 4. cap. 7.* & ante eum Torquemada & Pet. Maffeius *in hiſt. Indicâ.* Quorum ille ait, Tarenti fuiſſe centenarium ſenem capularem, qui canis in meliorem colorem mutatis, dentibus renatis, rugis abſterſis; oculorum, atque aurium cæteriſque ſenſibus renovatis è ſene juvenis prodierit, & 50. poſt annos ſupervixerit: cui ſimile in Caſtella, & item Monverdi contigit. Maffejus autem narrat, Indo cuidam nobili trecentorum, triginta & ſupra quibus vixit annorum ſpacio, juventæ florem ter exaruiſſe & ter reffloruiſſe. Scio hæc inquam, ſed peculiaria Dei opera, nihil naturæ præſcribunt.

Arte rejuveneſcendi explosâ, quid de Arte immortalitatem promittente dicturus ſim, Catholicus Lector prævidit. Pronuntio liberè, Medicinis, pharmacis, herbis, lapidibus, metallis, fortè retardari mortem poſſe, at omninò vetari non poſſe: nam ut dicitur vulgò *Contra vim mortis non eſt medicamen in hortis.* Sic omnes, omnes. Claudianus 2. de rapt. Proſerp.

Sub tua purpurei venient veſtigia Reges,
Depoſito luxu, turbâ cum paupere mixti,
Omnia mors æquat!

Lucretius 3.

— — Certa quidem finis mortalibus adſtat,
Nec devitari Lethum pote quin obeamus

Et Seneca Theb.

Eripere vitam nemo non homini poteſt,
At nemo mortem

Meritòque, nam ut notat Ovidius ad Liviam, *Omnia debentur Morti*, quoniam.

Omnia ſub leges Mors vocat atra ſuas.

Et ſanè ſi Poëtis, quibus omnia licent, immunitatem à morte polliceri non licuit, quâ fronte queat Philoſophus illam nundinari non video, quàm ob rem cenſeo prudentiſſimè Galenum *lib. 6. de tuenda ſanit. cap. 3.* audaciam cujuſdam exploſiſſe, qui vitam hominibus immortalem fuerat pollicitus. Ubi etiam ut & in alijs illius tractatûs libris oſtendit, cujuſque viventis vitam habere determinatam durationis periodum, tandemque omnia viventia ad ſenium mortemque venire oportere, quod eorum corpora continenter ſiccentur, humor & calor quibus nititur vita horis omnibus exhauriatur. Quod etiam Ariſt. *lib. 2. de ort. & interitu t. 57.* docuit. Et ſanè cum vitæ ratio in conjunctione animæ cum corpore conſiſtat, conjunctio autem iſta in debita corporis temperatione conſervetur, tota ratio durationis vitæ ex eadem corporis temperie ac diſpoſitione petenda eſt. Ut ergo anima, juxta generalem formarum omnium conditionem, in materiâ ſuſcipi non poteſt, niſi neceſſarijs diſpoſitionibus opportunâque temperatione antecedentibus: ſic diſpoſitione ac temperatione abolitâ, ſubſiſtere in corpore diutiùs nequit, præſertim ſi natiui caloris cum humido primigenio copulatio tollatur, quemadmodum demonſtrat Hieron. Dandin. *libr. 1. Anim. cap. 33. & 34.* tollitur autem & quidem ita, ut humidum innatum beneficij humidi nutrimentij non poſſit ex æquo reſarciri. Quare etiam Conimb. 2. *de Gen. cap. 10. quæſt. 1.* Alchymicos rident, qui per

aurum liquatum & ad potandum habile & per quintam quandam ſubſtantiam promittuur, ſenectutem poſſe arceri; licet enim medicinis vita aliquamdiu poſſit extendi, neque tamen in multa ſæcula prorogari, quod vel ipſi ſuo exemplo Alchymiſtæ docent, qui utique ſe ipſos curarent, & Neſtorijs annis vegetarent, ſi id poſſent. Cadavera quidem condimentis aromatum à tabe diu conſervari queunt. Sed plus ad rerum viventium quàm non viventium incolumitatem exigitur. Quod autem id, quod in locum innati humidi reponitur, deterius ſit, ſeque ad illud, uti aqua ad vinum habeat, quod ſui permixtione decolorat & debilitat, inde fieri docent Conimb. *in libr. de long. & brevit. vitæ c. 2.* quòd natura in primo ortu tribuat humidum longè melius quam vel artis induſtria, vel ciborum bonitate addiſci queat quaſi propria præſtantiſſimi humidi officina ſit uterus maternus, ejuſque nativa materia illa, quæ viventis formam primo excipit. Accedit quod alimentum quantumvis ſalubre, & ipſæ cauſæ externæ humidum radicale continenter oppugnent & ſiccitas introducta pertinaciùs adhæreſcat ob ſummam reſiſtentiam quam ut perfectè à medicinis vinci poſſit. Qua enim arte oſſa v. g. per ſiccitatem indurata ad priſtinam & infantilem humiditatem remolleſcent? Inferimus. *Ergo neceſſario moriendum eſt.*

Sentit conſequentiæ vim Beverovicius, & vitæ terminum dari ſupponens interrogat, *An ne iſte ſit fatalis, aut mobilis?* Conſuluit de hac Quæſtione doctiſſimos toto orbe Viros, eorumque Reſolutiones tribus Tomis complexus, evulgavit. Ego omnes aptiore loco recognoſco, & duo affirmo, alterum Quæſtionem hanc verbis ſolùm differre à myſterio Prædeſtinationis; tam enim Deus decrevit Petrum moriturum tali anno, quam in tali virtute: alterum, Interrogationem ipſam malè proponi à Medico; Vitæ enim terminus, nec mobilis, nec fatalis eſt: non fatalis, quia alius eſſe poteſt; non mobilis, quia mutari non poteſt. Sed hoc ipſum Theologiæ notitiam penitiorem requirit.

Quæris, Quid de illis inſulis ſentiendum ſit in quibus nemo moritur? ſi dicam omnem hominem moriturum eſſe non judicabis me oſtendiſſe earumdem falſitatem, quoniam ſtare poteſt illarum eminentiſſima prærogativa & moriendi neceſſitas, ſi dicatur, hominem ſi maneret ibi moriturum non eſſe, at tantis in morbo cruciandum doloribus ut exire cogatur; hoc enim poſito, & immunis à morte erit locus, & homo non habebit aliquam immunitatem. Reſpondeo igitur fingi à Geographis has inſulas, & à diverſis in alijs provincijs collocari: noſtro enim ævo navigationes frequentes inſtituuntur, remotæ deteguntur regiones, & in nulla iſtæ Deorum aut immortalium Inſulæ, quas veteres Græci poſuerunt ultra Hiſpaniam: illæ enim quæ ad Galeciam inſigniuntur hoc nomine non habent apicem immortalitatis. Quæ in Hiberniâ eſſe dicitur, & in lacu horrido ſita, vocatur *Enſeana mac*, omninò eſt inhabitabilis & aſpera; & in ipſâ nullus homo moritur, quia nullus moratur. Semel eò oppidani in anno proceſſionem inſtituunt, poſt paucas horas redeunt; nec mirum, ſi nemo moriatur, dum ſupplicat, ſi ratò ibi & tempore breviſſimo ſupplicet.

Sicut dicebant veteres extrahendum hominem ex immortalium inſulâ ut mori poſſet, ſic hodie multi, ubi amicis agentibus animam condolent, ut mori citiùs poſſint jubent lectum mutare (rectiùs diceretur, ut quis occidi poſſit, motu enim cogitationeque illa in extremis conſtituti facilè omninò expediuntur.) Et quod eſt mirabilius omninò, multæ fœminæ, ac ſi materialis eſſet anima, mortuo aliquo feneſtram animæ evolaturæ reſerant. Sunt qui ante mortem cujuſcunque hominis, affirment fragorem ſuper tectum quaſi magnæ molis irruentis, exaudiri. Sed hoc ſicut ſuperſtitioſum aut vanum in domibus illorum Principum quos Meleſſima (Syrena eſt, quę turribus ſuperponi ſolet) nocturno ſtridore morituros pronuntiat; ita verum apud Ciſtercienſes Hiſpanos, quos ferè omnes morituros ſigno externo præmonet Deus, & non-nunquam manifeſto miraculo.

Quæris An medicina quæ demonſtratur dependere à temporibus, ſaltem à loco non dependeat? Hoc eſt, An ſi medicina ponatur Romæ patiens Conſtantinopoli curari poſſit? Reſpondet *Theſi* XXVI. Stengelius. Vulnera quoque jam illata denuò curare norunt, etiam longiſſimè abſentium hominum modo pugionem aut enſem, quo vulnus illatum eſt, ad manus habeant, nam dum vel eo lignum quoddam vel laridum ſauciant, contra omnes Philoſophorum clamores, actiones in diſtans inducunt, abſentiſque plagas coire naturaliter credunt. Et quod tanto pejus eſt, Medicos habent, qui id non ſolum defendunt ſed & faciunt. Conſonat Carolus Stain *in ſuâ Dæmonomagiâ*, & alij multi. Sed hæc Reſolutio ſupponit non dari actionem in diſtans, quod non deberet ſupponi, ſed probari.

CXXII.

Ludendi Ars Magica.

SUnt, qui fallendi temporis gratiâ, ſe ludere aſſerant, nec lucrum ac utilitatem curare; ſunt qui ipſos decipi affirmant, luſumque non eſſe jucundum, ſi deſit lucrandi ſpes, perdendi timor. Sunt, qui ſeriò ludo ſe dedunt, & ut certò lucrentur ſacrilegis cæremonijs ſe præparant, dum exécrationibus dicam an benedictionibus teſſeras luſorias inaugurant, reticulum in quo infans natus eſt, ad ſe fortunandos ſecum geſtant, aut patellam auream è qua Iridem bibiſſe ſibi perſuadent, Cùm tamen patellæ illæ plerumque vel ab aniculis fictæ ſint, ad majus auro pretium addendum, vel genus ſit monetæ veteris, qualem jam ſæpiùs in agro vicino Witeslingenſi ruſticus reperit, & duplici pretio, talis patellæ nomine, vendere conatus eſt; cùm tamen nec Iris bibat, nec ſi biberet, illi tam parva patella ſufficeret, nec aurum tam citò in Iride

generari

Google

generari poſſit: Vel, ſi ante eſt in nube, cur, cùm ſit omnium metallorum graviſſimum, non decidit? Ut verbo dicam. Non poteſt dari cauſa naturalis, quæ det aut augeat in ludendo fortunam. Quàm ob rem media omnia, quæ prodeſſe dicuntur, aut vana & inefficacia ſunt, aut à Dæmonis cooperatione dependentia.

CXXIII.

Ars diteſcendi Magica.

MIra legi in Authoribus de radice herbæ patibulariæ. Naſci dicitur apud hominum ſceleratorum cruces, & eſſe Mandragoræ ſpeciem, humanum corpus referentem, extrahendam à cane, periclitatur namque hominem, ſi rumpatur, & ſtridorem audiat. Circum circa terram aperire jubetur opum avidus, chordam alligare radici & caudæ canis; diſcedere, vocato moloſſum, ut ſuo ille impetu plantam extrahat. Ejuſmodi radices Circumforanei caro vendunt, balneis recreant, mundis veſtibus ornant, & ſic verè ditantur; at qui emunt miſerè decipiuntur.

Sed interrogas, An verè patibularia radix detur? Et reſpondeo me Bruxellæ eam vidiſſe in manu cujuſdam Præſulis Eccleſiaſtici, & philoſophiæ causâ mutuam petiiſſe & obtinuiſſe, totam conſideraſſe, examinaſſe, & judicaſſe artificialem. Erat enim, me judice plantæ alicujus radix, dolabro reformata, & ad hominis ſpeciem reducta; at tamen ipſa viris doctis magniſque ſub patibulo è urina neſarij hominis nata, & juxta artis regulas eruta, utiliſque ad congerendas divitias credebatur. Ne quidpiam deſit, quod Lectorem Philoſophum poſſit recreare, aut inſtruere, imaginem ejus prima Tabula dabit.

CXXIV.

Venandi Ars Magica.

CÆca beſtias decipiẽdi voluntas, eò lapſa, ut multi exiſtimẽt, multas poſſe intercipere, ſi intercipi ſe à Dæmonio patiatur: Nã ut alios omittam, venantur ſuperſtitioſè, qui animalis, cujus ſimile capere volunt, pinguedine vel calceos, vel globos plumbeos illiniunt. Cur enim calcei hac potiùs, quàm alia pinguedine uncti celeriorem redderent? & quid, ſi tales calcei podagricis induerentur? Deinde, ſi venator ineptè jaculetur, quam vim pinguedo imprimet, ut globum ad feram deferat? Habet & Hecate ſuos Piſcatores. Docent iſti, quid piſces è longinquo alliciat, ut ad ultroneam capturam ingenti agmine ſe offerant. Fateor cum Stengelio *Theſi XXVII*, quibuſdam piſces artificijs bonis allici, ſed rarò artifices mali bonis artificijs utuntur. Similem artem etiam enucleatiùs tradit Alex. Pedemont. *lib. 6. arcanor.* affirmans per lapyrides ſeu nitedulas, & argentum vivum poſſe fieri, ita ut noctè ad harum rerum lucentem mixturam piſces congregentur: quamvis aliam magis ridiculam mixturam præſcribat *eodem libro pag.* 325. Plus tribuerim acetinæ ſub aquis candelæ, quam idem Alexius docet fieri; vel ſi hæc impoſſibilis ſit, flammis ardentibus in limbo navis. Alij apes pleno agmine transferentes invitare & colligere (ſicut plebem ad balneum) conantur tinnitu æris ſeu pelvis: ita enim Columella *cap.* 10, & Varro *lib.* 3. cum à mellario id feciſſe ſunt animadverſæ, jaciendo in eas pulverem & circumtinniendo ære perterritas, quo voluerit perduci: tametſi *Ariſt.* 1. *Met. c.* 1. expreſſè doceat, apes audire ſonos non poſſe. Tetigi Stengelium cùm rejeci Ariſtotelem; & his verbis hanc ruſticam diligentiam oppugnat: [Vidimus, ait, quoſdam pelvim potiùs pertundere pulſando, quam nubem illam melligerum volucrum allicere potuiſſe. Accedit quod apes perterritæ ſono aufugere potiùs deberẽt, quàm attrahi. Et ſi terror tantũ virtutis habet; cur pelvi potiùs, quam tintinnabulo alio, aut mallei incudem ferientis ſonitu perterrentur? Vel ſi ſuavitate ſoni capiuntur, cur non aliquis Strobax tibiæ articularis cantu apes convocat? Cæterùm non deſunt modi naturales quibus animalia capiantur, ut odoribus, maculis cæſis, ſpeculis, ſuccis inebriantibus, muſicæ (non nulla ut Delphini) curioſitate, eſca, illecebriſque aut alijs artibus &c. Sic ille. Cui Ego, ſi muſicâ cur non ſtridore; maximè cùm experientia quotidiana apes ſiſti æris ſtrepitu doceat, delphinos advocari non doceat.

CXXV.

Commendandi gregis Ars Magica.

INter Paſtores in Hiſpaniâ ſerpit hæc ſuperſtitio; neſcio an ad alias regiones tranſiverit; tametſi in ferè omnibus videam virtutes eſſe provinciales, vitia communia. Putant, inquam, qui hanc artem ſciunt, nec eſſe opus canibus, nec vigilibus, ſed oves Stygio commendatas Menalchæ non indigere Tytiro. Suas illi barbaras oratiunculas eloccitant, & gregem deſerunt, nec à latronibus, nec à lupis timent. Et quod mirabilius, confirmat audaciæ rationem eventus.

CXXVI.

De Peregrino Wetzflarienſi.

DE Peregrinis multa peregrina dicuntur, multa ſcribuntur, vel homines recreant vel ſuſpendunt. Madriti Fauſti Lovanienſis Doctoris hiſtoriam legi, & quantæ potentiæ Dæmonem fuerat nactus, miratus, omnia putavi vera, & quæ poſſent Philoſophicas Deciſiones firmare. At ubi Lovanium veni, vix memoriam illius hominis reperi; vel ſi reperi aliquem, cui notum nomen, eundem vidi ridentem compoſitam ingenioſè fabulam. Hac hiſtoriâ prævenius non ero Moltheri fidejuſſor, ſed neque actorem agam, ſed quæ apud Stengelium *Theſi XXII*, reperi calamo fideli tranſcribam. Sic inquit.

Prodijt nuper Relatio Georgij Moltheri Med. de quodam Peregrino, qui Imperialem Wetzflariam tranſiens non modo ſe fratrem R. C. (roſeæ Crucis) confeſſus fuit, verum etjam multiplici rerum ſcientiâ, verbis & factis admirabilem ſe præſtitit: in qua prædictus Peregrinus mira quædam & ſanè peregrina, naturali vi feciſſe defenditur, ſed haud ſatis robuſtis argumentis. Nam, ut de ipſa nova & meritò ſuſpectiſſima Fraternitate R. C. nihil dicatur, quomodo, non jam per neglectiſſimas herbulas, à morbi ferocia quem deſperato oberum carcinomate depoſita jam, neſcio quæ muliercula ſenſerat, tam certò & exactè Ἰουμαντῆρ ille ſcivit; quamdiu, & qua ratione eſſet recreanda, ſed etiam ea, quæ abſentes occultè omninò de inſidijs illi ſtruendis inter ſe erant collocuti, nullo mortali internuntio, cognita habuit, ut diceret reverenti ad ſe hoſpiti; ſibi jam antea cunſtare, ad quid interrogandum ſubornatus eſſet &c. Quomodo idem maſculus proletarius: non modo Theologiam, Philoſophiamque, ſed & Chymicam, & omnium ſe callere gentium linguas non diſſimulabat? qui futura tam varia prædicta ab illo, tanquam ſi ex tripode fuiſſent prolata, ita evenêre? cur magnas taleolas radicis Bryoniæ (quæ ob medicatum ſaporem & vim nauſeabundam, non niſi fatuo palato, æneoque ventriculo idonea ab ipſomet Molthero eſſe dicitur) tam conſtanti vultu eſitavit? & in tam ſenili ætate, corporis vigorem, tam novâ ratione ſuſtinuit? quis illi Cancri dodecatemorion & cætera conſtellationum arcana revelavit? Quin & cum Cingaris quoque ſtramen aliaque cremabilia ab ignis raptu defendit: mureſque ſcutica domo exigere (ſcutica ipſe ex Imperij finibus exigendus) & talpas è fundis eliminari docuit. De albo ſerpente & abſconditis theſauris noſſe ſe profitebatur: quomodò adquiri utrumque poſſet: quæ ad malas artes auctorati, plerumque noſſe ſe jactitant. Quamvis enim auri ſodiendi vias quidam vel per herbas ibi creſcentes, vel per alios vapores non nunquam reperiant, alios tamen theſauros in ciſtis & aulis abſconditos, natura nullis ſolet indicijs prodere. Albus autem ſerpens, quàm deteſtandis fiat, aut adquiratur modis, & ad quam impios uſus adhibeatur, pudet dicere. At ne clariora Magiæ indicia deeſſent, herbulæ adminiculo tonitrua compeſcere, radicularumque ſuffitu (qui tamen alijs non erat moleſtus) eos, quorum præſentiâ offendebatur, hypocauſto exigere & effumigare poterat. Quæ proximè præteritâ nocte in remotiore quodam oppido patrata fuerant, tanquam abſentia etiam ſuiſſet intuitus, enarrabat. Affirmabat, etiamſi conſignaremus, ait medicaſter, quæ diceret, nos tamen ipſo nolente nihil eorum cognituros, quippe ſi quæ ſcripſiſſemus vel non lectutos vel intellecturos. Illud ejuſdem Peregrini Ardelionis ad milites pertinet, Quis modus ſit, ut certo ſclopetorum ictu ſcopus feriatur, ad quod alij conducere ſibi perſuadent, ſi Dominicæ diei filo &c. manum dexteram, aut reſti quâ aliquis ſuſpenſus eſt, circumligent, ſanè reſti ſua digni. Alij magis ſacrilego auſu Chriſtum in Cruce denuò vulnerantes &c. (germani vocant den Freyſchus) certitudinem jaculorum ſibi, ſupra omnem Cephalum promittentes (vel arma cætera incantantes, ut Sprenger *in Mall. p. 2. q. 1. cap.* 16. teſtatur) crucem & ignem merentur. Utuntur & alij ad vulnerandum ſymbolis, nam & gladios quodam ſucco certis cæremonijs verſus mucronem inungunt, & ad fulminis lapidem, tanquam ad cotem, affricant, unde vulnera inſanabilia fieri exiſtimant. Quidam (quod latronum potius eſt, quam militum) cæca vulnera inferre diſcunt, ita ut nullum glandis trajectæ veſtigium in corpore occiſi appareat. Ipſi autem ne lædantur, vel interulam lineam horrendis imaginibus inſcriptam, quam inferni camiſiam vocant, induunt, vel ſchedulas pictas, ſigniſque ignotis inſcriptas, vel pilulas è farinâ ſceleſtiſſimè confectâ devorant, vel illud ANANISAPTA &c. aut quod ab umbilico infantis reſciſſum, vel panniculum quo infans involutus in utero fuerat, è collo ſuſpendunt, aut preces, quas D. Leonis aut magna Dei nomina, quæ Carolo Magno mendaciter attribuunt, atque experimenti causâ nudatum pectus mucronibus exhibent feriendum, qui potius in ferientem ceræ inſtar reflectuntur, quam ut mollem carnem, ſed præſtigijs diabolicis loricatam penetrent.

CXXVII.

F A S T I

Vani, Superſtitioſi, Irreligioſi.

SUas hodie nugas adoptant Calendariu Fæminæ, & quia non reſpondet effectus, illud fuiſſe alteratum cauſantur, putantque omnia bene caſura, ſi veterem ſtylum ſequerentur. Nolo impugnare iſta fæminarum delitia, nam recenſuiſſe, eſt impugnaſſe; ſed illa referam etjam verbis Steigelij & aliorum à quibus habeo.

CXXVIII.

Annus.

PRimò igitur, quicumque ſæcularis, Annus potentiſſimus dicitur; ipſeque aptiſſimus ligandis ſpiritibus, calvarijs adjurandis. Nugantur illud cranium, quod in Alberti Magni Bibliotheca S. Thomæ eſt loquutum ſub ſæculari conſtellatione conſecratum, non aliter refici, quam anno centeſimo poſſe.

Secundò Intercalares anni ſuperſtitionibus aptiores ſunt fæminarum judicio, quia Soli reſtituitur, dies furto ablatus.

Sagæ filiolas ſuas ſeptimo ætatis exſecrandis cæremonijs initiant, duodecimo abjurationes renovant.

* *
*

CXXIX.

CXXIX.

Menſium dies in genere.

PRimam diem cum quintâ conferunt, & de toto menſe pronunciant. *Como pinta quinta*, dicunt adagio Hiſp. & quia menſium computus facilior eſt, Lunæ ætatem non curant.

Calendas feſtivas eſſe credunt, & in ipſis vel primum lapidem in ædificijs, vel primam diligentiam in negotijs faciendam aſſeverant.

Nonis ſalutant Principes, quod apud Tuſcos dies, quo ſalutabatur Rex, *Nona* fuit dicta.

Idibus diſtributivam exercent Juſtitiam, quia illæ à verbo antiquo *Iduare* quod eſt diſtribuere & dividere creduntur habuiſſe vocabulum.

Dies nona infauſta eſt, decima infauſtior, undecima infauſtiſſima; omnes tres Parcis ſacræ, quæ *Nona, Decima* & *Morta* appellari dicuntur.

CXXX.

Menſium dies in ſpecie.

IANUARII primâ die, ſi primus qui occurrat, ſit Judæus, omnia erunt conſentanea toto anno.

Furta, quæ die ſextâ patrentur, innoteſcent omninò; & omnia, quæ illâ die committentur, revelabuntur peccata.

Compluti Logicus qui die S. Antonij non inequitat aſinum, in promotione Philoſophica non erit primus.

Sagittæ & glandea die S. Sebaſtæ benedictæ à ſcopo diviare non ſolent.

In converſione S. Pauli, ſi crux in cineribus compareat ignea, dominam domûs eo anno morituram mentiuntur: quod ſanè aliquando in tam credulis fœminis ex vehementi imaginatione & metu poteſt contingere, ſicut aliquoties in illis contigit, qui ad vallem Joſaphat ab adverſarijs ſuis ſunt citati. Si eodem feſto pluat, fames; ſi ventis aër murmuret, bellum: ſi nebulæ ſerpant, peſtis initat, fabuloſæ opinionis judicio. Eodem die, ſed & eodem errore aquam pluviam excipiunt, quam frugibus & morbis ſalutarem credunt.

FEBRUARII die ſecundâ Purificationis ceræmonias augent, & tot cereolos accendunt, quot filios aut cognatos habent & unicuique ſuum nomen induunt: cujus cereolus citiùs conſumitur, conſumenda & vita citiùs putarut. Hoc eodem die, ſi cereum ardentem à ventis defenſum domum perferant, nec vitam eo anno extinguendam ſperant, uti & ſi guttæ ſeu lachrymæ tres eiuſdem cerei in humerum effuſæ perſeverent. Ungues quoque & capillos adurunt, ne doleant caput & manus.

Vigeſimâ tertiâ, hoc eſt in S. Matthiæ pervigilio, decerpunt folia hederæ & levi calamo ſingulis nomina amicorum inſcribunt, in loco ſacro collocant, & die ſequenti alia perforata, alia maculata, alia ſana reperiunt; & pronuntiant illos, quorum perforata ſunt folia morituros eo anno; illos, quorum marcida, ægrotaturos; reliquos robuſtam valetudinem habituros.

Eadem nocte defunctorum animæ proceſſionem ſolennem celebrare dicuntur, eaſque comitari etiam animæ eorum, qui ſunt illo anno morituri. Huc pertinent omnea illæ hiſtoriæ, quæ hanc ipſam vanitatem confirmant. Et inter alias reperitur quòd cùm talis Vir (nominatur ut ſit narratio fide digna) hanc ſupplicationem in cæmeterio intrepido animo intueretur, vidit in illa ſupplicatione uxorem ſuam à qua vexabatur, & ſummopere gaviſus eſt; ſed ſtatim ubi poſt paucos tranſeuntium animarum ordines ſeipſum viderat, animo concidit; & die ſequenti toti populo viſionem prædixit; nec rea caruit eventu, nam & uxor eiuſdem obijt, ipſamque ille poſt duos menſes ſecutus eſt. Nugæ: nugæ!

Ipsâ S. Matthiæ ſolennitate luſoria inſtrumenta ſuperſtitioſè incantant, dicuntque hunc Apoſtolum eſſe ludentium advocatum, quia ſors cecidit ſuper Matthiam.

Vigeſimam-nonam eiuſdem menſis *diem perditam* vocant; eum, qui naſcatur illa die futurum perditiſſimæ vitæ delirant; in negotijs omnes diligentias hac die factas fore inutiles & inefficacea nugantur.

MARTII ſeptimâ non condemnantur ſtudioſi, qui bono animo calamos curant benedici in Angelici Doctoris honorem; at errant, qui putant omninò oblivioni mandari non poſſe, quæ ejuſmodi calamis ſcripta.

APRILIS Vigeſimâ-quartâ in multis Hiſpanorum oppidis invitatur ad veſperas ferociſſimus taurus, qui totâ illa die à pueris *Marcus* dicitur. Juſſus feritatē deponit, Oppidū intrat, Eccleſiam adit, jacet apud altare; die ſequenti in proceſſione ante Divi ſtatuam progreditur, ſertis oneratur, & anhelitu ſuo multos ægros recurat. Sub meridiem remittitur, & Leonem induens, ac ſi rupiſſet vincula, furibundus revertitur ad paſcua. Sunt qui hanc ceræmoniam condemnent, ſunt qui approbent; ſuſpendo judicium, veritatem recenſeo.

MAII Calendis, ſi anus ab aliquo ignem petat (quaſi peteret, quod deberet habere) ſaga vel venefica creditur.

Die autem Octavâ plumæ ex alis S. Michaelis à veneficis dantur; quæ dicuntur eſſe utiles iter agentibus, ne in manus latronum aut militum incidant.

IVNII Octavâ, quæ S. Medardo ſacra, aura conſulitur; nam ſi die illâ pluat, ad dies triginta continuandos imbres affirmant. Sed anno 1642. ut alios prætercam, tametſi illa dies fuerit pluvioſa & turbida, diebus ſequentibus aura ſereniſſima fuit.

IVNII Vigeſimâ-tertiâ, cardui flores leguntur, & arundini inciſæ inſeruntur, & nominibus amicorum diſtincti comburuntur; & die

S. Joan

S Joannis non-nulli reperiuntur renati, & ex eorum numero & nominibus vaticinium deſumitur. Eodem die herbis, floribus ſertum compoſitum imponunt capiti, morboſque curant, & ſomnia de ſponſo provocant: teſte Sanchez *lib. 2. cap. 40. num. 19.* Sertum in ignem conjiciunt & carbones ſervant contra fulmina & tempeſtates profuturos. Addunt tali illius diei horâ herbam S. Joannis enaſci, quæ eſt perpetuò mobilis, & vires habet prodigioſas.

IVLII. Vigeſimâ-quintâ conſecrantur & characteribus ornantur enſes contra omnia pericula mundi.

AVGVSTI Calendis, qui viſitaverit captivos pauperes, illo anno quidquid faciat, in carceres detrudi non poterit. Die S. Laurentij omnia ſomnia ſunt vera. Idem dicunt de die S. Bartholomæi cum aliquibus limitationibus.

SEPTEMBRIS die decimâ-quartâ habent ſagæ magnam ſolennitatem, & abjurant baptiſmum & Crucem.

Vigeſimâ nonâ iterùm veneficæ diſtribuunt plumas.

OCTOBRIS Vigeſimâ-octavâ, ſub Judæ nomine Superſtitioſi Ïſcariotem intelligunt; unde illa apud Hiſpanos benedictio; videlicet, *En el nonbre del Señor S. Simon, y la otra buena pieza.*

NOVEMBRIS Secunda multis conjurationibus exuberat, occaſione deſumpta à commemoratione Animarum. In Feſto S. Martini ex ipſomet Anſeris offe de futurâ hyemis nive conjectant. Et in feſto S. Catharinæ floribus abutuntur.

Pridie S. Andreæ tot committuntur ſcelera, ut Pervigilium illud non Divo, ſed hoſti Divorum factum eſſe videatur. Quot panê in menſâ inverſum relinquunt? quot hypocauſtum averſæ verrunt, & vel ſponſum intrantem, vel cultrum minantem aſpiciunt? in quo facinore, ſi non expreſsè fœdus cum cacodæmone pangerent, id tamen ſatis abſterrere credulas poſſet, quod pudorem omnem exuere cogantur. Quot recitans carminibus Theſſallicis, ſi in ſomno acum vident, ſartorem ſuum ſponſum, ſi aſciam, fabrum &c. futurum credunt? Quot folio in aquas immiſſo è bullis, aut alij maculis de vitâ ſuâ conjiciunt? Quot ſcopis inſidentes haram ingrediuntur, ut ſi porcum grunnientem audiant, ſenem; ſi porcellum, juvenem, ſe pro marito habituras ſciant? Ecce quot una dies ſacrilegis obſervationibus inceſtatur?

DECEMBRIS Vigeſimâ-primâ, quia tunc S. Thomas, colitur, nihil fœminæ credunt.

Tres etiam proximi dies Jovis, qui Natalem Chriſti antecedunt, miram in futuris præcognoſcendis vim habere exiſtimantur. Alij enim in ſomno, alij vigilantes umbram vident, alij in cepis, vel in ſchedulis ſub lecto collocatis, alij in rapis, aut ovis ſupra menſam ſuſpenſis, alij in filis manu ſiniſtrâ factis haruſpicinam faciunt. Ipſa ſanctiſſimâ nocte Natalis Domini Furiæ iſtæ non quieſcunt. Nam & jumenta in ſtabulis futura eloqui docent, & fontes pro aquis vina ejicere, & roſam quam *Hierichuntinam* vocant, quantumvis aridam ſponte diduci, ſi à certis perſonis aſſervetur; & umbram capitis à nonnullis non videri: aut faciem in oſſis quærendam eſſe: aut mappam tribus annis hoc die menſis impoſitam, & interea nunquam lotam contra morbos valere, aut ſcabellum recens in templum portatum, ſagas allicere, & ſimilia multa quibus ſibi album panem, ut ſtultè exiſtimant, pinſunt.

In S. Stephani Feſto venas equorum faciliùs ſecari, & nummum pro equorum morbis efficaciùs offerri, ruſticana eſt traditio. Intra octavam Natalis Domini filis ductis quibuſdam claudicantes reddi pecudes, inquiunt. Ultimo anni die herbam ſibi mutuò tradunt, quæ ſi in novo anno adhuc vireat, vitam vulgò amœniſſimè auſpicantur, adeò ut ſi etiam felis avidiùs comedat, annonæ caritatem portendi; ſi fontes coronâ ornentur aquam ſalubriorem toto anno ſparſuros; ſi poma comedantur, ulcera graſſatura dicant. In Trium Regum celebritate ab omni cibo abſtinent, donec tres veſperi ſtellas in cœlo conſpiciant, idque contra dentium carnificinam remedium eſſe ſomniant.

CXXXI.

Faſti mobiles.

ETjam ejusmodi Aniculæ feſtorum mobilium curam habent.

In Bacchanalibus butyrum aſſervant quo placentas coxerant, ut eo currum (mirum ni furcam) inungant, quo frumentum, in apothecas invehitur; dictitantque nihil frumenti, quod tali curru convectum eſt, muribus cedere in uſum. Ultimum etiam in Bacchanalibus ferculum, ajunt quidam, oportere eſſe lac, & cochlear ultimum lacte impletum trabi alliduni, è cujus colore & figurâ itidem divinant, uti & è facibus quas hoc tempore tanquam Thyades in agris ventilant.

In principio jejunij verni animam, quam vocant, halecis ad tabulatum ſuperius ejaculantur, ubi ſi adhæreat, ajunt efficere, ut ſub eâ qui cultro læſus eſt curari non poſſit. Sacra hebdomade & die Paraſceves, ſi gallina ovum pariat efficax id eſt ad incendia domanda. Si aliquis die Veneris ſanctâ naſcatur, mortuos & ſubterranea omnia viſurus dicitur, & *Sahori* ab Hiſpanis vocatur. Fabricant & eodem tempore figuras contra tempeſtates, & imagini Chriſti in ſepulchro jacentis affricant contra morbos. Sed & in Paſchate ovum ſub tecto abſcondunt, ad arcenda pericula; melius facturi, ſi in ſtomacho abſconderent: contra rupturas devorant: & puellæ (ſanè dignæ baculo) clauſis oculis baculum quærunt, qui ſi curvus & deformis, talem ſe maritum acquiſiturus ominantur.

In Aſcenſionis feſto ſolet in multis Eccleſijs Statua Chriſti tholo adtrahi; & annoſæ Vetulæ conſiderant, quà faciem vertat, & inde tempeſtates imminere ominantur.

CXXXII.

Digitized by Google

CXXXIII

Dies Hebdomadis.

OMitto, librum, qui inſcribitur. La *Semana del Marquez de Villena*, hoc eſt, *Marchionis Villenai hebdomas* : quoniam apud Hiſpanos inter alias antiquas fabulas, non obſtante hujus nobiliſſimæ familiæ pietate, multa mira & incredibilia de quodam Marchione narrantur. Libellus ille ab alio, & juniore eſt ſcriptus: & nimiũ ſceleratus fuit Author, ſi qualis dicitur; nimiùmque ſceleratus eſt liber, nec ab alio quam à putè atheo reducendus ad praxim. Septem complectitur conjurationes peſſimas; videturque in eiſdem voluiſſe Dæmonem Canonicum officium profanare, ut & Magi ſuas haberent horas & rubricas, quibus artificioſè blaſphemias in Chriſtum concinerent. Ad vana venio; & totam hebdomadem ſuperſtitionibus minoribus apud vetulas oppletam video.

Die igitur natos *Dominicâ*, quia Soli ſacra, noſtræ Auſpices negant poſſe videre Lemures. Eô die cultros ad cotem abſterſos, ajunt, vulnera facere, vel difficulter, vel penitùs non curabilia. Teſte Sanchez Majorem vim tribuit itaque, quæ Dominicis poſt 4. tempora benedicitur, quàm quæ alijs Dominicis. *Die Lunæ*, ſi quis crebrò ſternutet, totam hebdomadem ſerenam habiturus dicitur. *Die Martis*, teſte Sanchez aliqui nolunt opus incipere tanquam nefaſto: & hæc vanitas apud Hiſpanos obtinuiſſe videtur, quod & carpit Mariana & multi alij. Hinc apud ipſos in infortunijs exclamatio.

En Martes caſó Anton con Catalina:
y en todo fue la boda deſgraciada,
que el novio amaneció con mal de hijada,
y le dió mal de madre a la madrina.

quæ antiquiſſima eſt, & frequentiſſima. Illam Ego ad numeros ſequentes reduxi.

Connubio infauſto Corydon Amaryllida duxit;
Nec mirum, illa dies peſſima, Martis erat.
Utrique in nuptiis cuncta evenêre ſiniſtrè;
Combuſta eſt primâ non nova nocte domus.
Elapſus gradibus Sponſum ſuper excidit Auſpex,
Ille dolet coſtis, & dolet iſte, pede.
Auſpicium ſequitur Conjux matrice laborans;
Si ebria non eſſet, Pronuba ferret opem.

Die Mercurij olera ſcopis tangunt, ne à ciniphibus, erucis, aut alijs infeſtis lædantur. *Die Iovis* Septennes pueros jubent fatales quoſdam umbilici nodos enodare, ut ingenioſi fiant. *Die Veneris*, nolunt ungues præſcindere, aut induſium mutare, ne fortunam aut valetudinem irritent. *Die Sabbathi* nete quadam tenuunt, cum tamen alia ſervilia faciant. Ita nullus dies eſt, qui ſuos Manes non patiatur.

Hæc ſunt

VAna, & ſuperſtitioſa fæminarum multarum (aut etiam aliquorum virorum) præjudicia; eò magis nociva, quò minùs vitantur. Jocari dicuntur Veneficæ, cùm ſeriò agunt, ut ſecuriùs nocere junioribus poſſint. Curioſus eſt mulierum genius, & qui arcana velit reſcire, prodigia facere; modò hoc obtineat, ille nec Deum curabit, nec homines reverebitur. Debebit igitur coerceri authoritate publicâ, nimius ille & maleſuadus ſcientiæ ardor; cogique, ne terminos naturæ tranſiliat; nec permitti tot & tantas ſuperſtitiones ſub nomine jocorum tranſire. Ut joci ſint, periculoſi & ſcandaloſi ſolent eſſe; & nemo ignorat debere vitari pericula, & tolli ſcandala. Hæc dixiſſe ſufficiat: Ex Stengelio, Staino, Leſſio, Sanchez, Delrio, & alijs pijs & fide dignis viris omnia habui. Ponamus ergo hunc calamum, & de Malis Artibus nihil aut ferè ſubſcripturi, redeamus ad Ingenuas & Nobiles, & de ſingulis curioſè & ingenioſè diſſeramus.



LIBER II.

in quo traditur

PANTOGRAPHIA;

Quæ de omnium fere Gentium literis & characteribus curioſè & accuratè diſſerit.

ANte annos viginti in Hiſpaniâ Linguarum vario delectabar ſtudio, & tam multa de Gentium litteris collegi & ſcripſi, ut nimius videri poſſem hodie, ſi omnia vellem Lectoribus meis communicare. Habeo de hoc argumento Tomum integrum; ſed quia reperio multa, quæ tametſi verè & radicitùs examinata, poſſunt neſciri ſine altiorum litterarum jacturâ, illa tantùm interlegam, quæ videbuntur neceſſaria.

De Nomine & Officio Orthographiæ.

ID quod Ὀρθογραφίαν Græci, nos *Rectè ſcribendi Artem* vocamus: nam Ὀρθὸς *bonus, rectus, incolumis, elegans*; & Γραφία *ſcriptura* eſt. Hujus Artis officium, ut Quintiliano *lib. 1. cap. 7.* & alijs placet, eſt debitas litteras ſingulis dictionibus tribuere; & inuſitatis præcipuè; quia cùm iſtæ rariùs in uſum veniant, indigent majore arte, ne vitioſè ſcribantur. Hæc Ars nos docet debere ſcribi *Presbyter, Ecſtaſis, Dixi, Luxi,* & non *Presbiter, Extaſis, Dicſi, Lugſi,* &c. in quibus Grammatici frequenter errant.

CXXX.

De Terminis Orthographiæ.

MEritò à Terminis initium ſumimus, omnis enim ſcientia à Terminis initium ſumit. A Terminis & Elementis Logicis incipere ſolet Dialectica, & à Phyſicis Philoſophia. Terminum Dialecticum *libr. 1. prior. cap. 1.* Sic diffinivit Ariſtoteles; nimirùm, *Terminus eſt, in quem reſolvitur Propoſitio, ut prædicatum, & de quo prædicatur.* Et libro Phyſicorum primo ab Elementis ſubſtantiæ naturalis incipit, quæ ita exponit, ut poſſit ſtando priori diffinitioni dicere, *Terminus phyſicus eſt, in quem corpus naturale reſolvitur, ut Materia & Forma.* & veniendo ad linguam & calamum, dicere poſſet, *Terminus vocalis eſt, in quem reſolvitur vox litterata, ut littera vocalis & conſonans.* & doctrinæ conſequentiâ ſubjungere, *Terminus ſcriptus eſt, in quem reſolvitur vox ſcripta, ut tales & tales characteres.*

Hinc patet, qualis ſit Syllogiſtica Analyſis. Diſcurſus enim in Propoſitiones dividitur; Propoſitio in Dictiones; Dictio in ſyllabas plerumque: ſemper tamen & ultimatè in Litteras. Igitur Orthographia ab ultimis Terminis incipit; & ubi ipſa deſinit, incipit Grammatica: & ubi finit iſta, incipit Logica; & ubi iſta habet terminum inde Dialectica ſumit initium. Quid ſi numina ſic cooptemus, ut Orthographia verſetur circa litteras, Grammatica circa dictiones, Logica circa propoſitiones, & Dialectica circa ſyllogiſmos? Erit clariſſima ſingularum diſtinctio, & ſubalternatio naturalis.

CXXXI.

De litterarum diviſione.

PRima & notiſſima litterarum diviſio eſt in Vocales & Conſonantes; Vocalis dicitur, quæ poteſt ſonare ſeorſim, conſonans, quæ non ſonat ſola, ſed debet ſonare cum alijs. Conſonantes ſubdividuntur in litteras Gutturis, Palati, Dentium, Linguæ, & Labij, de quibus inferiùs agemus. Solent etiam dividi in ſimplices & compoſitas, ſed hæc diviſio Vocalibus etiàm conveniet, nam & diphthongi ſunt Vocales compoſitæ, licèt coëant, & in unam ſyllabam tranſeant.

De Vocalium numero.

LAtini quinque ſolas cognoſcunt: A, E, I, O, V. Addunt nonnulli Y & W, priorem ut græcæ, poſteriorem ut voces germanæ efferantur. Alias duas habuerunt Romani priſco ævo: ſed quæ ipſæ? non conſtat. Nebricenſis Antonius ſuſpicatur alteram ſonuiſſe inter E & I, alteram inter I & V. Et ſi ita, prior correſpondebat litteræ græcæ H, & poſterior græcæ Y. nam H, latinè ſonat E vel I; & Y, ſonat I vel V, ut patet in vocibus παράκλητος, κύπρος, πῦρ, & ſimilibus: quoniam dicimus *Paraclitus* vel *Paracletus*; & à Cypro dicimus *Cuprum*; & à πῦρ, quod ſonat Ignem, *Purpuram*. Forte illa vocalis inter E & I, deberet exprimi, cum ſcribimus *Omneis, Grandeis*, &c.

Alias duas vocales uſus & experientia comprobat; alteram inter A & O, alteram inter O & U. Primam habent Hebræi, & vocant *Qamets,*

metz, quam ut video Judæi Itali pronunciant ut A, Germani ut O. Habent eamdem & Luſitani, cùm ſcribunt *Contemplaçãm*, & legunt *Contemplaçaom*, pronuntiatione obſcurâ & mediâ. Eamdem habuerunt & veteres Latini, in quorum libris legimus *Sydous*, *Louſtrare*, *Illouminare*. Proderit conſiderare hoc Oraculum Tiburtinæ Sybillæ, quod Cornelius Gemma in ſuâ de divinis characteriſmis eruditâ lucubratione, & Tycho Brahæus libr. de Stellâ novâ ann. 1572. & alij autbores ediderunt.

ORitour, ait Præſaga Vates, *Sydous in Europâ ſoupra Theros, ad magnam Septentrionis domum: coujus radij Orbem terrarum ex improviſo illouſtrabunt. Hoc verò erit tempore deſyderatiſſimo, quo mortales poſitis armis pacem onanimem complectantor. Certabuntor quidem varieu per diouturni interregni occaſionem ſtudieis, tot Imperij habena tradantor: ſed vincet tandem aviti ſanguinis propago: quæ eouſque armorum vi progredietur, donec ſatis contraria fata obſtiterint: nam eodem fere tempore, hoc demorſo ſydere coævum quoddam eious loumen longè ardentioribus Mavortis ignibus exardeſcens, Antipollum finibus ecludet imperium. At priùs bouic ſubmittet cervices Gallia. Ad eius Genova ſupplex adnatabit claſſibus Britannia. Italia ægrè ad ardua ſceptra reſpirans illi languentem protendet dexteram. Verùm hocce ante diem ingenti mortalium deſyderio ſe Divûm nubibus condet: quo extincto poſt diros & ſanguinolentos Cometas, ignivomaſque cæli faces, nihil amplius totum, ſalouitareque erit. Oſque animantibus Cæli firmamentum pugnantibuſque Planetis & contrariis courſibus labefactabitor, Concurrent Orbis Orbes fixa courſu antevertent erraticas, æquabunt æquora montes. Hæc omnia denique erount, nox, interitus, rouina, damnatio, atque æternæ tenebræ.*

CXXXII.

Multa de variâ nationum pronuntiatione obſervavi & ſcripſi, nunc omnia ad Synopſin reduco, & tabula præſenti repræſento.

Vocales ordine naturali diſpoſitæ.					
	Latini	Græci	Hebræi	Syri	Chaldæi
Vocalis A.	Habent.	A	Patah	Habent	Habent
Vocalis E.	Habent.	E	Segol	Habent	Habent
Vocalis I.	Habent.	I	Hiriq.	Habent	Habent
Vocalis O.	Habent.	O	*Carent*	Habent	Habent
Vocalis U.	Habent.	*Carent*	Qibutz	Habent	Habent
Inter A & O.	*Carent*	*Carent*	Qaometz	ut O.	ut A.
Inter I & I	Habuêre	H	Tzere	*Carent*	Habent
Inter I & U.	Habuêre	T	*Carent*	*Carent*	*Carent*
Inter U & O.	Habuêre	Ω	Holem	ut UO.	Habent
U. obſcuriſſ.	*Carent.*	υ	Sciureq.	ut OU.	Habent.

Sunt & Nationes aliquæ, quæ habent proprias vocales; quas non facilè ad hoc paradigma reducas.

Conſonantes litteræ ordine naturali poſitæ.						
Poteſtas	Litteræ gutturales					
	Latinæ		Græcæ		Hebrææ	
Spiritus ſimplex	—	Carent			א	אלף Alef
Spiritus duplex	Hh	He			ה	הא He
Spiritus triplex	—	Carent	—	Carent	ח	חית Het
Spiritus quadruplex	—	Carent	—	Carent	ע	עין Hain.
Poteſtas.	Palati Litteræ					
G	Gg	Gi	Γγ	γάμμα Gama	ג	גימל Gimel
I	Ii	Iota	Iι	ἰῶτα Iota	י	יוד Iuod
C	Ce	Ce	Κϰκ	Κάππα Cappa	כ	כף Caf.
Ch.	—	Carent	Χχ	Χῖ Chi.	—	Carent
Q	Qq	Qu	—	Carent	ק	קוף Quof.
Poteſtas	Litteræ quæ in lingua proferuntur.					
D	Dd.	De	Δδ∂	Δέλτα Delta	ד	דלית Dalet
T	Tt.	Te	Ττ	Ταῦ Tau	ט	טית Tet
Th.	—	Carent	Θϑ	Θῆτα Theta	ת	תו Tav.
L	Ll	El	Λλλ	Λάμβδα Lamda	ל	למד Lamed
N	Nn	En	Νν	Νῦ Nu	נ ן	נון Nun
Poteſtas	Litteræ quæ ſonant inter dentes.					
S	Sſ	Es	Σσς	Σίγμα Sigma	ס	סמך Samed.
Z	—	Carent	Ζζ	Ζῆτα Zeta	ז	זין Zain
Sz	—	Carent	—	Carent	צ ץ	צדי Zade
Ps	—	Carent	Ψψ	Ψῖ Pſi	—	Carent
Sx	—	Carent	—	Carent	ש	שין Sxim
X	X	Ix	Ξξ	Ξῖ Xi	—	Carent
R.	Rr	Er	Ρρ	Ῥῶ Ro	ר	ריש Riſx.
Poteſtas.	Litteræ quæ in labiis efformantur.					
B	B.b.	Be	Ββϐ	Βῆτα Beta	ב	בית Beth
F	Ff.	Ef	—	Carent	—	Carent
M	Mm	Em	Μμ	Μῦ Mu	מ ם	מם Mem
P	Pp.	Pa	Ππϖ	Πῖ Pi	פ ף	פא Pe
F	Ff	Fe	—	Carent	—	Carent
Ph	—	Carent	Φφ	Φῖ Phi.	—	Carent.
V	Vv	V	—	Carent	ו	וו Vav.
W	W	Vhu	—	Carent	—	Carent.

Hic eſt naturalis litterarum ordo, quem alterare Grammatici. Sed cur? Georgius Amira Edenienſis è Libano exiſtimat non eſſe facile Litteras ad idem genus pertinentes, ſi ſimul concurrant, pronuntiare, & idcircò credit Grammaticos ordine naturæ derelicto alium ordinem adinveniſſe, quo Litteræ unius generis cum alijs generis alterius miſcerentur, & ſic facilius proferrétur. Eius verba ſunt hæc.

{Sapienter quidem primi Grammatici relicto naturæ ordine, hac in re obſlicatam doctrinæ ſicuti, has litteras ordinarunt, quod ut melius intelligatur ſciendum eſt apud nos (*id eſt apud Chaldæos, quia ipſe Chaldæus artem grammaticam ſcripſit*) Tyrones, poſtquam totam elementorum ſeriem didicerint, eadem ſuo quoque ordine conjuncta & inter ſe contexta diſcere eſſe ſolitos hoc modo. סעפצ קרשת אבגד הוז חטי כלמן *Abgad havaz, calman ſahpas qarxat*, & hoc fit, tum ut melius memoria ea retineant, tum etiam ut pingui minervâ litteras inter ſe connexas legere aſſueſcant, ut ſibi deinde facilior ad difficiliora pateat acceſſus. Chaldæi igitur voluerunt (*& proportione facta idem dicendum puta de alijs gentibus*) litteras extra ordinem inſtrumentorum quibus educuntur, ordinare, quia paulò difficilius erat legere Alphabetũ, cùm præſertim (*& hoc eſt fundamentũ iſtius ſcientiæ*) litteræ quæ difficilem habent pronuntiationem ſimul concurrerent, ut vides in alphabeto extra ordinem naturæ ordinato, & multo magis faſtidioſum erat & injucundum

eas

tas pronunciare ſimul junctas, ut juxta prædictum ordinem hîc etiam conjunctas conſpicis. אהחע גיכק רטלן זוסמ רסכ ומף quas pronuncia ſi potes. Unde ſapientes Chaldæi (*& idem aliæ gentes*) ut hujuſmodi incommoda omninò evitarent, ordinem prædictum contempſerunt, & eum quo eas in exemplis conſtituimus excogitarunt; quo fit ut א ponatur inprincipio, quæ primum omnium in ſuo exitu, contrà verò in ſecundo loco conſtituitur ב cujus exitus eſt à labijs longè diſtans ab exitu ipſius א. Sequitur tertiò ג cujus ſimiliter exitus diſtat ab exitu elementi ב & ſic deinceps unum elementum eſt poſt aliud cum diſtantiâ conſequentis à præcedenti, ut & faciliùs proferatur, & mutuo quodam officio ſe invicem adjuvent, ut dum unius organum in proferendo laborat, alterius quieſcat; dum verò unius quieſcit, alterius laboret.] *Hucuſque Amira in ſuâ Grammaticâ Chaldaicâ l. 1. c. 4. in fine, quem communiter ſequuntur recentiores.*

Alij verò, cùm videant omnibus gentibus in uſu eſſe litteras pro numeris aſſumere, eum illas locum retinere exiſtimant, quem valor ſignificati numeri ipſiſſimis litteris attribuit: unde in diverſis linguis, eò quòd diverſos numeros ſignificent, diverſo ſunt modo collocatæ. Ita ſpiritus lenis apud Hebræos, quem vocant *Aleph*, primum locum obtinet, quoniam deſignat unitatem, ב quæ divinitatem repræſentat ſecundo loco ponitur, & ſic de cæteris: quem litterarum ordinem ſequuntur Syri, Chaldæi, Jonatanici, & plures alij qui numeros eiſdem met litteris deſignant. Græci cùm alias litteras numeris notandis attribuerint, alium ordinem ſecuti ſunt & *Alpha* quæ ſignificat unum, conſtituunt primo in loco; *Beta* quæ duo in ſecundo. *Gama* quæ tria in tertiò, & ita reliquas. Cum Græcis conveniunt quotquot ex illis exoriuntur, Beotij, Macedonij, Sicilij, Attici, Jonij Æolij & Dorides. A quibus etiam Latini parùm differunt. Sic philoſophari ſolent illi, ſed, ſi res bene examinetur, conſtabit ſignificationem Arithmeticam natam à litterarum ordine, non hunc ab illâ. Et ex Hiſpanis, Italis, Gallis, Germanis, & alijs, qui litteris latinis utuntur, efficax videtur argumentum ſumi; hæc enim regula apud Latinos, citataſque nationes fallitur; cùm apud latinos I unum ſignificet, & nono loco conſtituatur, V quinque & conſtituatur in vigeſimo ſive iſti proximo. X quinque unitatibus numerum ipſius V exſuperat, & nihilominùs illam immediatè ſequitur. L ponitur ante has etiam ſi quinquaginta denotet: unde patet aliâ ex cauſâ ordinem naturæ fuiſſe omiſſum: cum etiam litteræ ſint contra numerorum ſignificatorum ordinem inter ſe diſpoſitæ.

CXXXIII.

Alia litterarum diviſio.

CONſonantium aliæ ſunt *Mutæ*, aliæ *Semivocales*, Muta eſt quę nullo pacto poteſt pronunciari, quia (ut Ælius Ant. docet) in eâ oris parte exprimitur, quâ nullo modo vox ſonare poſſit; nam B. P. labiis, ore clauſo labiisque preſſis efformantur. T. D. linguâ inter dentes compreſsâ in priori parte. C ante e. i. & G. Ch. ipſius arteriæ faucibus clauſis. F verò & W prioribus dentibus inferiori labro impreſſis. K & Q ad arteriam pertinet, & earum media eſt C. quibus omnibus locis impoſſibilis eſt pronunciatio vocalis; unde cùm eadem ſitus diſpoſitio omnibus his litteris, quòd vocem detineant, meritò *Mutæ* nominantur. Mutæ autem litteræ ſunt duodecim; videlicet,

B: C: D: F: G: P: Q: T: Th. vel Θ; Ch vel X; Ph. vel Φ. W.

Reliquæ litteræ *Semivocales* nominantur, quia proximè ad vocales accedunt, & magis reſonant quàm Mutæ, & multò minùs quam Vocales. Nam, ut Æl. Ant. lib. 3. Gramm. docuit, ore faucibuſque ſemiadapertis linguâque ad palatum, cœlumque ipſum eliſâ, ſemi-vocales proferuntur. In hoc autem Antonius Grammaticis nonnullis diſplicet quod M. inter Mutas enumerari doceat, cùm hæc ſemivocalis ſit & aliquomodo ipſa ſonet, & à B & alijs Mutis longè differat, cùm labijs clauſis, quaſi efflata per nares, exprimatur.

CXXXIV.

Quinam fuerint primi in orbe terrarum characteres.

OMnium gentium litteras derivari ab Hebræis certum eſt; id perſuadet præſcripta tot Authorum opinio, id ipſamet nomina litterarum, quæ videntur ab Hebraicis deſumpta. Nam quas,

Hebræus vocat,	*Aleph*,	*Beth*,	*Gimel*, &c.
Syrus dicit,	*Olaph*,	*Beth*,	*Gomal*, &c.
Græcus verò	*Alpha*,	*Beta*,	*Gama*, &c.
Arabs autem	*Eliph*,	*Be*	*Gim*, &c.
Et Latinus faciliùs	*A*,	*Be*,	*Ce*. &c.

Videatur Joſephus *libr.* 1. *Antiq. c.* 4. cui conſonat *de Civit. Dei. cap.* 39. Eupolemus apud Alexandrinum *lib.* 1. *Strom.* Sed & ipſe Euſebius Cæſarienſis *libr.* 9. *cap.* 4. & *libr. de præp. Evang.* 10. *cap.* 2. Hieronymus *in epiſt. ad Paulam*, & *in Comm. ad Threnos Hieremiæ*, & alij multi veteres & juniores conſentiunt.

CXXXV.

Scire vis, An-ne ante diluvium aliqui characteres in uſu fuerint? Aſſertivè reſpondeo. Et ſuadeo primò ex Joſepho; quia Adami nepotes, docti ab Avo mundum iterum atque iterum periclitaturum; nimirùm inundatione & incendio, cùm neſcirent, utrùm periculum deberet præcedere, erexerunt duas acus, lateritiam & lapideam; ut ſi inundatio contingeret, lapidea; & ſi incendium, lateritia columna remaneret. His igitur binis ſeu columnis ſeu acubus phyſicas & aſtronomicas obſervationes crediderunt, ut ſi in alterâ eas perire contin-

contingeret, in alterâ conſervarentur. Sed hæc ipſa pendent à Judæorum traditione, quæ quia non ſemper æquè fida, egent confirmatione. Igitur ſecundò eamdem veritatem perſuadeo, conſtat enim Adamum ſciviſſe litteras, & Enochum placita ſua tabulis commendaſſe. Adamum fuiſſe litteratum oſtendo, quia omnium ſcientiarum naturalium & artificialium habuit ſcientiam infuſam; nec eſt, cur concedamus illi ſcientias reliquas, & Orthographiã unicam excipiamus. De Enoch expreſſum teſtimonium habemus in Apoſtolo Judâ c. 14. ibi enim legimus, *Prophetavit autem & de his ſeptimus ab Adam Enoch dicens: Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios eorum de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt; & de omnibus duris, quæ locuti ſunt contra eum peccatores impij.* Et ut video ab Apoſtolis non vivæ vocis oracula, ſed libri Majorum citantur.

Sed quænam illorum veterum characterum, quibus ante diluvium noſtri Patres ſunt uſi, forma & figura fuit?

Reſpondet prima Tabula omnes hebraicos characteres connectens. IN PRIMA eius columnâ Valor litterarum exponitur. IN SECUNDA ponuntur nomina. IN TERTIA deſcribuntur characteres cœleſtes, quorum Author Adamus creditur. His ante diluvium univerſi ſunt uſi; his inſcriptæ ſunt tabulæ, quæ in turribus perennaſſe Joſepho & alijs aſſerentibus: his ſcripta Enos Prophetia, & Caini blaſphemiæ, quæ Thargum Hieroſolymitanum expendit. IN QUARTA ponuntur litteræ, quæ fuerunt in uſu ante Eſdram, quas Cornelius Agrippa *Scripturam tranſitus fluvii* nominat: & ut prudentes opinantur, inventæ fuerunt à Jacob. Veteres Samaritani uſi ſunt characteribus, qui ponuntur IN QUINTA, hoc characterum genere extabat tempore Hieronymi Pentateuchum, ut aſſerit Sixtus Senenſis *lib. 2. Biblioth. § Samaritanorum.* Ab hatum litterarum ductibus non multum abſunt Moſaicæ, quæ ponuntur. IN SEXTA, SEPTIMA, & OCTAVA; Samaritani characteres dicuntur inventi fuiſſe à Moyſe, & ad faciliores ductus à junioribus Hebræis reducti: in Baticanâ Bibliothecâ multa reperiuntur juxta Alephbethum columnæ ſextæ: Rabbi Azarias Alephbethum ſeptimum ſecutus eſt; & octavum reperimus in ſiclis & alijs Hebræorum nummis. IN NONA ponuntur characteres Ægyptij; Aſtronomici IN DECIMA, IN UNDECIMA Regij: prioribus ſcribebantur ſacra, alijs naturalia, poſterioribus verò politica. Sequuntur characteres Syro chaldæi, Syriaci, Rabbinici, & Hebræi. IN ULTIMA columnâ ſunt illi, quos hodie vocamus Hebræos; quadrati, & pulchri; at à Chaldæis inventi, & ab Eſdrâ accepti & ad Judæos tranſlati. Hos Rabbini volante calamo ſcribuntur videtur in columnâ PENULTIMA.

Omnes hi characteres ſiniſtrorſum leguntur ſcribunturque, ſi Syriacos excipias, qui licèt ſiniſtrorſum legantur, deorſũ ſcribi debét.

Volueram hic ponere calamum, nihilque aliud dicere de characteribus, quos tabula prima præ ſefert. Sed quia propoſita Alephbetha videntur majori indigere notitiâ, aliquid de ſingulis addam.

CXXXVI.

Characteres Cœleſtes.

POſſet inquiri hîc, An fuerint illi infuſi à Deo, an verò ab Adamo inventi? Et illud prius videretur nomen ipſum ſuadere: nam ideò fortè nominantur *Cœleſtes*, quòd cœlitùs traditi ſint. At ab Adamo inventos fuiſſe certum eſt: non enim Deus illi infudit determinatam aliquam Grammaticam aut Orthographiam, ſed generalem & indeterminatam; quæ erat ſcientia quædam nobilior & ſublimior, vt cujus potuit componere novas linguas & novos characteres conformare. Et hoc vel inde probari poterit, quòd rebus non Deus nomina indiderit, ſed Adamus: juxta illud Geneſeos ſecundo, *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & univerſis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea. Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipſum eſt nomen eius. Appellavitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & univerſa volatilia cœli, & omnes beſtias terræ.* Ergo ſiquidem Adamus author eſt Grammaticę, etiam erit Orthographiæ, ſine quâ illa ſtare non poteſt.

Primas literas & dictiones fuiſſe cœleſtes, hoc eſt, cœlitùs tractas putabit aliqui tenuiſſe Platonem, at hunc Philoſophum in noſtram ſententiam trahit Iſidorus Clarius Brixianus, Caſſinas Monachus, & poſteà Epiſcopus Fulginatenſis, qui explicans locum Geneſeos, quem dedimus, ait: [Opinor ex hoc loco Platonem veniſſe in eam opinionem, ut diceret, *in libro de rectâ nominum ratione* videri ſibi eam Naturam (eam Perſonam, eam Intelligentiam) quæ rebus nomina impoſuerit, celſiorem fuiſſe hâc humanâ: quia cùm indidit Adam animantibus nomina, nondum legitur fuiſſe à ſuâ præſtantia lapſus. Impoſitio autem nominum ſignificat, & quod Adam naturas animantium perfectè calluerit, nam id dominum, aut potius id ſolùm proprium cujuſcumque rei nomen eſt, quod illius naturã exprimit. Et quod ipſa animalia hominis imperio ſubjecta eſſent; etenim imponere ſolemus nomina ijs, quæ juris ſunt noſtri.] At non puto Platonem inter hominẽ integrum lapſumque diſtinxiſſe: & hanc ob rẽ pronuntio illum non eſſe à nobis: ſed oppoſitam tenere ſententiã, & aſſerere primas literas dictioneſque fuiſſe ab aliquo Genio nobilioris naturæ inventas, & hominibus cœlitùs datas. Et nos hic nõ multum curamus Platonis, tametſi Divini, ſententiam; quia ubi ex ſacræ Scripturę libris poſſumus veritatem eruere, non turbamur Philoſophorum placitis.

CXXXVII.

Characteres ante Ezram.

ABrahamus, Patriarcha ſanctiſſimus & notiſſimus, creditur natus anno mundi 1948. qui fuit ante Nohæ mortem octavus. Sic tempus viri docti ſupputant, diſſentiunt alij: ſed nos omnes ſequi nec debemus nec poſſumus. Fuit filius Taræ & frater Nachoris, & dictus אברם *Abram*, quaſi אב־רם *Ab ram*,

hoc eſt

hoc eſt *Pater magnus, excelſus* geneſ. 11. 27. Eius vita deſcribitur in Geneſi à c. 11. jã citato uſq; ad 25. Ipſius nomen mutavit Deus interjiciens ה (ut Marinus exiſtimat in ſua חבת נח *Tebat Noba*, hoc eſt *Arca Noba* א ante ב dictione אברם) & vocavit illum אברהם *Abrahã* gen. 17. 5. Verùm cauſam cur id ה inter ר & ם à Domino ſit interjectum, nec Marinus docet, nec videtur ea eſſe poſſe quę vulgò adducitur: quia ſi Abrahã, is dicebatur, quaſi *Pater excelſus*, quid cõnexionis habet interſertum ה cũ multarũ generatione gentium, cujus ergo nomen Abramo mutabatur in nomen quod illam generationẽ deſignaret, melius ergo & attentius Litteram cõſiderans dices eum qui anteà אברם *Abram* quaſi אב רם *Ab ram* ex אבה *Abah* & רום *Rũ*, *Pater excelſus* dicebatur, dictum eſſe à Domino אברהם *Abraham* hoc eſt אב רב המון *Ab rab hamuon* id eſt *Pater pragrandis multitudinis* quia (ut ipſius Dei verbis utar) אב (רב) המון גוים נתתיך *Patrem pragrandis multitudinis gentium feci eum.* Cum autem eum Principem prægrandis multitudinis & ſobolis ſuperventuræ effecerit, noluit eum alij ſubiectum eſſe; & ideò nomen Uxoris eius quæ שרי *Sarai* hoc eſt *Princeps mea* ſeu *Domina* aut *Regina mea* nuncupabatur gen. 11. 29. mutavit in שרה *Sara* hoc eſt *Princeps, Regina, Domina*. gen. 17. 15. Nonageſimo nono anno in teſtimonium fœderis & pacti quod Deus ſecum pepigit, circumciſus eſt cum Iſmaele & univerſis domûs ſuæ gen. 17. 10. 11. &c. Mortuum 175. ætatis ſuæ anno Filij ſui Iſahac & Iſmael ſepelierunt in ſpeluncâ מכפלה *Makpelah* vel המכפלה *Hamakpelah* hoc eſt *Duplicitatâ*, quam emerat ab Hephron filio Zohar ut Saram defunctam (gen. 13. 2.) ſepeliret (ibidem 8. & deinceps.) Hic igitur centum annis antequam moreretur juſſu Dei (gen. 12, 1.) egreſſus patriam (ibid. 12. 4.) pertexit ad terram Canaam & tranſijt per Jordanem, & tunc Literis hebraicis alios impoſuit Characteres, quibus ipſe & eius vernaculi uterentur in memoriam peregrinationis ſuæ: & hac de causâ illos *Characteres tranſitus fluvij* nominavit.

CXXXVIII.

Characteres Samaritani.

SAmeron Iſraëlitarum Rex, in Syriâ, inter Galilæam & Judæam, in monte civitatem erexit (ut docet Joſephus libr. 3. cap. 2. 2.) & de nomine ſuo appellavit *Samariam*. quam poſteà cæteri Reges nobilitarunt, & habitarunt. A Græcis dicebatur Ἠκξίνιας, authore Euſebio. Sub Hircam Pontificis expugnationem deformata, reædificatur ab Herode, & ad honorem Auguſti nominatur *Sebaſte*, ut docet Stephanus. Neapolis videtur dici Joſuæ 11. 2. & 4. Reg. 6. f. & Eſaiæ 7. 6. 10. b.

Hæc igitur Civitas, ſicut jure & privilegio, ſic etiam proprio charactere utebatur, quem dedimus in primâ Tabulâ

Hac characterum formâ Medinæ de Rioſeco (civitas eſt apud Valliſoletum in Hiſpa-

apparatum Philoſoph.

niâ) repertus eſt liber in folio, inſcriptus איש שיש *Vir ſanctus.* doctrinâ & methodo non multumà Thalmudo diſſentiens. Hac etiam characterum ſpecie ſcriptum fuit Pentateuchum, cujus meminit S. Hieronymus apud Sixtum Senenſem *libr. 2. Bibliotheca* §. *Samaritanorum. inter verba incipientia ab S.*

CXXXIX.

Characteres Moſaici.

MUltiformes reperiuntur in libris, ſaxis, nummiſque: ſed ex omnibus tria præcipuè alephbetha ſelegi: primum, quale eſt in libris, qui hodie aſſervantur in Bibliotheca Baticanâ: ſecundum, quale eſt in libris Rabbi Azariæ: & tertium, quale colligi potuit ex nummis. Et, quia in hoc ultimo quatuor litteræ deſiderantur: videlicet, ?טסטו, quæ in numiſmatibus non reperiuntur, ideò illarum loco poteris Baticanas aut Azarianas ſubſtituere.

Charactere hoc Moſaico ſcribebatur olim ſacra Pagina, uſque ad captivitatem Babylonicam. Et Cyro apud Perſas regnante, hoc charactere Sacerdotes Judæi utebantur. Habenas regni moderante Dario, Judæis, qui ſeptuaginta annis apud Babylonium exulaverant, conceſſa eſt ad patriam remeandi poteſtas, & Eſdras (cujus genealogia Ezr. 7. 1. & vita toto libro deſcribitur) quia Judæi adſueti charactere Chaldæo, hunc jam neſciebant legere, libros ſacros exſcripſit novo charactere, nempe quadrato Babylonico, quo etiamnum utimur.

CXL.

Characteres Ægyptij.

EXſtant Hebræorum antiquiſſimi libri Ægyptiacis ſcripti characteribus, quos videntur in captivitate didiciſſe; nam cum literarum pronuntiatio ſit Hebræis & Ægyptijs ſimillima, non erat eis difficile aut Ægyptiaca ſcribere Hebraico charactere, aut Hebraica Ægyptiaco.

Fuerunt in Aegypto, prout tempora tulerunt, variæ gentes diſtantes charactere & linguâ: & ſub idem tempus varij hominum ſtatus: nam aliter ſcribebantur ſacra, aliter civilia, aliter Regalia, aliter alia. Hinc eſt varijs illos characteribus uſos, è quibus præcipui quini ſunt, quos exponam.

Antiquiſſimæ apud Ægyptios litteræ quas eos Mercurius docuit, Cicero libr. 3. de natur. Deorum. *Mercurius unus Cœlo patre, Die matre natus, cuius obſcœnius excitata natura creditur, quod aſpectu Proſerpinæ commotus ſit. Alter Valentis & Phoronidis filius, a qui ſub terris habetur idem Trophonius. Tertius Iove tertio natus ex Maiâ ex quo & Penelopa & Pana natum ferant. Quartus Nilo patre, quem Ægyptij nefas habent nominare. Quintus, quem colunt Pheneata, qui & Argum dicitur interemiſſe ob eamque cauſam Ægypto præfuiſſe, atque Ægyptijs leges & litteras tradidiſſe.* Et Conradus Geſnerus in Onomaſtico, *Mercurius filius Iovis &*

Cyllenes, quem fama eſt, ob Argi cadem profugum, litteras Ægyptijs oſtendiſſe.

Ut Authores intelligas, & unde veorior ſecundi Ægyptiorum characteres ſcias, rem altiùs repeto. Fuit Inachus Argivorum Rex primus, qui & Ioacho fluvio, per agrum Argivum in ſinum Argolicum labenti nomen dedit. Io hujus fuit filia, à Jove amata, vitiata, & in Creram tranſvecta: & à Junone pellicis impatiente odijs graviſſimis exagitata. Eam Juppiter, ut à conjugis ſuæ tyrannide & ſævitia eriperet, transformavit in bovem; quam dono poſtulavit Juno, & obtinuit. Juno igitur hanc Argo, centoculo paſtori, cuſtodiendam tradidit, quem Mercurius occidit, & in Ægyptum tranſtulit; ubi implorato Jovis auxilio priſtinæ formæ reſtituta, fuit Regina dum vixit, & poſt mortem Dearum numero adſcripta. Hæc igitur aut Argivorum literas, aut novas à ſe inventas, Ægyptios docuit. Et tanti à gentibus diverſis habita, ut & Romanorum Deorum gregi etiam acceuſeretur: unde Lucanus libro 6. *Nos in templa tuam Romana recipimus Iſim.*

Hos duos Abecedarios (alterum à Mercurio, alterum ab Iſide inventum; utrumque Ægyptijs traditum) expreſſimus in tabulâ primâ. Addidimus & alios duos, quorum ioventores neſcimus. Sed, quis præter hos etiam reperiuntur Sacri & Coptici aliquid de ſingulis dicamus.

CXLI.

De linguis ſacris Ægyptiacis, & Idolo Antuerpienſi.

Videntur olim Ægyptij meruiſſe laudem ab ingenio, & naturales omnes ſcientias ad ſacras, cœleſtes, theologicaſque reduxiſſe. Uſi ſunt, ut jam jam dicebamus, diverſis characteribus & linguis; aliâ enim divina & aliâ profana tractabant. Characteres, qui Tabulæ primæ Columnâ uonâ poſiti ſacri ſunt, & reperiuntur in nummis & idolis. Reperio in meis antiquis adverſarijs duo numiſmata argentea, in ſepulchris reperta, non multum inter ſe diſſidentia, Soli ſacta. Eius facies antorſum ſculpta, nomen retrorſum. Et eodem characterum genere exaratus eſt ille Ægyptius Deiculus, qui hodie reperitur Antuerpiæ. Eſt altus quinque digitis; manum dexteram in latus ſiniſtrum, ſiniſtram in dexterum reciprocè vergens; in illâ primam Abecedarij litteram habens, in hac ultimam, ut vel ſic ſuam probet divinitatem, & inſinuet ſe eſſe Aleph & Tau, Alpha & Omega, characterem primum & ultimum, & clariùs, ſe eſſe principium finemque. E ſiniſtrâ funiculus per humerum extendebatur, qui in dorſum veniens vimineam peram libris plenam portabat. A cingulo autem triangulus altibaſis iſſoceles, biſectus perdendiculo in duo rectangula æquilaterta deſcendebat; in quorum areolis inſcriptio erat, cujus mentionem facit Goropius Becanus *Hieroglyphicorum libr. 7.* quamque adeò difficilem credidit, ut ſuam ignorantiam fateatur, & non eſſe litteras, ſed ornamenta Idoli exiſtimet. Nos Alephbethum Tabulâ I. dedimus, & ibidem Deiculum ipſum delineavimus; ibi characteres Ægyptios Hebræoſque coopiavimus, nunc exponimus. E linguâ Hebræâ, cujus antiqua Ægyptia dialectus eſt, conſtat collatione litteræ ad litteram factâ, qualis in Tabulâ perſpicitur, eam Inſcriptionem latinè eſſe, AEGYPTVS IMMOLAT CAPVT (CAPITA) CANOPO ADVLTERO. aut fortè, ÆGYPTVS SACRIFICAT CAPITI SVO (Principi ſuo) CANOPO ADVLTERO. Hinc conſtat Canopum flagitijs inſignem, per ſcelera ad cultum & aras promotum, quod aſſerit Rufinus in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, quod Goropius, neſcio quo erga ipſum præventus præjudicio, negat.

Ægyptiaca veterum characterum nomina.

A.	*Athomus.*	N.	*Nayn.*
B.	*Bivithyn.*	O.	*Obelat.*
C.	*Chinoth.*	P.	*Pilon.*
D.	*Dinaim.*	Q.	*Quin.*
E.	*Eni.*	R.	*Iron.*
F.	*Fin.*	S.	*Sichen;*
G.	*Gomor.*	T.	*Tela.*
H.	*Heletha.*	V.	*Vt.*
I.	*Ioquum.*	X.	*Xiron.*
K.	*Kayta.*	Y.	*Ypph.*
L.	*Luzamin.*	Z.	*Zaim*
M.	*Mithe.*	Th.	*Thou.*

CXLII.

De Sapientiâ Ægyptiorum.

ÆGyptiorum igitur ſapientiam in omni rerum genere atque doctrina excellentiſſimam Hebraicè dicimus חכמת מצרים *hokemath Mizrajim* Græcè verò Σοφίαν Αἰγυπτίων. Hanc in quatuor partes diſtributam fuiſſe aſſerunt Diodorus, Diogenes, Laertius, Jamblicus, Philo Judæus, Euſebius Cæſarienſis & alij innumeri authores graves, quos brevitatis gratia tranſeo.

Prima igitur Ægyptiacæ ſapientiæ pars erat Mathematica, quam in Geometriam, Aſtronomiam, Aſtrologiam, Arithmeticam, & Muſicam ipſi dividebant. Geometriam quæſivêre, & magno ſtudio adinven-

ventam conſervant ob neceſſitatem propter Nili inundationes copioſiſſimas, quibus termini & limites delebantur: & neſciebat unuſquiſque utrà hæc campi pars, an illa ſibimetipſi deberetur; ut ergo ceſſarent controverſiæ, rixæ, quæ ex hujuſcemodi quæſtionibus commovebantur, Geometriam invenerunt, quæ omnium hæreditates diſtingueret, & Meum, Tuumque anteà inimiciſſima ad amicitias communes revocaret. Commoditas, quam cæli ſerenitas concedebat, Aſtronomiam peperit, quomodo ſingulis ſerenis noctibus ad fruendum cæli ſerenitate, & nocturnâ refrigeratione (quod Hiſpani *Gozar del freſco* dicimus) egreſſi; ne ocioſi viri (aliàs ſtudioſiſſimi) tempus perderent, ſyderum curſus obſervabant, & eorum progreſſus metiebantur, quod adeò ſtudium produxerunt, ut omnium ſtellarum loca denotaverint, & cæleſtes theoricas deſcripſerint, quibus Errones ſuas abſidas aſcenderent, & in apogeijs culminarent. Cognitâ Aſtronomiâ; Experientiâ, propter vitæ diuturnitatem, duce homines illi, ut poteſtienni fatorum omnium notatores, Aſtrologiam ſeu Judiciariam invenerunt: cùmque nulla ex his tribus diſciplinis exactè ſine ſupputatione numerorum potuiſſet ſciri, excogitarunt Arithmeticam; cujus proportionibus ducti, aut etiam Geometricis docti adinvenerunt Muſiceen, ex quâ nata eſt Proſodia, quam Metricam ſive Poeticam communiùs nominamus.

Secunda eſt Phyſica, in quâ de rerum eſſentijs, proprietatibus, cauſis, effectibuſque diſputabant in quâ rerum cognitione adeò excelluerunt, ut ab ipſis Græcis inviſerentur, & Græci nonnulli Doctores, fieri Ægyptiaci Diſcipuli non dubitaverint. Hanc veritatem confirmat ipſe Plato, qui poſtquam inter ſuos adeò excelluerat, ut nomen Divini fuerit nactus, nihilominùs Ægyptios adijt, ut eorum diſcipulus efficeretur.

Tertia & nobilior Ægyptiacæ Sapientiæ eſt Deidica, quam Græco vocabulo θεολογίας appellamus. Theologis non licebat impunè communi characterum formâ Sacra deſcribere, ideòque habuerunt peculiare quoddam ſcripturæ genus myſticon, & arcanum, quo ſublimiora divini cultûs myſteria occultarentur, necum contemptu fierent communia. Qua de re luculentius Clemens *in. 5. lib. Strom.* ubi totam Aegyptiorum Theologiam in tres facultates diſtinguit. Prima erat Ἐπιστολογραφική, id eſt *Epiſtolaria*, quâ in communibus Epiſtolis ſcribendis Aegyptij Theologi utebantur. Secunda erat Ἱερογραμματική id eſt, *Sacerdotalis*, quæ à ſacris rebus deſcribendis in Templo deſerviebat. Hac litterarum ſpecie ſcriptæ fuerant cæremoniæ, & ſacrificiorum cultus, Deorum nomina & laudes, & his ſimilia. Tertia erat Ἱερογλυφική, id eſt, per ſigna ſignificans, & fuerat duplex Κυριολογική & Συμβολική, utraque eſt myſtica & ſignis utens, hæc figuratis, illa verò alphabeticis. Symbolica autem erat triplex, 1. Imitativa, 2. Tropica ſeu Translativa. 3. Ænigmatica. Eſt igitur Imitativa ſcripturæ genus, quæ res per characteres eis aſſimiles, & proprios aſſignificat ut Solem per hunc characterem ☉, & per hunc ☽ Lunam: iſti enim characteres rebus ſignificatis ſunt ſimiles. Tropica ſeu Translativa illa dicitur, quæ varias diverſarum rerum, præſertim figuras Animantium, transfert ad ſignificandum vel Nominum vel Deorum dignitates, formas, mores, virtutes, vitia, affectiones, ut accipitris imago v. gr. ſignificat Deum, Scarabei Solem, Ibicis Lunam. Hominis forma Prudentiam & Solertiam: Leonis, Fortitudinem: Equi, libertatem: Ænigmatica eſt, quæ ex commixtione harum imaginum efficitur. Quæ Aegyptiorum ſcientiæ facilius & clarius ſubjecto Schemate innoteſcunt.

Sapientia Ægyptiorũ
- *Mathematica*
  - *Geometria* | *Ob neceſſitatem* | *Propter Nilum.*
  - *Aſtronomia* | *Ob commoditatem* | *Propter ſerenitatem,*
  - *Aſtrologia* | *Ob experientiam* | *Propter diuturnitatẽ.*
  - *Arithmetica* | *Ob utilitatem* | *Propter ſubputationẽ.*
  - *Muſica* | *Ob ſuavitatem* | *Propter recreationem,*
- *Phyſica, quæ primã atq; ſecundã Philoſophiã continebat.* | *Propter curioſitatem,*
- *Theologia*
  - *Epiſtolographica*
  - *Hierogrammatica*
  - *Hieroglyphica*
    - *Curiologica*
    - *Symbolica*
      - *Imitativa*
      - *Tropica*
      - *Ænigmatica*

Hanc ergo rerum cognitionem, univerſamque ſapientiam, quâ Ægyptij ſuo tempore floruerunt, ab Hebræis accepiſſe docet Joſephus *de antiquitatibus* probans Abrahamum (in cujus domo, ut par erat, omnes ſcientiæ naturales & ſupernaturales manſerant) docuiſſe eas Ægyptios, dum inibi peregrinatus eſt. Hujus ſententiæ Achilles eſt Beroſus & Orpheus, quorum reperiuntur ſatis præclara teſtimonia & carmina. Hæc igitur Sapientia Ægyptia dicitur, non quia ab Ægyptijs inventa ſit (quia ob hanc cauſam Hebraica potiùs, quàm Ægyptiaca diceretur, cùm ab Hebræis Ægyptij illam acceperint) ſed quia ab Ægyptijs culta & promota eſt; & ab Ægyptijs Græca

Apparatum Philoſoph.

& aliæ nationes ſint edoctæ, ut Plato in Epinomide, & alij authores aſſeverant. Unde, cùm Latinis & Græcis loquens, neceſſe eſt ſuis Vocibus uti, & hanc ſapientiam non Hebræam, ſed Ægyptiacam nominare, ita optimè Stephanus in act. Apoſt. cap. 7. 6. ait Moyſem eruditum fuiſſe in omni ſapientia Ægyptiorum, & eſſe potentem in opere & ſermone ut ſignificaret Latinis eius Moyſem ſcientiæ fuiſſe peritiſſimum, quam ipſi Aegyptiam appellabant. Ideò ei Symbolicôs Locutus eſt Deus plura quæ non omnibus ſunt patentia & nota, ut prohibitio carnis ſuilæ, & his ſimilia. Quamobrem Expoſitores Biblici ſoletter adnotare debent id quod docet Clemens Alexandr. libr. 5. Stromatum Moyſem ſcilicet multa juxta hanc Hieroglyphicæ doctrinæ conſuetudinem ſub tropis ac myſticis animalium ſymbolis, vitę moralia pręcepta occulta tradidiſſe, ſolis divinæ legis amatoribus pervia & nota, qualia ſunt neque porco, neque aquilâ, neque accipitre, neque corvo veſci, quia porcus cùm ſit voluptati deditus, & animal immundum ſignificat voluptatem cum maculâ, & immunditiâ junctam eſſe. Aquilę verò & accipitris interdictio oſtendit eos non eſſe imitandos, qui labore, propria virtute, nec ſciunt, nec volunt ſibi alimenta comparare, ſed malunt aliena defraudare, & illis ſuam inſipientiam, atque malitiam cooperire.

Omnem hanc ſapientiam, imò & etiam altiorem Hebręam eſſe, docet ipſe Ariſtoteles, qui de Hyperochide (citatus à Cleareho apud Guidonem Fabr. Bod. in Epiſtolâ miſſa Bened. Arię Mont. quæ impreſſa eſt in apparatu regio ante Grammaticam Chaldaicam) ait. *Iudæus erat qui ab altioribus Aſiæ locis ad maritimas civitates deſcendens, & linguâ, & animo Græcus fuit. Cùmque accidiſſet, ut eo tempore nos quoque in maritimis Aſiæ locis verſaremur Philoſophiæ amore ad nos ſponte venit, qui multò plura nobis attulit, quàm acceperit.*

Hæc igitur univerſalis cognitio & altior ſcientia ea eſt, quam Myſterijs involutam & abſconditam in Teſtamento Hebraico veteri tenemus, cujus intelligentiam propriam & non vulgatem Hebræi Cabalam nominant, & nos Græco vocabulo Bibliologiam, & Latino Bibliæintelligentiam appellamus. Illi uni totum animum, mentem, tempus, ſalutem copias, à primâ ætate conſecravi, non ſine aliquo fructu, Licèt Labore eximio, dies diebus jungam, cupiens ſaltem Geneſi ultimam manum imponere, & præparare viam ut alij meo exemplo in reliquis libris ſimilem laborem ſibi aſſumant, & multorum opere, quod unius non potuit diligennâ, omnium Librorum Cabala compleatur.

CXLIII.

Characteres Aſtronomici.

POſſent & iſti nominari *Cœleſtes*, ſed quia veteres illi, quos Adamus invenit Cœleſtes audiunt, iſti Aſtronomici dici debebunt, ne ſit locus ęquivocationi. Figuram & valorem ſubſcribo.

נ	מ	ל	ד	כ	י	ט	ח	ז	ו	ה	ד	ג	ב	א
♓	≈	♑	↔	♍	♎	♍	♌	♋	♊	♉	♈	☽	⊙	::
							ת	ש	ר	ק	צ	פ	ע	ס
							○	⁂	♄	♃	♂	♀	☿	*

His olim charactetibus, aut etiamnum utuntur nonnulli, ut vaticinentur & prædicent futura. Nos ſingulas literas recognoſcamus.

Primam Litteram ſic :: delineant ex quatuor punctis, quibus ſignificant nomen tetragrammaton ♉ ♊ ♉ ♎/ יהוה/ quod quatuor ex Litteris componitur, ut ſcias, initium ſapientiæ eſſe timorem Domini ut ſæpè docet ſacra pagina.

⊙ vocatur ♉ ♎ ⊙/ בית *Domus. Locus*: eo quòd Sol Locus ſit Cœli, & centrum ſiſtematis omnium Planetarum.

☽ tertia eſt alfabeti Littera, valet hebraicè ג: Latinè G. cùm ſit omnium ſtellarum potentiſſima, cujus motui terra, mare, & aëra ſubjicitur, cùm in primo illa aſpectu Terræ motus faciat, reciprocationes in ſecundo, tempeſtates in tertio, meritò nomine animalis debuit intelligi, quod eſſet fortitudinis ſymbolum (quia ♑ ≈ ☽/ גמל hoc eſt *Camelus*, Hieroglyphicôs eſt fortitudo: unde Mathematici grad. 27 ♌. 17. ♎. 20. ♏. Ægyptiacè ≈ ♎ ♑ ≈ ☽: Hebraicè גמלים. Latinè *Cameles* nominarunt, hoc eſt omnium fortiſſimos. Nautici funem Ancoræ (quem fortiſſimum rudentem eſſe conſtat) *Camelum* nominant, quo ſenſu multi exponunt Evangelicam Litteram de camelo, qui ingreditur per foramen acûs faciliùs, quàm dives per portam Cœli.

Quarta littera eſt ♈. *Aries*: vocatur ○ ♑ ♈: דלת. hoc eſt *aditus, introitus*. eò quòd, hoc ſignum porta ſit Cœli initiumque itineris omnium Planetarum.

♉ quinta eſt littera *Taurus*. vocatur :: ♉: אחד: *Eccetatem ſingularitatemque* ſignificat, eo quòd ſingulares effectus, & admirabiles rerum eventus Planetæ cauſent in hoc ſigno.

Sexta eſt ♊ *Gemini* Hebraicè, & Ægyptiacè ♊♊/ וו/ eſt *clavus retortus, uncinus*: Hiſp. *Eſcarpia*. dictionum conjunctio eſt, & ideò *Gemini* dicitur, quod in qualibet conjunctione unum, & aliud requiratur.

Septima Cœleſtis Abecedarij Littera ♋ *Cancer* eſt. vocaturque Ægyptiacè ♓ ♊ ♋. זין hoc eſt *Arma*, eo quod armatum ſit animal & ægritudo immedicabilis.

Octava ♌ *Leo* Ægyptiacè ○ ♎ ♌. חית. *Fera beſtia*: Leo enim Fera antonomaſticôs cognominatur.

Nona ♍ *Virgo*. Ægyptiacè. ○ ♎ ♍. טית (à radice ○ ♎ ♍ טוה, vel ○ ♎ ♍. טוה. *Intinar*

ſtare. abſtineri continere) ſignificat *Iejunium, abſtinentiam, continentiam*, convenientia virgini.

Decima ♎ *libra* quaſi *libera* (unde *liberi. ovum filia*. Ægyptiacè dicitur ♈♎☐/יוד/ hoc eſt ילד *Puer. filius* &c.

Undecima eſt ♏ *Scorpio* Ægyptiacè כף ♀♏. à Scorpionis curvaturâ ſic cognominata: ſi eſt ך, hoc eſt Caf finalis, vocatur *Sagittarius* & figuratur ſic ♐ & ei etiã cõvenit nomen. ♀♏. כף. hoc eſt *manus & ramus*: eò quòd ad ſagittãdum manus, & ramus, ſive ſagitta requiratur.

Duodecima eſt ♑ ejuſdem figuræ cũ charactere Hebræo, qui ei reſpondet ſcilicet ל. Ægyptiacè dicitur ♈♒♑. למד. hoc eſt *Stimulus*, eo quòd in muſicis capricornu (Hiſp. *Corneta*) quo officia cœleſtia canebantur, auris ſtimuletur.

Decima tertia eſt ♒ *Aquarius*: & ideò Ægyptiacè dicitur ♒♎♒. מם. hoc eſt *Aqua*.

Decima quarta eſt ♓ *Piſcis*. Ægyptiacè conſervat ipſiſſimam ſignificationem & appellatur ♓☐♓. נון. Latinè *Piſcis*. Syriacè, נונא.

XV. eſt ✱ כוכב. *Cocub*. Planeta ille inter Solem & Mercurium periodum velociſſimam cõplens: de quo vix video alios locutos fuiſſe, vocatur ☉☐♏♏ כוכב *fulgens*. grammaticis ♐♈✱/סמך/ hoc eſt *auxiliũ*. quod bonus ſit Planeta, amicoque res influxu proſequatur.

XVI. eſt ☿. *Mercurius* de quo traditur in antiquitatis monumentis Argũ interemiſſe juſſu Jovis; unde & *ἀργυφόντης* cognominatus eſt, cùmque *ἄργος* totus oculis ſcateret, (unde *πανόπτης* a Græcis dicebatur, & ob id à Junone in cuſtodem Iûs, Inachi filiæ in juvencã à Jove transformatæ conſtitutus eſt) illi oculos conſecraverunt in trofæum victoriæ. & ideò ab Ægyptijs ♓♎☿. עין. id eſt *oculi* cognominatur.

XVII. eſt ♀ *venus*, dicitur ::♀. פא. *decora, pulchra*. ob elegantem ſpeciei venuſtatem.

XVIII. ♂ *Mars* & ideò dicitur ♎♈♂. צדי. hoc eſt *deſtruens, vaſtans*. eò quòd malignus ſit hic Planeta, & hominibus inimiciſſimus.

XIX. Eſt ♃ *Iuppiter*. vocatur ♀☐♃: קוף *æmulum. invidum. Simiam*. eo quod Juppiter adeo fuerit invidiæ impotens, ut ſuo parenti æmulus & injurius miſeram induceret ſenectutem, & tandem regnò privaret, & fugaret ad exteros Latios, ubi latuit: unde nomen Latij deſumptum eſt, teſte Poëtâ,

— — *Latiumque vocari*
Maluit, his quoniam latuiſſet tutus in oris.

XX. Eſt ♄ *Saturnus* egenus, tardus, & miſerabilis, infortunium majus: & ideò ⁂♎♄ ריש cognominatur, à miſeriâ & egeſtate.

XXI. Eſt ⁂ *ſtella fixa* character ſimilis Hebræo ש. dicitur à שנה hoc eſt *Annus* ♓♎⁂/שין/ quòd annum & menſes dodecatemorijs ſuis definiant.

Denique littera XXII. quæ ultima eſt totius Alphabeti Ægyptiaci eſt O *circulus*: Cœlum videlicet Empyreum ſuper ſtellis fixis mirabiliter conſtructum, unde ☐O. תו hoc eſt *terminus, & finis* nominatur; eò quòd Cœlum Empyreum ſit finis phyſicus atque moralis omnium rerum. Phyſicus quidem, eò quòd omnia comprehendat & terminet: moralis eò quòd omnia ſint facta propter prædeſtinatos, & horum finis eſt Cœlum Empyreum, beatitudo, gloria, quam præparavit Deus diligentibus ſe.

Aliud ſymbolum magis mirabile ſpeculor in litterâ O. Circulus eſt: Sphœra eſt: Deus eſt; quia Deus ex ſententia termaximi illius Ægyptij Mercurij, (qui cùm fuerit maximus Philoſophus, obſervantiſſimus Sacerdos, & Juſtiſſimus Rex Triſmegiſtus, ſive ter Maximus cognominatur) *Sphœra eſt intelligibilis, cujus centrum ubique eſt, & nullibi circumferentia*, & hæc littera O ſeu *Deus* cognominatur, תו. ☐O, ſeu *Crux* (quia תו *crucem* ſonat, ut probo alibi) ut ſcias Sphœram illam intelligibilem, divinamque Perſonam uniendam fuiſſe hypoſtaticè ſ carni, ut fieret homo, & pro nobis (ſumma miſericordia!) crucifigeretur.

SUnt inſuper in hoc characterum genere clauſularum particulares puncti videlicet ✱ △ ☌ & ☋. In fine periodi collocatur ☋ ut notetur ſequentia totaliter diſtingui à præcedentibus: imò interdum opponi. Comati noſtro æquivalet ✱, duobus punctis ☐ & △. conjunctioni ☌, & ſignificat *Et*, ponitúrq; ubi deficit ☐ Vav. & partes diſſentiẽtes adnectit.

Exemplum ſit præcedentiũ Pſ. 11. Heb. 117.
הללו את יהוה כל־גוים שבחוהו כל־האמים׃
כי גבר עלינו חסדו ואמת־יהוה לעולם הללויה

Quem ex Globo Ægyptiaco tranſcribo ſic.

·☽—♑♏ ♉☐♉♎—O:: ☐♑♑♉
·∷♉—♑♏ ☐♉☐♉♌⊖♈△♒♎☐
☐♓♎♑♉ ♄⊙☽ ♎♏ ☋♒♎♒
·☿♑ ♉☐♉♎—⊖♒∷☌△ ☐♈✱♌
☋ ♉♎——♎♑♑♉ ☋ ♒♑☐

Laudate Iehovã omnes gentes, collaudate eũ omnes populi, Quoniã roborata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Iehovæ manet in æternũ HAlleluiah.

Hi ſunt characteres, quos cõſervat Aſtronomia in omnibus ferè regionibus totius Mundi, uſque in præſentem diem. Hoc characterũ genere traditus eſt mihi Madriti manuſcriptus Globus Ægyptiacus, Pimandrũ Mercurij continens, aliquos verſus Pentateuchi, & Pſalmos 31. illũ Lingua Ægyptiaca, hos Hebræa: ubi plura curioſitate & animadverſione digna. Eum ſanè corrigo, & ab aliquibus Gentilitijs expurgo, ut in eruditorum gratiam Scholijs illuſtratus, lucem videat.

CXLIV.

Characteres Regij.

VOcant אותות־מלכים, Ethoth-Melachim *Litteras Regum*, illas, quibus Reges in ſuis diplomatibus uti ſolebãt. Erant variæ, nõ enim omnes eiſdẽ uſi, nos celebriores in primâ Tabulâ poſt Aſtronomicas deſcripſimus, De his Cornel. Agrippa, & alij pauci: & quia nòn occurrit, aliquid ſpeciale, quod dicamus, ſtylũ pono.

CXLV.

Characteres Hebræi, Rabbinici, Syri, Chaldæi.

QUatuor columnæ ultimæ, hos characteres exhibent: ultimâ omniũ, quadratos illos, qui hodie apud Hebræos in uſu; qui licèt nòn Hebræorum ſunt, hodie Hebraici vocantur, quòd Hebræis ſerviant. Penultima columnâ reponit eoſdem characteres calamo liberiori; & hac literarum formâ, quam Rabbinicam vocitant, quâ etiamnum uti ſolent Judæi, cùm manu-ſcribunt. Duæ aliæ columnæ Syro-Chaldæas litteras continent: antepenultima communes,

munes, quibus hodie Maronitæ uti ſolent; alteras antiquiores, quibus in librorum hodie titulis, & olim ſunt uſi ſcriptores.

CXLVI.

Characteres Æthiopici.

ORientalis Africa Æthiopia dicitur; latiſſimè patet, & viros habet doctos & pios, & non multùm in moribus & ritibus differt à Catholicâ Eccleſiâ, quam matrem & ſuperiorem noſcit. Characteribus & linguâ utitur propriâ: Specimen exhibuit Prima Tabula.

CXLVII.

Characteres Indici.

INdiæ nomen antiquitùs notabat eam Regionem, quam Ganges adluit: unde legimus Indiam cis Gangem, ab Indiâ ultra Gangem diſtingui. Hodie hoc vocabulo omnes illæ regiones (etiam occidentales) quæ de novo inveniuntur, vocantur Indiæ. Habent plurimas gentes, & ſingulæ diverſas linguas; at apud Gangem illi ſunt characteres in uſu, quos prima Tabula repræſentavit.

Hujus dialecti differentia primò conſiſtebat in litteris, qui ſolummodo addita ā quâ nos caremus ſpiritu rotundo, qui ab Hebræis cognominatur Ain, omnes alias litteras, & characteres Hiſpanos conſervarunt. Secundò materia linguæ maxima ex parte fuit Hiſpana, ſicut & nobis hodie Arabica, ut patet in his vocibus. *Alguacil, Alcalde, Cid, Albombra, Almoada.* & alijs innumeris loco tributi, & muneris ab Arabiſmo translatis ad linguam Hiſpanam. Tertiò forma nec omninò fuit Arabica, nec nihil habuit Hiſpanum, ſed utrimque participans, ut conſpicis in ſubſecutis, quę curioſitate maximâ ab Hiſpano-mauris adoctus, cùmque libros ipſorum (habens enim hâc dialecto Orationes, Catechiſmum, Hiſtoriam, & alia plurima mandata Typis, & alia chirographica) conſulens, ne hæc pereat Lingua, vel ſaltem ab Europæis remaneat incognita, volui illam litteris commendare.

CXLVIII.

HISPANO-ARABICI IDIOMATIS, QUOD MAURISCUM VOCANT, BREVIS ET EXACTA GRAMMATICA.

PArtes Orationis, ſicut in alijs Linguis, octo ſunt: Nomen, Pronomen, Verbum, Participium, Præpoſitio, Adverbium, Interjectio, & Conjunctio. Quatuor poſteriores ſunt indeclinabiles, & ideò expoſitione ſpeciali non indigent. Pronomina adhærent Nominibus, & ideò de ſolo Nominum, Verborum, & Participiorum variatione & inflexione diſputabo. Et obiter notari volo literam ā eſſe עין, quę *gubain* dicitur, & eſt quædam aſpiratio per nares: & ſcribitur ſic ā vel ſic å.

N O M E N

Declinatio articuli

Nominat.	A vel Al.
Genit.	A: Al: Mita: Mital.
Dativ.	La: Lal: Li: Lil.
Accuſ.	Al: Al.
vocat.	A: Ya:
Ablativ.	Ba: Bal: bi: bil: fa: fal: fi: fil: mā: māl: mi: minal.

Hi articuli præponuntur nomini ut ex illo fiant diverſi caſus.

GENUS.

Genus eſt duplex maſc. & fæm. Finita in i. u. *aut in qualibet conſonanti littera eſt maſc: finita in* ב *vel in littera* ā *etiam ſunt maſc. reliqua ſunt fæm. Genus ſingularis etiam eſt genus pluralis.*

NUMERUS.

Numerus eſt triplex ſingularis, Dualis, & Pluralis. Arborum, herbarum, fructuum, ſeminum, animalium & avium nomina finiuntur in vocali & hac amiſſa pluralia fiunt, ut harēbe *lignū* hareb *ligna.*

Nomina verbalia & participia recipiunt in *ut* moraguah *otioſus* moraguabin *otioſi.*

Dualia non fiunt verbalia neq, participia, reliqua verò ſi ſunt maſc. recipiunt ay. *ut* rajūl *homo* rajulay *duo homines, fæm. verò recipiunt* tay, *ſed plurale pro duali ſæpiùs ponitur.*

Reliqua nomina fiunt pluralia addito en *maſculinis & fæmininis* ten.

DERIVATIO.

Primitiva nomina vel terminantur in vocali aut in conſonanti ſi in vocali, aut ſimplici aut duplici.

Si ergo finiantur in vocali ſimplici, mutatur ultima vocalis in i. *ut ex* Garnatani Alcalay *ex* Garnata *&* Alcala.

Si verò finiantur in duabus vocalibus dempta ultima remanet derivat.

Si finiantur in conſonanti adde i.

DIMINUTIO.

Arabes ſicut apud Hiſpanos Galliciani plurimum utuntur diminutivis, quæ formant ſic.

Si prima vocalis eſt a *vertitur in* u *& poſt conſonantem ſequentem ponitur* y. *ut* Bagla *mula* Bugayla *mula parva.*

Si prima eſt i. *ſequentibus duabus conſonantibus interjiciet* ay: *ſequenti unâ ponet* ya *poſt vocalem ſequentem, ut* čimāra *arbos* cumàyara *arbos parvus.*

VERBALIA.

Verba finita in i *amittunt* na *& ſumunt* a *poſt primam conſonantem ut* Natmì, Rami.

VERBUM.

V*Erborum alia finiuntur in* Na *& alia in* Ni. *quorum conjugatio conſpicitur Schemate ſequenti.*

PRÆSENS.

	Legere	*amare*
Ego.	Nacaā	Nihibb
tu	Tacraa	Tihibb
ille	Yacraa	Yihibb
nos	Nacrāu	Nihibbu
vos	Tacrau	Tihibbu
illi	Yacrau	Yihibbu

PRÆTERITUM.

ego	Caràit	Habebt
tu	Carait	Habebt
ille	Caraā	Habeb.
nos	Caraina	Habebna

vos

vos	Caráitum	Habebtum
illi	Carav	Habebv.

IMPERATIVUM.

tu	Acràa	Hibb
vos	Acrá	Hibu

IRREGULARIA.

Duo tantùm irregularia reperiuntur Hu *quod eſt* ſum. *&* Máay *quod eſt* habeo. *& conjugantur uti conſpicis.*

PRÆSENS.

Ego	Hu *ſum.*	ani	Maay *habeo*
tu	Hu	ente	Maac
ille	Hu	diq	Mau
nos	Hum	hênat	Máana
vos	Hum	êntû	Maacum
illi	Hum	hǒuliq	Mahum

PRÆTERITUM.

Ego	Cunt	Maay
tu	Cun	Maac
ille	Quin	Mau
nos	Cǔnna.	Maana
vos	Cǔntum	Maacum
illi	Quinu	Mahum

FUTURUM.

Ego	Nucǔn	Yucǔ máay
tu	Tucun	Yucu maac
ille	Yucun	Yocumau
nos	Nucǔnu	Yucumaana
vos	Tucunu	Yucu maacum
illi	Yuconu	Yucu mahum

IMPERATIVUM.

tu	Cǒente	Abbeçénte
vos.	Cánueonnu	Abbêçu ˇẽtum

PARTICIPIUM.

SI *verba Arabica incipiant in* Na. *mutant* n *in* m. *ut* Nacǔl *edo* Macǔl *edor. Si ultima ſyllaba fuerit* A. *aut* I *in participio convertitur in.* U.

PARTICIPIALE.

TErtia *perſona ſingularis præt. mutat ultimam vocalem in* I. *ut* equèl *comedit* equil *comeſtor.*

Cæterùm ſi incipiant verba arabica in Ni *illud vertunt in* Mu *ut participii fiant, & participialia ſi ipſum participio ultima vocalis mutetur in* I. Nicatel *præliavit.* Mucatel *præliatum:* Mucatil *præliator.*

CII.

Characteres Arabici, Saraceni, Turcici.

FOrmam figuramque dat ſecunda Tabula: ibi etiam & nomen & valorem expreſſi. Uſum ediſſerunt & explicant diverſi Authores; & inter alios Franciſcus Maria Maggius, Panormitanus, Clericus Regularis, in Syntagmatôn linguarum Orientalium libro ſecundò, erudité & exactè. Lingua Perſica, Saracena, Turcica, Mauritanica, dialecti quædam ſunt linguæ Arabicæ; quæ obique regnat apud illos, non ſecus ac apud nos lingua Latina. Ergo ut ſingulas meliùs intelligamus, omnes componamus & conciliemus.

CL.

Qui characteres Arabum, Græcorum, Latinorumque, Hebraicis, ſive Chaldaicis correſpondeant?

HEbraici atque Chaldaici characteres Arabicis invicem correſpondent; ita ut vix plures aut pauciores ſint in altero idiomate atque in alio, utrique enim ſunt eiuſdem numeri & poteſtatis, Licèt figurâ aliquali diſcriminentur. Oppoſitum contingit alijs linguis, aliquas enim habet literas Hebraica (& ſemper idem de Chaldaicâ atque Syriacâ intelligendum venit) quibus Arabica eſt deſtituta, & è converſo: & aliquas habent Latina & Græca, quæ in Hebræâ deſiderantur.

Ut igitur ab *Aleph* incipiamus, pro eo ponit Arabs ſuum *Eliph*, Græcus ſuum ſpiritum lenem: Latinus non habet hanc litteram, nec characterem qui illi correſpondeat, & ideò illam omittit & nullum characterem pro ea ſcribit ut vides in hac dictione. Hebraicè אדם Græcè Ἀδάμ, Latinè *Adam.*

Betho leni reſpondet apud Arabes *Be*, apud Græcos β *Beta*, apud Latinos V conſonans vel etiam *B*, *Be.*

Betho duro nullum Arabicum elementum correſpōdet, ſed ſuppletur per *Be* puncto quod habet in parte inferiori ſuperpoſito: β *Beta* Græcorū imò & Latinorum *B* etiam ſi fortior Græco ſit, blandior eſt *Betho* duro, & ſic licèt pro *Betho* β græcè & *B* latinè ſubſtituatur, meus felicis recordationis Magiſt. Archiepiſcopus Libanenſis græcè ponebat Π *Pi* & Latinè *P. Pe* ut videre eſt in aliquibus ſuis manuſcriptis Græcis & Latinis Epiſtolis, quas adhuc apud me conſervo.

Ipſi *Gimel* propè accedit *Gim*: pro *Gimel* tam leni quàm duro ſubſtituitur. Græcè ſumitur Γ *Gamma* indifferenter pro utroque: præterquā quod durus duplici γγ & blandus γ' cum ſpiritu leni ſolet explicari: ſic apud Latinos G pro blando & duro indifferenter ponitur, præterquam quod etiam pro duro Gg, duplex, & pro blando, Gh cum aſpiratione, aut etiam Gu, collocatur.

Delta reſpondet Arabum *Del*, ſine puncto. & hęc ponitur littera pro molli & aſpera, ſed & pro molli ſolet poni *Dhel*, Gręcè Δ, Latinè D. quod ſi exprimere volueris *Delta* ipſius duritiem Græcè aut Latinè; dupla, ſic δδ. dd. ſi lenitatem aſpirationem adde ut vides δ'. dh.

He ipſi reſpondet Arabicu. *He*, Græcus ſpiritus fortis ʽ, Latinus H.

Ipſi *Waw* reſpondet Arabicus *Vau*, Græcorum Y, & Latinorum V vel meliùs W.

Ipſi autem *Zain*. Arabum *Zei*, Græcorum Z.

Hetho verò Arabicus *He*, Græcorū vel potiꝰ duplex ſpiritus ſic ʽʽ Latinè H vel meliùs hh.

Ipſi *Iudh* Arabum, Græcorū & Latiorū *Iota.*

Capho apud Arabes reſpondet *Chef*: cui æquivalet Græcorum K: Latinorum K vel etiā C, ante A & O & U: & non ante alias vocales.

Lamedo

Lamedo Hebraico æquipollet Arabicè *Lem.* Λ *Lamda* Græcè: L latinè.

Memo, Arabicus *Mim*: Græcus μ *Mi*: Latinus M.

Nuno.apud Arabes *Nun*: apud Græcos ν *Ni*: apud Latinos N.

Samecho.reſpondet Arabicè *Sad*; Græcè Σ ſigma; Latinè S.

Aino, Arabum *Hain* vel potiùs *Hghain*: Græcè ο vel meliùs ſic ꞉ ut diſtinguatur ab ο qui pro *Hetho* ponuntur. Latinè H. vel Gnh. vel Hgh.

Ipſi *Pe* Arabum *Fe*.Græcorum Π.& Latinorum P.quod ſi velis eius lenitudinem exprimere grecè, pone π vel φ. Latine F.vel Ph.

Zoda autem Arabicè Græcè & Latinè Z.

Qofo. Arabicè *Chaf* Græcè K *Cappa*; Latinè Q.

Rixo Arabicus *Ra*.Græcus P.*Ro*.& Latinus R.

Ximo. Arabum *Scin*: Græcorum ξ. vel σκ. vel γσκ. Latinorum X. vel Sci. Gſi. Gſc.

Denique ipſi *Taw*, *Tha* Arabicè; Græcè Θ *Theta*: Latinè T. quod ſi velis eius molitiem explicate aſpirationem addito, ſcilicet Th. ſi aſperitatem, duplica.ſic Tt.

Hic obiter notandum eſt pro baddittro Litteris mollibus. Hiſpanum ab Archiepiſcopo præponi ut litteræ molities denotetur. Cæterùm durities, quæ litteris nonnunquam contingit, ex eo quod præcedens Littera abſorbeatur, non ſolùm duplat Litteram, ſed deletam in medio pronuntiandum collocat, ut ſi מבנין *Adomo* Latinis Litteris ſit ſcribendum exarabitur ſic *Mibnbit* quia ille punctus qui in medio ב defecta נ præpoſitionis מן *Men* non ſolùm duplat, ſed debet in pronuntiationem Beihi introgredi: unde in litteris grandioribus dagexi figura cú pr . littera deficienti ponitur non eſt punctus, ſed Littera ipſa deficieos quæ parvula ſpecie in littera dagexanda includitur.

Cæterùm communior & facilior ſcribendi modus eſt ſimplicem Litteram Latinam ſive Græcam pro ſimplici Hebraica collocare.

DE GRÆCIS LITERIS.

CLII.

IN ſcribendis legendiſque ſuis libris Græci, non eumdem ordinem, quam Hebræi, Chaldæi, & alij orientales obſervant; ſed Latinorú potiùs more à ſiniſtrâ in dexterá tendút. Habent viginti & quattuor litteras, quarum figuram, valorem, & communia nomina repræſentamus.

FIGVRA.	POTESTAS.	NOMEN		
Α α	a	Ἄλφα	*Alfa.*	
Β β ϐ	b	Βῆτα	*Beta.*	
Γ γ ɣ	g	Γάμμα	*Gamma.*	
Δ δ ẟ	d	Δέλτα	*Delta.*	
Ε ε	e breve	Ἐψιλόν	*Epſilon.*	
Ζ ζ	z	Ζῆτα	*Zeta.*	
Η η	e longum	Ἦτα	*Eta.*	
Θ θ ϑ	th	Θῆτα	*Theta.*	
Ι ι	i	Ἰῶτα	*Iota ſemper vocalis*	
Κ κ	c.k.q.	Κάππα	*Cappa.*	
Λ λ	l	Λάμβδα	*Lambda.*	
Μ μ	m	Μῦ	*Mu.*	
Ν ν ɥ	n	Νῦ	*Nu.*	
Ξ ξ	x	Ξῖ	*Xi.*	
Ο ο	o breve	Ὀμικρόν	*O micron.*	
Π π ϖ	p	Πῖ	*Pi.*	
Ρ ρ ϱ	r	Ῥῶ	*Rho.*	
Σ σ ς	s	Σῖγμα	*Sigma.*	
Τ τ ˥	t	Ταῦ	*Tau.*	
Υ υ	u.commune	Υ κοινόν	*V coinon*	*vocale omnium linguarũ*
Φ φ	f.ph.	Φῖ	*Fi.*	
Χ χ	ch	Χῖ	*Chi.*	
Ψ ψ	pſ.	Ψῖ	*Pſi.*	
Ω ω	O magnum	Ὦ μέγα	*Omega.*	

Non omnes iſtæ litteræ fuerunt olim nam omnia ab imperfectiori ſtatu incipiunt, & ſicut ætate, ita & perfectione ſuccreſcunt. Primus Author Græcarum litterarum fuit Cadmus; Authores fuerunt Pythagoras, Simonides, Epicharmus & Palamedes, quorum ſingulorum litteras ad Tabellam reduximus majoris claritatis gratiâ.

CADMUS PHOENICIS FRATER
Litteras haſce in Græciam intulit:

a	b	g	d	e	i	k	l	m	n
Α	Β	Γ	Δ	Ε	Ι	Κ	Λ	Μ	Ν

o	p	r	ſ	t
Ο	Π	Ρ	Σ	Τ

PYTHAGORAS

Y. litteram ad humanæ vitæ exemplum invenit.
de qua eſt celebre poëma incerti authoris in fine Virg.

SIMONIDES MELICVS

Quattuor Græcarum litterarum inventor:

Ζ	Η	Ψ	Ω
z	e	pſ	o

EPICHARMVS SICVLVS

Duas Græcis addidit Litteras.

Θ	Χ
th	ch

PALAMEDES

In Bello Troiano Græcis litteras has adiecit:

Ξ	Φ
x	ph

CLIII.

NOTA.

RO initio dictionis eſt *Rho* ut Ῥώμη Rhome, Roma. In medio dictionis omnis ſpiritûs eſt incapax, niſi fortè ſit duplex ῤῥ tunc enim prior mollem, denſum poſterior ſpiritum habebit, ut πόῤῥω porrhò *profectò*.

Apoſtrophus ex ſpiritu Litterarum noſcitur. Reperitur in vocalibus α, ε, ι, ο, & diphthongis αι, οι, ſequenti vocali quæ ſi aſpiretur præcedens tenuis in aſpiratam convertetur, & utraque dictio per modum unius legenda erit, ut πάντα ἔλεγον: ubi non legitur *Panta elegon*, ſed πάντ᾽ ἔλεγον *Pandelegon* quodſi prima vocalis dictionis ſubſequentis à ſpiritu molli incipiat rejecta ultima vocali dictionis præcedentis π in π᾽, κ in κ᾽ & τ in τ᾽ molles convertendæ ſunt; ſi verò prima vocalis dictionis ſubſequentis à denſo ſpiritu exordiatur. π in φ᾽, & κ in χ᾽ & τ in θ᾽ mutandæ veniunt. Sic enim dicimus ἀπὸ οὗ in apoſtrophe verò ἀφ᾽ οὗ, ſimiliter ex κατὰ οὗ, & ex κατὰ ὅλον dicicimus in apoſtrophe καθ᾽ ὅλον & καθ᾽ οὗ. Notandum tamen eſt primò diphthongos αι & οι rarò apud proſographos, perpetuò autem apud metrographos elidi. Notandum etiam ſecundò eſt, aliquando in oratione ſoluta, frequentiùs verò in alligata, ſi pronunciationis lepor aut metri neceſſitas, aut alia cauſa poſtulaverit, ab initio dictionis ſubſequentis auferri vocalem; & maximè ſi præcedens fuerit monoſyllaba, ut patet in ſubjectis. ὦ ἀγαθέ, ποῦ ἐστιν pro quibus in apoſtrophe dicitur ὦ ᾽γαθέ, ποῦ ᾽στιν.

CLIV.

De Vocalibus.

VOcales ſunt Α. Ε. Η. Ι. Ο. Ω. Υ. videlicet ſeptem diverſæ. Ε & Ο perpetuò breves; Η verò & Ω perpetuò longæ; Α. Ι. Υ ancipites; quia modò longæ, modò breves, ſecundum diverſum concurſum & exigentiam conſonantium.

Ex iis vocalibus fiunt duodecim diphthongi: videlicet,

Propriæ αι. αυ. ει. ευ. οι. ου.

Impropriæ ᾳ. ῃ. ῳ. ηυ. υι. ωυ.

Harum vocalium aliæ dicuntur præpoſitivæ, eò quòd in diphthongis præeant, & ſunt α. ε. η. ο. ω. Aliæ ſubjunctivæ, eò quòd ibidem poſtponantur.

Iota diphthongi impropriæ ad latus figura minori quàm vocalis præpoſitiva ſolebat ſcribi ſic. αι. meliùs autem recentiores ſupponunt ſic ᾳ

Cùm concurrunt duæ vocales, quæ nō coëunt in diphthongon, ſecundæ ſuperponunt duplex punctum, ut eam ſyllabam eſſe à præcedenti diſtinctam deſignetur; patet in hac voce Ναΐδες ubi Iota ſequitur α & ne quis crederet utramque in unam ſyllabam coire, ſuperpoſita ſunt duo puncta, ut vides: & idem contingit in cōcurſu vocalium, ubi poteſt eſſe æquivocatio; verùm, ſi hæc non timeatur, etiam ſi concurrant duæ vocales omittenda ſunt puncta, ut patet in hac dictione Φαέθων, in qua ε poſt α ſequitur, nec tamen illa recipit puncta, quia cùm nulla diphthongus ex α & ε ſit apud Græcos, in hac dictione, & id genus aliis, æquivocatio contingere non poteſt. poſſet apud Latinos, *Inter quos aliquis fuit auſus dicere* Phæton.

De pronunciatione Litterarum.

LItteræ pronunciatio eſt triplex; Spiritus, Tonus, Poteſtas. Spirit⁹ eſt duplex; Aſper videlicet & Mollis. Aſper eſt aſpiratio ipſi H. Latino correſpondens, cujus character eſt ῾ & litteræ aſpirandæ ſuperponitur ſic ἅμα *hama*. Mollis lenior eſt ipſo latino ſpiritu, & Hebræorum Alepho correſpondet; ejus character eſt ᾿ litteræ aſpirandæ ſuperpoſitus ſic, ἐγὼ *Ego*. Semper Vocalis aut Diphthongus, ſi dictionem initiet, alterum horum ſpirituum poſſidet, ut vides in ὁ Αἰνείας Ho Aineias *Hic Æneas* ubi ὁ Ho *Hic* habet accentum

aſperum, *Αἰνείας* Aeneas. Curioſi jam & politiores inceperunt omittere lenem, quia ubi nullus exprimitur debet intelligi; maximè cùm videatur ſpiritum lenem eſſe meram ſpiritûs denſi carentiam. *Hac de Spiritu ſatis, ad litterarum valorem & poteſtatem venio.*

Α noſtræ A. Latinæ correſpondet, & ideò profertur clariſſimè.

Β eſt durior quàm V, blandior quàm B latina; & idcircò aliàs per b aliàs per v latinè redditur, videtur correſpondere Hiſpanæ B.

Γ proferenda eſt ut G: ut *Ἀπόγειος* Apogeios, *è terra natus*: quod ſi ſequatur alia γ aut ξ aut χ, proferenda eſt ut N, ut vides in ſubjectis *Ἄγγελος* Angelos *Angelus* *λύγξ* Lunx *Lynx* *Ἀγχώμαλον* Anchomalon, *Planities.* Sed hoc ipſum deberet corrigi; eſt enim in lingua pulcherrima nævus, quòd calamus à labio diſſentiat.

Δ eſt D. & blandè debebit proferri.

Ε eſt e Latinorum, ſed ſemper brevis.

Ζ eſt Z ultima Latinorum littera.

Η longa vocalis eſt: apud nonnullos legebatur ut I, ſed jam ut E longum, & ita opponitur E brevi; unde non dicimus *Ἑλένη* *Heleni* ſed *Helene* non *Ῥώμη* *Romi* ſed *Rome.*

Θ eſt littera aſpirata, & nulla illi Latina correſpondet ſed T & H in unum junctis explicatur, ut *Δίφθογγος*, *diphthongos.*

Ι apud aliquos credebatur conſonans, ſed jam receptum eſt illam ſemper vocalem eſſe.

Κ ſolet Latinè explicari per K aliàs per C. ut *ἀστρόκομος* *Aſtrokomos* vel *Aſtrocomos*, ſed frequentius per C. rariùs per K.

Λ ut L Latina pronunciatur, & eſt liquida.

Μ Liquida etiam eſt; & M Latinæ correſpondet.

Ν Liquida etiam eſt: & reſpondet N Latinorum, ſi non præcedat β μ aut π quod ſi has præcedat, non eam ut N Latina, ſed potiùs ut M pronunciatur, ut *τὸν βίον tom bion* *ἡμέραν* *sem merida* *τὸν πόντον tom bonton, &c.*

Ξ aut X Latinorum pronunciatur.

Ο eſt vocalis brevis & noſtræ O brevi latinæ correſpondet.

Π poſt N (quæ proferri debet ut M) aut poſt M ſonat ut B latina, ut *ὠκεανὸν πόντον θεοῦ Φαέθοντος ἀγλάϊζε* Okeanom bontote Theou Phaëthonto eglaze *Oceanum Pontumque Dei Phaethontis honorat* ubi π poſt ν ſonat ut P latina.

Ρ ſi aſpiratur durè, dicitur *Rho*, & noſtræ R latinæ æquivalet.

Σ ſonat ut S.

Τ poſt N ſonat ut D aliàs ut T. *Τάνταλος* Tandalos *Tantalus* ubi prior T cùm non ſequatur poſt N. ſonat ut T, poſterior cùm ſequatur poſt N, ſonat ut D.

Υ opinione Cortez & aliorum malè profertur à noſtratibus, dum Latinè ſcribitur ſic. Y. & profertur ut I. quæ mala prolatio, ut deleatur, factum eſt ut apud doctiores nō ſcribatur Latinè per Y. ſed per U, ut cognoſcatur, non ut I ſed ut U hanc litteram pronuntiandam eſſe: ſic pro Græco *μυστήριον*, Latinè ſcribitur *Myſterion* ſed pronunciandū eſt *muſterion* vel potiùs ſic ſcribendum, ut errori occaſio tollatur. Sed tu pace Cortez communem opinionem ſequere.

Φ correſpondet noſtræ F. & meliùs apud juniores explicatur per F, quàm per Ph. unde Græcè *φιλόσοφος* *Filoſofos* vel *Philoſophos*. Sed ita obtinuit in ſcholis littera *Ph*, ut *Filoſophos* malè ſcribi credatur. Sed cur? Tu tamen non obſtante ratione, vulgo te accommoda, & non utaris F, ſed *Ph.* cum Græcorum Φ vis exprimere charactere Latino.

CLV.

Characteres Arabico-Græci.

TRes, aut etiam plures enumerant Arabias Coſmographi: Fœlicem, Petræam, & Deſertā. PETRÆA (ut ab hac exordiū ſumamus) non à petris & ſaxis, quod vulgò creditur, ſed è Petra civitate ditiſſima & vetuſtiſſimâ nomē habet. Eſt Iudææ & Ægypto confinis Ptolomæo teſte: & ut ait Strabo Pliniuſque, etiam vocatur *Nabathea*. Poſt Petræam ſequitur illa, quā Ptolomæus & veteres appellarūt DESERTAM: quod à nullis populis habitetur. At hæc regio meliùs à Strabone dicitur *Scenitis*, *ἀπὸ τῶν σκηνῶν*, quod habeat numeroſas hominum myriadas, qui vagi ſunt, nec domos aut urbes ædificant, ſed rapto vivunt, & Tartaris ſimiles in terra dura & ſub jove cubant, aut aliquo tentorium pandunt. Hæc à meridie Arabiæ fœlices montes, à ſeptentrione Meſopotamiam, & ab occidente habet Arabiam Petræam. ARABIA tandem FŒLIX in meridiem excurrit, & eſt quædam peninſula inter Sinum Perſicum & Arabicum jacens. Eſt regio valdè fertilis; bis quotannis ſeritur, & ideò *Fœlix* vocata eſt. Vide Strabonem, & Plinium *libr.6.cap.*28.

Hi populi magna ex parte utuntur lingua & characteribus Arabicis, licèt illam ob Græcorum commercium ad varios dialectos contorqueant, & hos vario ductu conforment. At manet in libris, ſicut Latina & Græca, etiā lingua Arabica, quam Theologi & Iuriſperiti per totam Aſiam ſciunt, quæ à Perſicâ, Saracenâ, Turcicâ, Mauricâ, &c. differt, ut ab Italicâ, Gallicâ, & Hiſpanâ Latina.

CLVI.

De Linguâ Hiſpano-Arabico-Græca.

ROderici ultimi Gottorum Regis inſolentia & audacia: Eva Iuliana Comitis filia (Chavam Hiſpani nominant) per vim oppreſſa à Rege: & Iuliani impotentia & furor Mauris olim aperuerunt Hiſpaniam. Illam illam quaſi unâ die perditam, digitatim, & multis ſæculis recuperavimus. Mauris igitur à milite Chriſtiano ſubjugatis, vivendum fuit nobiſcum, & ſe victoribus attemperare. Cœperunt noſtram linguam addiſcere, & quàm contempſerant, diligenter doceri & imitari. At quia barbaræ linguæ non poterant noſtri idiomatis adſequi ſuavitatem propriam & noſtram confuderunt, & ſicut olim Hebræi apud Chaldæos tertiam linguam (nempe Syram) ſic Arabes apud Hiſpanos tertiam linguam (nimirùm, Mauriſcam) conformarunt. Hujus linguæ dedi inſtitutiones *num.*148.

CLVII.

CLVII.

Characteres Græci, quos inveniſſe dicitur S. Cyrillus.

MVlti fuerunt Cyrilli, at inter multos tres ſunt celebres, & omnes docti, & qui potuerint characteres illos inveniſſe, qui in Tabula III. ponuntur. Primus fuit Heliopolitanus Diaconus, qui ſub Conſtantino Imperatore claruit, & ejus permiſſu plurima Gentilium Ethnicorum idola devaſtavit. Cujus rei memores Regnante Iuliano illi ipſius adhuc vivi ventrem exſecuerunt; jecurque exemptum deguſtaverunt, ut ſcribit Suidas.

Secundus ille eſt, qui dicitur Alexandrinus Epiſcopus, tractatuum variarum Hypotheſium author. Scripſit Homilias plurimas; quibus non ſolùm utuntur Græci, ſed etiam nos. Pugnavit calamo & voce contra Neſtorium: ejuſque venenum latens in herbâ detexit, ſub Iuliano.

Tertius dictus fuit Cyrillus Hieroſolymitanus: ſæpè ab Eccleſia pulſus, reductus ſæpè: tandem ſub Theodoro Principe octo annis ad extremum vitæ perſeveravit, ut refert Hieronymus. Scripſit inter alia Catecheſes, quæ etiam nunc extant.

Cæterùm licèt non improbabiliter poſſit cuilibet ex his tribus Cyrillis hujus Alphabeti inventio attribui: certius tamen videtur hos characteres à Cyrillo Alexandrino Epiſcopo adinventos, quibus uſus Græcis præclara ſua ſcripta communicavit, ne ſi communi charactere ſcriberet, ab Hæreticis, & præcipuè à Neſtorianis commacularentur. Illa enim ætas inter alias miſerias habuit hanc, quòd Patrum illuſtrium libros interdum ederent Hæretici, multis periodis interpoſitis, multis ablatis aut mutatis.

CLVIII.

Characteres Æolici.

DVas Æolias noſcunt & deſcribunt Coſmographi: nobiles provincias & celebres. Altera inter Italiam & Siciliam ſeptem inſulas continet, quæ nominantur, Lipara, Herta, Strongile, Didyme, Ericuſa vel potiùs Eriphuſa, Ericodos, Phœnicuſa & Phœnicodes, Evonymos vel Prochyta: aſſerente Plinio *libr.3.cap.9.* Strabone *libr.6.* Solino, Melâ, & aliis. Hæ inſulæ, dicuntur etiam Hephæſtiades, Habent montes flammivomos, qui Poëtis occaſionem præbuerunt, ut fingerent Vulcanum ibi & Cyclopes habere ſubterraneas fornaces, & conformare Iovi fulmina, quæ iratus in terras explodat. Etiam nominantur Æolicæ, ab Æolo Iovis filio, qui in una ex ipſis arcem habuit, & cæteras imperio tenuit. Plinius 2.109.4.

Altera Æolia jacet in Aſia; inter Ioniam, Troadem & Myſiam, quæ & olim Myſia dicebatur. Adhæret helleſponto, & ad eam pertinet illa dialectus, quæ appellatur Æolica.

Apparatus Philoſoph.

Plinius *libr.5.cap.30.* & ſæpè alibi. Hęc regio aut nomen dedit aut recepit ab Æolo Vlyſſis ſavo, filio Siſiphi. Virgilius *Æneid.6.*

——— Comes additur unà
Hortator ſcelerum Æolides.

Cui addi poteſt aut debet Miſenus etiam ille

——— quo non præſtantior alter
Ære ciere viros, Martemque accendere
cantu.

Sed tirra ex his provinciis illa, ad quam illi characteres ſpectant, qui vocantur Æolici, & Tabulâ III. ponuntur. Excludunt nonnulli inſulas, quòd ſint latinæ: at immeritò; nam olim non ipſæ ſolùm; ſed etiam tota Sicilia; & magna Italiæ pars erant Græcæ. Dicendum ergo eſt Æoles, ſicut lingua, ſic etiam calamo à cæteris Græcis deviaſſe, & utrobique (tam in inſulis, quàm in continente) uſos fuiſſe ſpeciali charactere & dialecto.

CLIX.

Characteres Illyrici.

REgio illa, quæ ab occaſu adjacet mari Adriatico Italiæ; quæ ab ortu Illyris, Illyrium, Illyricum. Nomen accepit ab Illyrio, qui apud Euſtathium Cadmi, & Appianum Polyphemi fuit filius: & hodie dicitur Sclavonia: unde & characteres Sclavonici.

Illyricus fuit S. Hieronymus, & quia ſummo pollebat ingenio, literas patriæ dedit, & novis vernaculam linguam characteribus nobilitavit. Invenit etiam ſpeciales ductus literarum Cyrillus, aliique: eſt enim Illyris regio magna, & ſicut varias gentes dialectoſque, ſic etiam diverſos characteres habet.

CLX.

Characteres Coptici.

LInguaantiqua Ægyptiorum periit ex magna parte, & tantummodò conſervantur apud Coptas nonnullæ veteris apparatûs parietinæ, quas ſummo ingenio & labore R. P. Athanaſius Kircherus inſtauravit; & variis voluminibus dilucidavit. In aureo illo, quod inſcribitur, C Y N Θ T *Lingua Ægyptiaca reſtituta*; ſtatim ſub ipſum principium his verbis æquum & candidum Lectorem alloquitur.

S*I unquam illud Hebræorum,* מרבה טרח מרבה מרע *id eſt,* Augens ſcientiam, auget laborem, *certè in hujus, Europæ hucuſque ignoti idiomatis inſtauratione, id vel maximè verum cognovi, in quo quot literæ tot gryphi, quot voces tot ænigmata, tot labyrinthi denique quot apices ſuperandi fuerunt, ut vel hinc appareret, quàm difficile ſit, ardua & ignota aggredi, quàm ſine duce difficile intritas aperire vias: quàm denique periculoſum aleæ opus ſit obſcuris,*

H 2 inexi-

inexpertiſque in nomine hucuſque e ſacris rationatis adytis ſe committere. Vicit tamen abditi ſtudii tricas aſſidua comes mei tis conſtantia, instigavit labores inexhauſtos incogniti ſtudii deſiderium [illegible], difficultates ſubegit omnes inſitus mihi a natura, ardentiſſimuſque erga derelictorum difficultate ſtudiorum promotionem, reſtitutionemque affectus, quibus factum eſt, ut mox labor in quietem, in delicias tædium in gaudium denique omnis verteretur de penetrandis, exhauriendiſque difficultatibus præconcepta formido. Etſi porrò tui judicii conſcius, neque aliorum reprehenſiones reformidare debui, neque patrocinium ullum operi meo quærere, quia tamen in ea me tempora incidiſſe memini, ut nihil magis hodie reprehenſioni obnoxium ſit, quam quod rectiſſimum; nihil magis ridiculum, quam quod maximè ſerium, nil denique magis falſum, quàm quod ſinceriſſimum: cumque ita multis a natura comparatum ſit: ut rebus novis, raris, & ipſis inviſis ægrè admodum fidem, niſi auctoritate congrua & hominum fide dignorum teſtimonio, unà cum utilitatis ejuſdem demonſtratione comprobentur, adhibeant. Ideò opera pretium me facturum exiſtimavi, ſi ad majorem fidem, authoritatemque huic libro conciliandam ſuſcepti operis occaſionem, quave ratione αὐτόγραφον ejus in manus primum meas pervenerit, breviter & ſincerè explicarem ſimulque in fine adnexo ſpecimine quantum utilitatis opus futurum ſit oſtenderem: ac ſic dicam illam, quam malevolorum quorumdam ingenia, quaſi de ſuppoſititio partu, vel fœtu proprio ingenio adornato mihi impingere poſſet, propudioſumque illud (cui bono) facilius eluderem. Ita autem ſe ſeres habet. Illuſtriſſ. D. Petrus à Valle Eques & Patricius Romanus, cum Philoſophia, ac venerandæ antiquitatis amore impulſus, Græcia, Palæſtina, Perſide, India, Arabia, ac toto penè Oriente, non ſecus ac alter Apollonius emenſo, Ægyptum denique, ceu primam, omniumque artium ac diſciplinarum fœcundam Matrem, ut quæ de ea miranda narrarent Scriptores ipſemet αὐτοπτὴς exploraret, adiiſſet, contigit, ut inter ea, quæ ſtudioſè perquirebat, memoratu digna, in Onomaſticum, ſeu Nomenclatorem hunc Copto-Arabicum inter rudium ingeniorum tenebras latitantem incideret, quo diligenter conſiderato, tum cum aptiſſimum inſtrumentum ad reſuſcitandam Ægyptiorum longè antiquiſſimam linguam, vetuſtate penè collapſam, reperiſſet, eum non exiguo pretio coemptum, ingenti ſanè cura poſt diutina peregrinationis ſuæ peracta itinera, eo animo ſecum Romam pertulit, ut ibidem publici juris factus, in plurium mox cederet utilitatem, & emolumentum. Verum ut hæc omnia convenienti teſtimonio comprobentur, hic operis quod in fronte Authographi continetur, autenticum teſtimonium ſubjungere viſum eſt.

Anno ſalutis 1615. exeunte, Cayro in urbe, totius Ægypti hac tempeſtate celeberrima, dum antiquitatis monumenta barbarie atque ignorantiâ planè obſita, ſtudioſè perquirerem, librum hunc inter tenebras rudium ingeniorum latitantem inveni: quem longinquâ demum, ac diuturnâ peregrinatione exactâ Romam advexi, ut ejus ſingulari ad hoc adjumento, vetuſtiſſima Ægyptia lingua apud Ægyptios ipſos pene demortua, ſacris ac prophanis, literis illuſtrandis, jam tandem reviviſcat; meumque ea in re juvanda laborem, ac ſtudium Æternæ Urbi, Patriæ ſanctiſſimæ addictum, eidem, bonarum artium Parenti, grata poſteritas perpetuò acceptum ferat. Vale, & fruere.

Petrus à Valle Peregrinus Patricius Romanus.

Interea de hoc theſauro recens ex Ægypto aſportato certior factus ampliſſimus D. Nicolaus Fabricius de Peireſc Regius in Curia Aquiſextina Senator, eximium literatorum decus, nullum non lapidem movit, quo is per tranſlationem in Latinam linguam factam, mox publici juris fieret: dum igitur alibi, tum potiſſimum in Gallia, ubi cæterarum linguarum, uti & omnia alia literarum ſtudia hac tempeſtate oppidò florent, huic negotio aptus inquireretur. Ego tandem qui eo ipſo tempore exorti ob tumultum Suecicum, Germania, in Gallia patriam meam inveneram, inſtanti undequaque amicorum ſollicitatione, potiſſimum familiariſſimi Peireſcii inductus precibus, oneri etſi viribus propè imparibus humeros ſubdere ſum coactus. Quæ moliminâ cùm ad aures Eminentiſſimi Cardin. Barbarini perveniſſent, & ipſe non minori zelo operi promovendo incubuit. Nam Romam me propediem cùm ad dictum opus, tum ad Hieroglyphicæ diſciplinæ reſtitutionem perficiendam venire voluit. Quo cùm non ſine periculis appuliſſem, illicò commiſſum mihi opus aggreſſus, intra biennium ad optatum tandem exitum Deo dante perduxi. Cùmque jam nihil, niſi ut prælo ſubderetur, deeſſet operi, ecce id denuò, cùm ob ſuſceptam in Siciliam, & Melitam profectionem, tum ob characterum ad id imprimendum neceſſariorum defectum, ſuſpenſum, novas identidem Remoras invenit. Hiſce impedimentis opus pluribus ſuſpenſum annis, omnem ferè de eodem edendo animum Authori ademerat; & certè parùm abfuiſſet, quin Theſaurus tanto labore conquiſitus tineis, & blattis commiſſus, in chaos ſuum reverteretur. Dum igitur alia omnia cogito, ecce Sacra Cæſarea Majeſtas dictæ moræ cauſam intelligens, pro ſua ingenti, & innata magnificentia mox tantum expenſarum, quantum abundè ad omnium Orientalium linguarum Typos conficiendos; & reliqua incepta opera finienda ſufficeret, largiter, & munificè ſubminiſtravit. Quæ hic adjungo, ut Lector intelligat incomparabiles

biles hujus Cæſares, & verè invicti animi virtutes, qui immenſa bellorum, hoſtiumque undique irruentium ſævitiâ non tantùm obrutus, ita tamen Marti ſtudent, ut à limine ſuo Palladem nequaquam excludat. Plura hic de maxima hujus invictiſſimi Cæſaris ſapientia, & in omnes artes pronitate, affectuque prorſus incredibili dicenda forent, ſed quia illa alio loco reſervavi, hic iis recitandis cum pari brevitate dici nequeunt, data opera, me contineo. Typis igitur Cæſareæ magnificentiæ comparatis, opus tandem deſideratiſſimum prælo ſubjectum lucem videre geſtiit. Conſtat autem tribus potiſſimum partibus. Sectio prima Grammaticalia; Secunda rerum nomenclaturas; Tertia dictiones juxta Alphabeticum ordinem diſpoſitas continet. Quantum autem in Nomenclaturis rerum riitè transferendis laboris exhauſerimus vix credi poteſt, & ſuccubuiſſemus ſane, niſi duorum Coptitarum, aliorumque, cum primis verò Abrahami Ecchellenſis, viri cum multarum rerum, tum Orientalium Linguarum notitia clariſſimi, in multis nos ſuffulſiſſet induſtria, & diligens rerum omnium cum Authographo collatio.

Cæterùm in interpretatione id obſervavimus, ut verbotenus ſingula Latinè redderemus; & ut majori cum ingenuitate, ac candore procederemus, loca ambigua, in quibus obſoletis Autographi literis a quâ heſit, omni conjecturâ proſcripta, aſteriſco notavimus. Ne in ambiguis quoque, & æquivocis, notabilis error contingeret, ipſa loca in Sacrorum Librorum authographis Vaticanis incredibili ſanè labore prius examinavimus; Quo quidem continuo exercitio eam utriuſque linguæ perfectionem, Deo dante, acquiſivimus, quam opus adeò inſolens hieroglyphica, inquam, diſciplinæ reſtitutio, ſuo veluti jure poſtulare videbatur.

Porrò ad eos, qui laborem hunc noſtrum livido dente rodere poſſent, retundendos, hoc unicum ſufficiat: Opus hoc præſens cùm in hoc mundi Theatro, tum à primis mundi hominibus ſollicitatum, promotum, deſideratum, imò à præcipuis hujus temporis in Republica Literariâ viris non Europæis dumtaxat, sed & Aſiaticis, & Aphricanis partim approbatum partim exoptatum eſſe, ut fusè hoc loco ex literis Hebræis, Græcis, Arabicis, Armenicis, Syris, Æthiopicis, Perſicis, Conſtantino-poli, Alepo, Damaſco, Alexandria, Cayro, Eſpahane, Tuneto, aliiſque locis ad nos datis, demonſtrare poſſemus, niſi eas ad rerum proferendarum autenticationem Oedipo reſervaſſemus. Quid porrò in hujus reſtitutione Linguæ præſtiterimus, Oedipus ſuo tempore ſi Divina bonitas vitam largita fuerit, declarabit. Fatebunturque, ni fallor, abditarum diſciplinarum ſectatores, tam immenſum Oedipi molem, ſine hujus Linguæ ope, ad coronidem perduci nequaquam potuiſſe: apud gratam poſteritatem aliquam quoque gratiam nos inituros confidimus, ubi illa ſucceſſu temporum, uberrimos hujus Linguæ fructus deprehenderit. Silentio modo propo-

nimus rudem, primo aſpectu, informemque, at quem ſuo tempore, abſcondita tenebrarum illuminaturum nihil dubitamus. Atque hæc ſunt, de quibus te primo, Lector, monendum duximus. Vale igitur, meaque ſtudia tuo favore proſequi ne deſinas, quod fiet, ſi quæ Oedipo ſervire poterunt nobiſcum liberaliter communicaveris.

Hucuſque P. Athanaſius Kircherus: quem conſulere poterit, qui notitiam uberiorem idiomatis Coptici exoptet.

CLXI.

Characteres Iberici.

DVplex hodie Regio nominatur Iberia: ALTERA eſt pars Hiſpaniæ, quæ à fluvio Ibero (Hiſp. *Ebro*) nomen habet. Hanc Celtæ (Gallorum populi) propiis relictis ſedibus occuparunt & habitarunt; unde *Celtiberia* vocata eſt. ALTERA jacet juxta Pontum inter Colchidas & Armeniam, venenorum ferax, & Caucaſeis montibus circumdatur; cujus etiam populi *Iberi*, aut ſi mavis, *Iberes* dicti ſunt.

Aſiaticos & Europæos Iberes eſſe agnatos fatentur Authores communiter: at neſciunt, utri ab aliis proveniant: nam Varro Hiſpanos ab Aſiaticis educit, aſſerens Iberes ab Aſia profectos poſtquam totam Europam penetrarunt, ad Hiſpaniam veniſſe, & eam ejus partem occupaſſe & tenuiſſe; quam hodie *Iberiam* nominamus. Alii contra irrequietos Hiſpanorum animos terminis ſui capi etiam olim non potuiſſe exiſtimant, & ſicut hodie ad Indias, ſic etiam olim ad Aſiam armorum potentiâ perveniſſe, & quia hanc regionem ſubjugaverant, *Iberiam* etiam nominaſſe.

Hanc D. Franciſcus Maria Maggius, Panormitanus, Clericus Regularis, perluſtravit, & Romam redux, hujus Regionis linguam reduxit ad Regulas & leges Grammaticas: illam *Georgianam* aut *Ibericam* nominat; & quia in Epiſtola dedicatoria, quæ ad Vrbanum VIII. Pontificem Maximum eſt, multa de hac regione recenſet, ut mei Hiſpani agnatorum ſuorum aliquam notitiam adquirant, ex Maggio has periodos tranſcribo.

CLXII.

E*T tandem* octo omninò annos vagatus, Romam redeo: BEATISSIME PATER: atque iterùm ad Tuos pedes provolvor; quum jam jam in Iberiam, & Colchidem allegatus, ærumnas & labores plurimos exantlatim, in tam ancipiti itinere; per medias Arabum, Turcarum, & Perſarum Regiones ſuſcepto, ingentibus periculis obnoxio, hoſtium incurſionibus infeſto, viarum anfractibus aſpero, montibus horrido, fluminibus obruto, nivibus oblito perpetuis, fabuloſis etiam terroribus obſeſſo; ad Phaſidis oſtia, verrucas, & juga Caucaſi prætergreſſus: Quò Noſtrates, non auri cupido, quæ priſcis temporibus, è Græciæ litore, de-

duxit Argivos: ſed unus advocat zelus ani-
marum, deliciarum oblitos, contemptores
periculorum, ſcientiam ſalutis edoctos; ut
tuis nutibus obſequantur.

Enimverò quum nemo illò terrarum
commigraſſet unquam, à nobis, qui Iberi-
cæ linguæ notitiam vel à limine ſalutaſ-
ſet; nemo qui inde Sanctitati Tuæ, ab
eis Gentibus delatas literis lacrymas, & vota
poſſet interpretari; ſanctiſſimæ ſedis hujus
oracula, diſſitis adeò regionibus, ac rationi-
bus aperire; factum eſt, Sanctiſſime Pater, ut è
Clericorum Regularium Congregatione,
beatiſſimis tuis nutibus obſequentiſſimâ
me unum deligeres, eo conſilio, ut illuc con-
tenderē, & linguæ illius ambages ſyrteſque,
primus omnium, aliqua docendi methodo
ſuperarem. Quapropter vix vigeſimum ſe-
cundum annum attigeram: quum ad Sacer-
dotium, quo nec per ætatem liceret, tuo juſſu
provehor: magniſque auctis gratus, ampliſſi-
miſq; privilegiis dives, immenſum iter ingre-
dior.

Syriam, Arabiam, Perſidem, atque Arme-
niam peragravi: eas linguas, latinis auribus
prorſus barbaras, addiſcendi cupidus, etiam
tenui: docuitq; ea verba conari, haud equidē.

Magiſter artis, ingeniique largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces:

Sed tuæ Sanctitatis, & ſanctiſſimæ Sedis hu-
jus Imperium, Gentium illarum ſalus: noſtro-
rum Patrum, qui eò deinceps mitterentur, fa-
ciliùs edocēdorū ſpes: ut in ſingulis laborarē.
Mores etiam, ritus, erroreſque omnium dili-
gētiſſimè diſquiſitos, digeſſi & literis cōſigna-
vi: ut Typographiæ, & Gentiū illarū hiſtorias,
à noſtris Auctoribus concinnatas, à penè in-
numeris mendaciis vindicarem.

Demùm ubi in Iberiam penetravi, totā eam
Regionem luſtrare conatus ſum: omnemque
dedi operam, quâ & mihi fandi copiā compa-
rarē, & ejus gentis codices, ac monimēta per-
volverē. Illic verò, Beatiſſime Pater, nō ſine in-
genti animi gaudio, plures reperi Noſtrates,
literarū eruditione, & vitæ probitate chariſſi-
mos, qui eandē Spartam alacrioribus animis
agitantes ut in viā ſalutis eis gentibus prælu-
cerent, dies noctéſque in deſertæ illius vineæ
cultura, impigrè laborabant. Nempe Chriſti
Athletas vidiſſes, generis nobilitate, atque a-
nimi indole inclytos, ea rerum incommoda,
vitæq; diſcrimina quotidiè in barbara & in-
feſta regione mira æquitate animi perferen-
tes, ut in diem mori citiùs, quàm eos vivere
credidiſſes. Dum interea nō deſinunt regionū
illarū incolas, planè rudes, & ſæpè nullius Re-
ligionis, ac Fidei, quà verbis, quà eximiæ vir-
tus exemplis, ad ſtudiū Pietatis, & Chriſtianæ
veritatis lucē excitare, vel nutātes firmare, vel
devios adducere, vel averſos conciliare.

Cæterùm D. Antonii Iardinæ, uni⁹ è noſtris,
viri planè admirabilis ex humanis ſublati, juſ-
ſus ſupplere vices, ad Gurios penetravi: ubi &
alios è fratribus vidi, per ſummā pauperiē re-
rumq; inopiam, Chriſti fidē diſſeminantes:
quorū egregios conatus, & præclara facinora
non ſemel Deus prodigiis illuſtravit. Hic ita-
que meo functus munere, baptiſmo luſtratos,
inſtruere jam conabar, dum ad Colchidem
vocor, ut nonnullos è noſtris, linguas, quas i-
pſe didiceram, edocerem.

Eò pergere coactus ſum; nec ſine mœrore
animos præclaros ſocios, & lōgè chariſſimos
liqui, cum magno Catholicorum hominum
cætu: quibuſcum miſerandū in modū, ſcrutis
amicti, panico, ſoliſque oleribus vitā adinſtar
pecudū, ceu in montiū latebris traducebant.

Pedes, aut equo vectus clitellario, ſolus ſine
comite, tutante Deo per horridas nemorū ſyl-
vas, ubi paſſim cū ſaxis, nive, glacie, torrenti-
bus erat luctandū: ad Caucaſi inhoſpitalis mi-
nas pervenio. Hic enim à quodam Regulo hu-
maniſſimè exceptus eſſem, unà in Colchidem
venimus, de Sanctitatis veſtræ Pontificiæ, di-
gnitatis primatu in itinere diſceptātes. Atquī
fieret, ut lacrymas cohiberem, quum in ea re-
gione fratres agnoverim, macie & ſqualore
vultus confectos, cilicina indutos veſte, cum
baxeis, aut crepidis, vel etiā nudis pedibus fre-
quenter incedere, paupere amictos centiculo;
nudâ humo cubare: ſæpè abſtemios ſemel in
die cibum capere, à carne, piſce, pane, nec rarò
à leguminibus abſtinentes.

Hic dùm indefeſsè omnes in Colchos, quo-
tiquanti ſumus incumbimus, ipſe allegatus
ad Archamenſes, longè abii, Beatiſſime Pater:
quumq; Dei Templum inibi aperuiſſem, ubi
de fide orthodoxa erudiēdi incolæ exciperē-
tur: lictores quidā, Romanæ Eccleſiæ iniquiſ-
ſimi perduelles acti cupidine ultionis, cater-
vatim ad noſtrā ędiculā convolarunt. Nō fuit
opus perfringere valvas, aut caſā diruere, nos
indeq; protrahere abditos: læti proceſſimus:
clamoreſque inter, qui undique perſonabant,
impavido animo omnes ſicarios amplexa-
mur. Machæras quidem illi exeruerant, nos
omninò concidere cogitantes: Deum immor-
talem, vitam quam lubentiſſimè voveramus!
at demùm dimittimur, & ablegamur.

Indè ad Ponti Regiones devenim⁹: pleraſq;
luſtravi: incolarū ritus agnovi, varios loquēdi
modos audivi: plures etiā didici, Beatiſſime
Pater. Etenim Sebaſtopoli morabamur, quam
Caſtoris, & Pollucis aurigis Poëtę conſtructā
putant: quondam adeò clarā, ut in eā referat
Plinius, CCC. Nationes deſcēdiſſe olim, quæ
linguis diſſimilibus uterentur: ac propterea
CXXX interpretibus Romanos ibi negotia
peregiſſe. Hinc ut Moderatorū juſſui obtem-
perarem, apud Tartaros domicilium fixi: ubi
expiato phano, plures à Chriſtiana fide Apo-
ſtatas offendentes, eorum dicta refellere ni-
tebamur. At demū ſumma pauperie exagitati
dùm hùc illùc acti, vitā durē equidē traheba-
mus, Turcæ cujuſdam beneficio, olim Florē-
tinorū mancipii, alterius fraude, & ſupplicio
liberati, ſedē & locū cōmutare coacti ſumus.

Navim conſcendimus, puellis, pueriſq; in-
veſtibus oneratā, quos mercati mãgones, cū-
ctos in pellices & catamitos adſciverant, im-
pii Mahometis criminib. nō patētes. Quū er-
gò Pontū, quem vocat *vaſtum* & *trucem* Ma-
ro: *immenſum* & *minacem* Ovidius: *voracem*
& *dubium* Lucanus; *rabidum* Silius: *vagum*
& *ven-*

& *ventoſum* Statius ; *horrendum* & *veſanum* Manilius; *inſanum* & *aſperum* Seneca; ac *rauciſonum* Feſtus, enavigarem; quamvis ingens validaque eſſet navis immenſis tamen fluctibus verberata; laxatis compagibus, fractis inſuper antennis, & gubernaculis, aliiſque armamentis abreptis; in ſummo omnes diſcrimine verſabamur. Interim alterum vidi è regione navigium, ità labefactari, ac diſſolui; ut nullis neque proræ, neque puppis munimentis tantum impetum ſuſtinentibus, hauſtum gurgitibus interierit.

Ità ad Thraces Byzantium appuli: ubi & Noſtrates inveni; quos illùc, Pater Sanctiſſime, deſtinaveras; vel ut Chriſtianos excolerent; vel lapſos, ut non ſemel contigit, revocarent.

Audivi hic D. Petrum Avitabilem miſſionis Præfectum; noſtrum omnium Anteſignanum ſolertia, dexteritate, morũ elegantiâ ſingularem; etiam tuo juſſu cum Sociis in Indiam perveniſſe: à quibus modò accepimus, plures baptiſmi lavacro Ethnicos in intimis regionibus expiatos. Equidẽ mirum eſt Pater Beatiſſime, quâ admiratione & lætitiâ noſtræ paupertatis inſtitutum. Iberi, Turcæ, & vel ipſi Indi probaverint; indignè ferentes Sanctæ Sedis hujus Apoſtolos divitiis inhiare.

Demùm Byzantio, ubi nunc quidam è noſtris, qui ſe totum Schiſmaticis erudiendis addixit, Philoſophiam armenicè interpretatur; noviſſimus Argonauta è Colchica, aureo vellere dives, propontide ægeoque mari remenſo, in Siciliam vectus, velim nolim Meſſanam teneo. Scilicet, oſſa mecum aſportaveram magni illius D. Iacobi Stephanij, quem primum olim ad Iberos legaſti, illius Regionis Apoſtolum, Virum linguarum peritiâ, virtutum exemplis, virginitate, atque integritate animi præſtantiſſimum, *Deum Terræ*, à rudioribus incolis appellatum. Et hic quum prorſùs neſcirem, repperi Meſſanenſes, ut abſ comet D. Iacobo diſcedente olim acceperant, ipſius corpus exanime opperientes. Læti igitur meo adventu pignus excipiunt; cui in noſtris ædibus, ſolenni ritu & funere tumulato SENATVS POPVLVSQVE MAMERTINVS præ animi lætitia geſtientes honorificentiſſimè parentarunt. Hanc illè urbem miro amore proſequebatur, pluresque annos incoluit, MARIÆ Virginis Reſcripti ad eandem, acerrimus propugnator: cujus quidem exemplaria typis excuſa, devotionis ergò, vel ad Iberiam deportavit.

Interim ego huc, undè olim diſceſſeram, Romam repetij; ut tuos Sanctos pedes deoſcularer; feci quod juſſiſti, Beatiſſime Pater: opuſcula quę optaveras etiam ſcripſi: forte me imbecillem ingenio ad hoc opus delegeras, ut tuo afflatus numine vim exprimerem Pontificiæ dignitatis. Itaque pro tua ſingulari erga nos humanitate, ac benevolentia æqui bonique conſule quod factum eſt; & eodem favore, quo hactenus, me tutelâ tuâ fove, ac patrocinio, & benedictione proſequere: dum aſſiduè precari non deſinam, ut fauſtè & feliciter vivas; gloriæ Dei, gregis tui incolumitati, Saluti omnium Gentium, ut facis, ſervias, ac tuis apud Deum jàm partis promeritis, maximum in dies benemerendo, cumulum adjicias. Vale.

HÆc omnia ille ad Vrbanum VIII. qui tamen ad Lectoré converſus progreditur, & de regione & ſuorum hominum peregrinatione diſſerit, & hæc ſubſcribit.

CLXIII.

FOrtè quis mirabitur, cur tam amplo titulo, præſens hocce opus libuerit inſigniri: quod *Syntagmata linguarum Orientalium* nũcupamus; *quæ in pleriſque Georgiæ, ſeu Iberiæ Regionibus audiuntur*. At neque Ibericæ vel ſolius linguæ Turcicæ rudimenta, à rudi calamo tradita pollicemur. Alii Noſtrates ſunt qui nõ modò Hebraicam & Syriacam linguam nova methodo enuclearunt: ſed qui Armeniacã & Colchiacam, utramque Iberis vernaculã, needùm in Regulas atque Annotationes digeſtã, politioribus, ac felicioribus calamis explanabunt. Quæ omnia primis hiſce Inſtitutionibus annectentur: ut planè Noſtratibus, qui in Iberiã impoſterũ allegantur congrediendi cum Barbaris, facilior via, abſoluto hoc opere, muniatur. Tradimus primo hoc loco Georgianæ linguæ Grãmaticen, in qua, ut fatear, plura deſiderantur: at id unum facillimè condonabunt, qui vel linguæ barbariem norunt; vel animo volvent ad hæc uſque tempora ólim neminem extitiſſe, qui, aut de ea facere verba cogitarit; aut tam arduæ provinciæ à ſe ſuſceptæ, non ſuccubuerit. Modò gemina illa Iberiæ ſidera excipiens PATREM D. IACOBVM STEPANIVM: quem jure illius Regionis APOSTOLVM appellarunt, plurium linguarũ genere exornatiſſimum; & PATREM D. ANTONIVM IARDINAN, egregium quidẽ, & ſolertiſſimum virum; primum, qui irritum fuiſſe Iberorum, & Colchorum Baptiſma cõpererit; ritèque Gurios aquis luſtralibus expiavit. Qui ambo, alienæ ſalutis ſitientiſſimi, martyriique flagrantes, quum huc illucque Iberiam peragrarent, feliciſſimè ſanctiſſimeque antè è vitâ migrarunt quam peritiſſimi omnium, ſcriptis ſuis, Dialectum Ibericam illuſtrarent. Neque inde aliorum illuſtrium virorum gloriæ, atque exiſtimationi detrahimus, quæ plurimum in excolenda Iberia deſudarunt: quos inter, iure optimo, receſemus PATREM D. VINCENTIVM CARAFAM, & PATREM D. IVSTVM PRATVM; quorum ipſe præclara facinora accuratis literis conſignavi: quippe utrique turcicum idioma ſat fuit; quò ſtrenuè operam ſuam navantes, Apoſtolico munere fungerentur. Sed vos alloquor ô Aſiæ lumina, Apoſtolici viri, qui fidei ardore ſuccenſi, verbi Dei prædicatione Iberiam & Colchidam illuſtratis: vobis ſcripſi, quæcumque in his paginis annotavi: utinam meo hoc qualicunque labore conatus veſtros, veſtram provinciam juvem! At optarim certè, ad idẽ opus, veſtrûm omnium ſtudia hiſce meis opuſculis excitari: ut ſolertiores ingenio, & uno omnes propagandæ fidei deſiderio conflagrantes, intima linguarum penetralia reſeretis. Ergò ut operi meo faveatis, mendis

pareite, ſi quæ vel meâ, vel typographorum incuriâ, ſubrepſere. ſin verò hic laude, & lectione veſtra digna reperiantur; ut ſuum fontem repetant, undè fluxerunt, IESV, MARIÆ, IOANNI, Amori meo, Matri meæ, Tutelari meo, accepta omnia referantur.

CLXIV.

Characteres Croatici.

INter Hungariam Adriamque multæ jacent provinciæ, inter quas præcipuæ ſunt Sclavonia, Croatia, Dalmatia, Boſſena, Servia, &c. Croatia infra Sclavoniam & Savum diſſiſſimum fluvium, qui apud Belgradum in Danubium exonerat, inter montes extenditur: & habet veſtes, linguam, & literas ab alus populis & provinciis diſtinctas.

CLXV.

Characteres Armenici.

ARmenia eſt Aſiæ regio inter Taurum & Caucaſum, à Capadociâ ad Caſpium uſque protenſa. Habere nomen dicitur ab Armeno Theſſalo Iaſonis comite. Vocatur Maior, & poſt Mediam ad occidentem currit: & ab Hebræis vocatur *Arab.* Vide Plinium *libr. 1. & 9.* Strabonem *libr. 1.* Carolum Stephanum *in ſuo Dictiõn.* Ptolomæum Aſiæ tabulâ IV. Abrahamum Ortelium, Mercatorem, Blavium, & alios.

Characteres Armenici exhibentur Tabulâ III. duobus Abecedariis, quorum prior eſt antiquus, & inventus à S. Ioanne Chryſoſtomo poſterior.

DE LATINIS LITERIS.

CLXVI.

A Græcis literas Latinas, tam quoad ſonum & numerum, quàm quoad figuram emanaſſe manifeſtum eſt; illis utuntur Itali, Hiſpani, Galli, Belgæ, Germani, Bohemi, Hungari, Poloni, & omnes aut ferè Europæi; illas ſequenti Tabula repræſentamus.

Figuræ			Nomina.
A.	*a.*	a.	A.
B.	*b.*	b.	Be.
C.	*c.*	c.	Ce.
D.	*d.*	d.	De.
E.	*e.*	e.	E.
F.	*f.*	f.	fi.
G.	*g.*	g.	Gi.
H.	*h.*	h.	aha
I.	*i.*	i.	I vocalis.
I.	*I.*	J.	I conſona.
K.	*k.*	k.	Ka.
L.	*l.*	l.	El.
M.	*m.*	m.	Em.
N.	*n.*	n.	En.
O.	*o.*	o.	O.
P.	*p.*	p.	Pe.
Q.	*q.*	q.	Qu.
R.	*r.*	r.	Er.
S.	*ſs.*	ſs.	Es.
T.	*t.*	t.	Te.
U.	*u.*	u.	U vocalis.
V.	*v.*	v.	V conſona.
W.	*vv.*	w.	W duplex.
X.	*x.*	x.	Ix.
Y.	*y.*	y.	Ypſilon.
Z.	*z.*	z.	Zeta.

CLXVII.

Harum literarum inventores.

NIcoſtrata (quaſi victrix, & exercitu potens nam Νικοςράτη græcè dicitur) vates fuit & fatidica; & carminis latini gloriâ celebris, unde, ut opinantur aliqui, Carmentis appellata eſt. Latinos illa, utentes adhuc græcis literis, alias retinendo, alias expungendo, alias transfigurando, illas literas docuit, quas nunc ſcribunt: non quidem omnes, ſed pleraſque. Ex literis, quas invenerat Cadmus, retinuit ΑΒΕΙΟΤΜΝ: mutavit in faciliores ductus ΔΛΣΠ ΤΖ, nempè in DLXPRS. ex Simonidis literis H Ω in E & O convertit: neglexitque Pythagoræ, Epicarmi, & Palamedis literas, ut minùs neceſſarias pronunciationi Latinorũ. Ob literarum inventionem tanti fuit à ſuis ſubditis & diſcipulis facta, ut Diis accenſeretur. Ovidius Faſt. 1. *Arcadiæ ſacrum pontificale Deæ.* & iterùm, *Fient Parraſiæ ſacra relata Deæ.* & iterùm, *Sive fugæ comites Menali Diva tuæ.* Et idem, *Butaque nunc pariter Tegeaa ſacra Parenti.* Dicta etiam Docta, Fatidica & Veridica. Ovidius ibidem. *Iamque ratem doctæ monitu Carmentis ad amnem Egerat.* Livius, *Venerabilior divinitate creata Carmentæ matris, quam fatiloquam ante Sybillæ in Italiam adventum gentes mirabantur.* Et idem, *Tenuibi mater veridica Interpres Deum, auctrix cœleſtium,* &c. Virgilius *Quam memorant Nymphæ priſcum Carmentis honorem Vatis fatidicæ.* [Et hic obiter notent Poëtæ, ſicut à parentibus & avis patronymica poſteris imponuntur, ſic interdum à poſteris deducuntur nonnulla, quæ imponuntur maioribus: nam & Carmentis a nomine filii *Evãdria* eſt dicta, ut conſtat ex Syllio libr. 13. *Aſpice Carmentis greſſus Evãdria mater.* & Strob. libr. 3. *Quæ prius invenit ſapiens Evandria mater Impoſuit ſciſſis lineis elementa Latina.*]

Evander Mercurii & Carmentis fuit filius:

cùm

cùm fratrem occidiſſet imprudens relictâ Arcadiâ profugit in Italiam, unde Virgilius libr. 8. *Iuppiter Arcadii quæſo miſereſcite Regis.* Pulſis Aborigenibus in Palatino monte conſedit, ibique civitatem Palantæam conſtruxit, & Proavi memoriæ conſecravit. Virgilius Æneid. 8.

Arcades his oris, genus a Pallante profectum,
Qui Regem Evandrum comites, qui ſigna ſequuti
Elegêre locum, & poſuêre in montibus urbem
Pallantis proavi de nomine Pallantæam.

A monte, in quo civitatem erexit, dictus eſt *Palatinus.* ex aliis cauſis *Arcas, Parrhaſius, Nonacrius,* &c. Virgilius Æneid. 9. *Sceptra Palatini, ſedemque petivit Evandri.* Ovidius Faſtorum quinto, *Exul ab Arcadià Latios Evander in agros Venerat,* Virgilius Æneid. 6. *Tum pater Evander dextram complexus euntis Hæret.* & iterum, *Thyrrenique duces, Evandrique Arcades ale* Ovidius Faſt. 5. *Et Matri & Vati paret Nonacrius heros* & iterum: *Excipit officio juvenem Palatius* (fortè *Pallantius*) *heros*

Evander igitur, Carmentis filius, literam X, quæ videbatur excidiſſe, reſtituit: addidit K. etiam Y. & Z. & quia Latini pronunciatione differebant à Græcis invenit V. & Q. quibus Græci omnes carent:

Iuniores propter voces Germanas, quæ ſcribi aliàs non poſſent literam W addiderunt, quâ utuntur, cum ſcribunt *Wandalos, Wallachos, Weſtphalos, Wiſmarios,* &c. propter voces Hiſpanas addiderunt etiam alias literas, videlicet ç. ñ. j. ch. Diſtinxerunt vocales I & U à conſonantibus J & V.

Hac omnia ad compendium & tabulam ſequentem reduco.

NICOSTRATA CARMENTA
Latinarum litterarum inventrix.

A. B. C. D. E. H. I. L. M. N.
O. P. R. S. T.

EVANDER CARMENTÆ F.
Aborigenes litteras docuit.

H. Q. X. Y. Z. V.

SPURIUS CARBILIUS
Romæ primus Grammaticam docuit, & addidit
G.

PRO VOCABULIS GRÆCIS
addi debuit
Z. Th. K. Ph. Y. Ch. Ps.

PRO GERMANICIS.
W.

PRO HISPANICIS,
ç. J. ñ. Ch.

SAnè CH. utimur, ut nomina Græca & Hiſpana proferamus, ſed pronuntiatio eſt omninò diverſa, quæ calamo explicari non poteſt.

X. Videtur eſſe *Ch.* ſed hæc ipſa littera variè proferri ſolet: nam Hiſpanorum *Ch.* hîc locum non habet, eſt enim ſpecialis illius nationis littera, quæ non reperitur apud alias.

Cùm græcè ſcribimus *Μοναρχία*, putamus ſic latinè trâſcribi *Monarchia*; ſed Hiſpanus profert *Monarquia*, Germanus *Monargia*, ſumo G. prout profertur Hiſpanicè.

Ψ videtur eſſe littera ſuperflua, eſt enim duplex, & correſpondet ΠΣ, ut *Ψαλμὸς Pſalmus*.

Ω eſt O longum. Sunt qui dicant eſſe O obſcurum; ſed ut video, ſinguli peregrinas linguas maternæ accommodant.

CLXVIII.

De Abbreviationibus.

LIterarum compendia magnâ artis induſtriâ tranſiverunt ad typos, qui ſummâ varietate inutilium characterum onerantur: Iam incipiunt diſſueſcere, nec video cur potius debeamus habere abbreviationes in typis græcis, quàm latinis. Omnes omitti ſuadeo, nam & veteres latini habuêre multas, quas hodie non legimus.

Sanè Hebræos priſcos uſos aut etiam eſſe abuſos abbreviationibus aut etiam veteres ciphris, quarum ſingulæ integræ dictioni reſponderent, certiſſimum eſt. Lego apud Prophetam Regem: *Eru ctavit cor meum verbum bonum; dico ego opera mea Regis. Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis* Mira exaggeratio, me judice. Loquebar, inquit, David velociſſimè: & vultis ſcire quantâ celeritate? dicam, quantâ ſcribæ calamus ſcribit, tantâ ego cũ feſtinatione loquebar. Quibus veteres fuerint uſi abbreviationum generibus, hodie neſcimus: nam ille ſcribendi modus qui dicitur *Raſche teboth,* & initiales ſolummodò notando integras dictiones ſubintelligi faciunt notiſſima ob oculos ponit, aut magno eſt obnoxius errori: nam & ſic Latini ſcribimus aliquando, quando cæteræ circumſtantiæ conſignificant. Exemplum pono. Hæ literæ D. O. M. ſeorſim poſitæ multa poterunt ſignificare; non enim argui poſſet, qui legeret:

Debentur omnia morti.
Delet omnia Mavors.
Dant omnia morbi.
Docet omnia Mundus. &c.

at ipſæ in marmoribus & epitaphiis ita à circumſtantiis adiacentibus temporis & loci contrahuntur, ut ſignificent

Deo Optimo Maximo.

Hiſpanus, aut etiam Latinus, ut æquivocationi obviam eat, præter primas etiã adſumit ultimas, cæteras ſubintelligens; ſcribit enim

Illmo & Exmo D. D. Fr^co. &c.

& legit

Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino Domino Franciſco. &c.

At iſte modus ſcribendi tametſi compendioſus ſit indiget tempore, nec poterit linguam æquare, at juvat nihilominùs, & ideò aliquid, ut Philoſophos juvem ſubſcribo: ſunt enim apud ipſos voces & ſyllabæ quæ ſæpè occurrunt, & poterunt compendioſè formari. His communiter utimur:

b.bus,

b. *bus.* ut reb. *rebus,*
ɔ *con.* ut ɔſcientia, *conſcientia.*
ɔ.º *concluſio.*
ɔtradᶜᵒ *contradictio.*
ɔtrac.ᵃ *contradictoria.*
ɔi.ᵃ. *contraria.*
fr. *formaliter.* ff. *digeſtis.*
g. *ergo.*
h. *hoc eſt.*
i. *ideſt.*
l. *vel.*
mlr. *materialiter.*
mai. *maior.*
min. *minor.*
ñ *non.*
.o. *enim.*
oſº *opinio.*
p̄. *præ.*
p *per.*
ꝓ *pro.*
ꝓpᵒ.*propoſitio.*
q *quæ.*
qq *quibus.*
rum.
ꝶ *reſpondetur.*
ss. *ſunt.*
t. *tomus.*
tt. *titulus.*
ttt. *tractatus.*
vº. *verò*
Xps. *Chriſtus.*
z a. *Zona.*
z s. *Zodiacus*
9 *us.*

Ecce pauculis literis dictionem integram repræſentamus, nec tamen ad ſummã artis perfectionem venimus, quæ in hoc conſiſtit, ut tota dictio citra omnẽ æquivocationem unicâ literâ ſignificetur; Ergo recurrendum ad analphabetas literas, hoc eſt, ad notas, quæ non ſunt in Abecedario. Tales fuerunt, quarũ meminit Marcus Manilius, qui floruit ante natum Chriſtum anno circiter quinquageſimo: ait enim lib. 4.

Hic & erit fœlix ſcriptor, cui litera verbũ eſt,
Quiq; notis linguam ſuperas, curſumque loquentis,
Excipiens longas nova per compendia voces.

Ejuſmodi nonnullas notas Polygraphiâ ſuâ Ioannes Trithemius evulgavit, & Ciceronianas dici voluit: ſed quæ tot habeant ductus, ut faciliùs totam dictionem ſcribam, quam tot lineas: quo etiam implicatiſſimo morbo laborant characteres Sinenſes, tot enim lineolis & apicibus gravari ſolent, ut citiùs decem à noſtris quam unum ex illis ſcribam. Iuniores nonnulli voluerunt ad majorem reducere facilitatem ſcientiam hanc: & ſi quæris, Quiſnã videatur excelluiſſe, & in hac arte cæteros ſuperaſſe: reſpondebit tibi S.P. hoc tetraſticho:

Quicũque arcana arcanè, vel plurima paucis,
Aut citò dicta cupis ſcribere poſſe citò.
Conſule VVilliſſum, qui tam locupletis opimas
Divitias vanâ pandit, habetque tibi.

Scripſit Iohn. VVilliſſus libellum ingenio plenum, quẽ *Steganographiam* dixit, & anno 1623 evulgavit: in quo dictiones omnes conatur ad ſingulas literas reducere: et communiores videtur reduxiſſe de facto. At exiſtimo immensâ hominem indigere memoriâ & exercitatione perpetuâ ut promptè & expeditè poſſit ſcribere prout VVilliſſus deſiderat.

ORATIO ACADEMICA,

De characterum Latini Idiomatis figurâ, ſignificatione, & uſu.

Quam ante multos annos de hoc argumẽto declamavi in Hiſpania ante Logicæ initium, paucis additis aut alteratis Scholaſticam Orationem repono, & in ea de literarum conformatione, numero, quantitate, accentu, & qualitate luculenter diſſero, & tandem eam Controverſiam expedio, quæ interrogat, quænam Gens in Europa meliùs proferat linguam Latinam?

[illegible]

PRima omnium [illegible] facultatum, quas Latini diſcimus, Abecedaria eſt. Illã ὀρθὴν γραφὴν, vel unâ voce ὀρθογραφίαν Græcus appellat, ut conſtat ex uſu communi, & libri primi ſeptimo aſſerit Quintilianus. Hanc docent Abecedarii Præceptores, tradendo diſcipulis ſuis regulas quas obſervent & teneant religiosè. At illi Regularum rationes non exponunt; nõ enim tenera Diſcipulorum ætas videtur his ſubtilitatibus apta. Ego autem, quia Diſcipulos maturiores & acutiores nactus, priùs quàm Logicam, quam nondum ſcitis, tradam, vos (Adoleſcentes Ingenioſi) ad Ortographiam & Grãmaticam philoſophicis oculis relegendas & recognoſcendas invito, ut quas ſciebatis practicè, ſciatis ſcientificè & ſpeculativè. Sunt multi in orbe Muſici, qui excellunt in cantandi praxi, qui rogati cur hanc potiùs quàm illã notam cantent, hærent, & aliam neſciunt cauſam aut rationem proponere, quam ſic fuiſſe à Magiſtris diſpoſitum. Sunt Amanuenſes plurimi, qui elegantes characteres efformant, ideòque tales, quæ exſcribere ſciunt, intelligere neſciũt. Sic etiã multi ſunt Orthographi, multi Grãmatici, qui de eloquẽtia & Styli puritate gloriantur, cùm tamen ubi maximè ſciunt, quid debeant dicere vel ſcribere, ibi maximè cur ſic debeant, nec aliter poſſint, ignorant. Vt huic occurreretur malo Orthographiam & Grammaticã ſpeculativas invenimus, quas *Rationales* ſeu *Logicas* voluimus dicere, quòd in ipſis à ratione procederemus, parumque aut nihil deferremus Veterũ authoritati. At ipſas *Speculativas* tandẽ diximus ob duas cauſas; nam & voluimus illas à Logicâ, Scientiâ Rationali etiam voce diſtingui, & maluimus loqui cũ Scoto, quàm has ſcientias, iã denominatas ab ipſo, novis vocabulis indigitare. Scripſit enim ſubtiliſſimus Vir *Grammaticam Speculativam*, quàm voluit Dialecticæ & Metaphyſicæ eſſe Baſin, fruſtrà enim ſe altiora ſcientificè intellecturum ſperat, qui ſcientias inferiores ignorat.

Scire

Scire eſt rem cognoſcere per cauſas, unde Ariſtoteles in Philoſophiæ primâ periodo, illos aſſerit omnes & ſolos habere ſcientificas rerum notitias, qui rerum partes uſque ad prima elementa penetrarunt. Sic nos facere optamus. Acturi ſumus de ſyllogiſmis in Dialecticâ, & quia videmus eos in Poſitiones, has in Dictiones, iſtas in Syllabas, & tandem Syllabas dividi in Litteras, quæ ulteriùs ſubdividi non poſſunt, concludemus Literas eſſe prima principia & elementa, in quæ ſcientificæ notitiæ reſolvantur. Igitur incipiemus à Litteris, & ab ipſis ad altiora progrediemur paulatim.

CLXX.

De literis.

NOn poteſt de Characterum formâ & numero præſcribi certa lex: nam apud diverſas nationes diverſus eſt literarum numerus, ordo, figura, ſonuſque. Alias non ſolùm calamo, ſed etiam linguâ profert Hebræus, alias Arabs, alias Græcus, alias Latinus, alias Hiſpanus, alias Luſitanus, alias Germanus, alias Bohemus: &c. alias Hungarus, &c. Nos omiſſis cæteris Latinas literas conſideremus. Sunt ipſæ.

A. B. C. D. E. F. G. H. I. J. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. U. W. X. Y. Z.

Non omnes natæ ſunt cum Idiomate, ſed paulatim creverunt. Caruerũt olim iſtis KYZ. item iſtâ W. uti enim literis peregrinis religio fuit. Cicero in Oratore. *Purrum ſemper Ennius, nunquam Pyrrhum. Vi patefecerunt Fruges, non Phyges, ipſius antiqui declarant libri: nec enim Græcam literam adhibebant: nunc autem etiam duas, & cùm Phrygum, & cùm Phrygibus dicendum eſſet. abſurdum erat aut tantùm barbaris caſibus Græcam literam adhibere, aut Græco caſu ſolùm Græcè loqui, & Phryges, & Pyrrhum aurium cauſa dicimus.*

Poſtquam admiſerant Y, audentiores alias literas Græcas Latinis inſeruerunt, nempè Κ. Φ Θ & Ψ Sed diverſimodè. nam primam etiam exprimunt calamo in aliquibus vocibus Græcis; ſcribimus enim *Kyrie eleiſon. Kalendas* &c. & aliquando *Karolum*. Secunda, ſi correſpondet noſtræ F. ſuperflua eſt, neſcio enim cur dicimus *Philoſophum* & non *Filoſofum*? nam jam Hiſpani *Ph.* à ſuo Abecedario rejecêre: & deberent Latini: nemo eſt qui aliter *Ph.* & aliter proferat F. Tertia eſt T, aſpirata, nempè *Th.* ſed nondum vidi ita illam pronunciari, ut diſtinguatur à T. ideò illam Hiſpanus ab albo ſuarum literarum expunxit. Vltima ſonat *Ps.* retineri à Latinis poteſt, ab Hiſpanis & aliis gentibus proſcripta eſt; nam illi *Salmos* dicunt, non *Pſalmos*.

W geminam Latini recepêre à Germanis, quam ipſam malè plurimi proferunt, cùm ſcribunt W*andalos*, & legunt *Vbandalos*. eſt enim una litera & V vocali ſimilis, ſed conſonans.

CLXXI.

HÆc de notabilioribus literis, de ſingulis aliqua *producamus.*

A.

Eſt litera princeps: pronuntiationis clariſſimæ, & reperitur apud omnes nationes.

B.

Macedones hac literâ utebantur pro Φ: eâque Æoles tam durè proferunt, ut in Π tranſeat: imò linguam etiam ſequutus calamus pro B: auſus fuit Π ſcribere. Hodie apud Germanos, B: & P. duo ſunt characteres in manu, unus in labio. Hiſpani B. confundunt cum V: quibus, tametſi, ſobriis, eodem profertur modo *vivere* & *bibere*.

C.

Ante A, O, & U ſonat ut K: ante E: & I. ſonat ut Z. ſed cur hæc differentia? melius eſſet ſi ſemper ſonaret eodem modo. Imò, ſi K. & Z. retinere velimus, ſuperflua eſt. Hiſpani & aliæ multæ gentes, ut illam dulcem reddant caudâ exornant, ſcribuntque *çapato*, & legũt *zapato*.

D.

Durisſimè profertur à Germanis, ita ut non ſono, ſed figurâ diſtinguatur à T.

E.

Eſt vocalis nota, ſed non ab omnibus eodem modo prolata. Eam obſcuriùs efferunt Itali & Luſitani, clariùs Caſtellani, & celeriùs. Sunt, qui putent *E*, Italicam, literæ H & C Caſtellanam literæ ι Græcæ correſpondere.

F.

Creditur eſſe nova litera, & priſcis hominibus ignota. Si reſpondet Græco Φ cur utimur *Ph*; Rationem neſcio; conſuetudinẽ præſcriptam video, & ne ſingularitatis notâ arguamur, loquamur & ſcribamus cum multis.

G.

Nova etiam eſt litera. Plutarchus in Romanis quæſtionibus. [Cur locus ubi carnes publicè venduntur, *Macellum* dicitur? An conſuetudo, ut multa alia, ita & hoc quoque vocabulum à Mageris (qui Græcâ linguâ ſunt coci) depravatum retinuit. Sunt enim C. & G. cognatæ literæ: & G. literâ ſerò uti cœperunt à Sp. Corbilio adjectâ reliquis.]

H.

Quæſtio, quæ rogat, An H. apud Latinos ſit litera, an aſpirationis nota? non eſt de re: nam eodem modo quærere poſſet aliquis, An R. eſſet litera, an potiùs ſtridoris nota? eodem, An S. eſſet litera, an verò ſybili nota?

Hujus literæ ſonus tam eſt hodie tenuis, ut non videatur percipi. Illa non utuntur Hiſpani, cùm loquuntur: illam etiam multi intermittunt, cùm ſcribunt. Aliquid concedendũ uſui & moribus præſcriptis eſt, etiam invitis auribus. Hanc obrem literam H. licèt ſuperfluam, in linguâ Latinâ retineas.

I.

Eſt naturæ Ancipitis: modò enim profertur ut vocalis, modò ut conſona: at jam Critici, duo hæc officia etiam diſtinguunt calamo, cùm *Divos adjutores* ſcribunt.

K.

Vix cognoſcitur apud Hiſpanos, & vix eſt apud Latinos in uſu. Plutarchus in quæſtionibus Romanis, putabat C. & K. eſſe unam literam: at ſuperiùs differentiam oſtendimus. Ante annos paucos Blaſius Lopez, Græcæ lin-

guæ Salmanticæ Profeſſor, hunc ipſum characterem voluit in linguam Latinam protrudere; voluit & in Hiſpanam: non obtinuit. Vulgus enim dediſcere ſuos errores non vult, & ut vellet, non poſſet: quis enim mutare poterit habitum annoſi ſenis?

L.

Apud omnes nationes Europæas eſt in uſu: & eodem modo ab omnibus ſolet proferri cùm ſimplex eſt. Hiſpani habent L. duplicem, quã putant eſſe unicam literam & pertinere ad ſequentem vocalem, & videtur eſſe ſimilis L, & J conſonantibus: ſive enim dicas *Llamallo*, ſive *L jamaljo*, non ſummam auris differentiam inveniet.

M.

Dura & obſcura litera. Si finalis ſit, dulciùs jubetur ab Hiſpanis proferri, ita ut ſcribi debeamus *Muſam, Dominum*, & legere *Muſan, Dominun*. Germana & aliæ gentes, etſi finalis illa ſit, durè proferunt.

In ſortibus aſſerente Plutarcho, & Monarcham & Morologum hæc littera ſignificabat. An purè æquivocè? An nihil eſt Principi & Morioni commune? Duas primas literas cõmunes video: & inferrent, qui tædio ſummo Monarchiæ nomen audiunt, ratione caruiſſe ſubditos, cùm voluerunt Monarchiam inſtituere: ſiquidem Democratiam aut Ariſtocratiam potuiſſent convenientiùs & aptiùs. Sed multa etiam ſunt rationum momenta pro Monarchiâ, & multorum opinione tanta, ut carere videantur ratione, qui illam reiiciunt. Ergo utrimque retorto argumento Monarcha et Morio connexione non caret: qui enim condemnat Monarchiam & adulatur Populo, morio eſt, & ut privatam rem promoveat, publicam exponit periculo. Sed hic ipſe conceptus eſt Politicus, & alibi utiliùs pertractabitur.

N.

Eſt litera nota. Apud Hiſpanos reperitur *ñ*. & ipſa aliter profertur, quam *nn*. videtur æquivalere Italorum *gn*, quando dicunt *Agnum*; fortè ſic proferre debebimus Latinè *Gnatum, Gnoxium*, &c.

O.

Eſt vocalis clara apud nos: quam tamen alij populi obſcuriùs proferunt. Habent Luſitani vocalem mediam inter A & O. quam ſcribunt per *am*, aut per *ão*. ut cum ſcribunt *Contemplaçam*, vel *Contemplaçāo*. quam vocalem multi exiſtimant eſſe ſimilem Hebræorum Qametz quam Itali Iudæi proferunt ut A, & Germani ut O.

P.

De hac literâ aliquid diximus, quando de B. & quia ejuſdem apud Latinos eſt pronunciatio certa, nil occurrit addendum.

Q.

Videtur eſſe litera omninò ſuperflua. vel dato vocem quam non poſſim efferre per C. Imò iam multas ſcribimus contemptâ Q. ubi enim alij ſolent ſcribere *Quum, Sequutus, Loquutus*, &c. alij audent vel invito etymo ſcribere, *Cum, Secutus, Locutus*. &c.

Si retineatur Q. cur V. poſt illam ſcribitur? Lego in Antonij Nebricenſis Grammaticâ. *V. ſequitur poſt Q. ſemper: ſemperque liqueſcit.* Ergo, ſi ſemper, ſubintelligi poteſt; ſcribi & reſcribi non debet. Scribimus (& benè) *Reip. Deab.* &c. & legimus *Reipublicæ, Deabus*, &c: quòd illæ literæ non poſſint aliter legi: ergo cur tam ſuperſtitioſè ſcribitur *Qui, quæ, quod*; *Quùm*, &c. cùm poſſimus breviùs, *Qi, qæ, qod*; *Qùm*. &c. dicendo hunc characterem Q. eſſe eidem quod Qu.

R.

Stridor aſper eſt; & vocatur canina litera; quòd videatur proferri à cane rabido & iracundo. Perſius Satyr. 1.

——Sonat hic de nare canina
Litera.

Eſt litera militaris Virgilio; illà enim utitur, quando debet horrorem armorum reprimere.

——At nunc horrentia Martis
Arma, Virumque cano. Æneid. 1.
——Tortoſque incidere funes, Æneid. 4.
——Strictoque ferit retinacula ferro. Ibid.
——Portas, & cardine verſo.
Belli ferratos rupit Saturnia poſtes. Æn. 7.

qui videtur imitari Ennium in Annalib.

——Poſtquam Diſcordia tetra
Belli ferratos poſtes, portaſque refregit.

S.

Eſt tenuis & dulcis ſybilus: & duplicata ſſ. videtur non multùm à Z. differre.

T.

Notæ pronuntiationis eſt. Si finalis ſit, profertur ab Hiſpanis ut D. ſcribimus enim *amat, audit*, & legimus dulciùs *amad, audid*. In vocibus *Prudentia, Dignatio*, & ſimilibus, T, profertur ut C. quod ipſum inter errores linguæ enumero.

U. W. V.

U. vocalis non ſemper æquè obſcurè profertur, quoniam à Luſitanis tam profundè ſonat, ut videatur non iam eſſe U. ſed I. Conſona V. notæ prolationis eſt apud pleroſque W. videtur eſſe litera

media:

Digitized by Google

media; fortior vocali, & debilior conſonante: quâ Germani utrique, & gentes Boreales utuntur.

Germani V. proferunt ut F. nam ſcribunt *Virtutem vivam*, & *Firtutem fifam* pronunciare videntur. Nec carent authoritate, ut hanc prolationem defendant. Nam hodie apud Latinos à Fato habemus *Vatem*, qui *vaticinatur*, hoc eſt fata canit.

X.

Eſt duplex litera: at à paucis cognita, nam in diverſis locis, ſi ety.mo ltemus, debet diverſis literis æquipollere. A *lugeo* habemus *luxi*, hoc eſt, *lugſi*: à *luceo* verò *luxi*, quaſi *lucſi*. Ergo aliquando ex C S. & etiam aliquando G S. A verbo *coquo* habemus *coxi*, quaſi *coqſi*. Et à *flecto, necto, pecto, plecto*. deducimus *flexi, nexi*, (alias *nexus*) *pexi* (vel *pexus*) *plexi*, quaſi *flecſi, necſi, pecſi, plecſi*, &c.

Y.

Solebat proferri ut *u*, at jam hodie ab omnibus profertur, ut *i*. Multi illam Hiſpani ut inutilem à ſuo Abecedario expunxerunt. Latini retinent, ſed tantummodò in vocibus Græcis.

Z.

Hebræus Zetas duas habet (meo jure & libertate utor, cùm nomina literarum inflecto) Zain, & Zade: prior videtur eſſe S D. & poſterior TS. At Latinus, cùm Z profert, videtur duplex SS. Spiritu denſo pronunciare.

Quintilianus lib. XII. jucundiſſimas eſſe teſtatur apud Græcos ζ & υ: quibus, inquit, nullæ apud eos dulcius ſpirant. & ſubdit, quas mutuari ſolemus quoties illorum nominibus utimur. Quod quum contingit, neſcio quo modo hilarior protinus renidet oratio, ut in zephyris zopyriſque: quæ ſi noſtris literis ſcribantur, ſurdum quiddam & barbarum efficient, & velut in locum earum ſuccedent triſtes & horridæ, quibus Græcia caret: Hæc Quintilianus. Contra Martianus Capella refert Appium Claudium idcircò hanc literam reformidaſſe, quod, dum exprimitur, morientis dentes imitetur: hinc factum ut quidam non omninò malè eam cum ſtridore quodam pronunciandam cenſeant.

CLXXII.

De Litterarum diviſione.

PRima diviſio eſt in Vocales & Conſonantes. Vocalis eſt quæ ſola ſonare poteſt; conſonans, quæ ſola ſonare non poteſt, ſed cum vocali poteſt. Vocales notæ ſunt A, E, I, O, U, Y. è quibus diphthongi componuntur. Eſt autem diphthongus duarum vocalium in unam ſyllabam coaleſcens ſonus. ut Æ, OE, in vocibus *Cæſar* & *Cælum*: Multas habet latina, multas Græca, multas aliæ nationes. An-ne & Hebrææ? Keckermannus in Grammatic. Hebr. cap. 6. ca. *Apparatus Philoſoph.*

45. *Nonnulli Grammatici negant Hebræ eſſe diphthongos. Ego conceſſerim ita dictas eſſe diphthongos Hebræas ut Latinas & Græcas.* Conſonantes dicuntur omnes, quæ Vocales non ſunt; & dividuntur in Semi-Vocales & Mutas; & Semi Vocales iterũ in Firmas & Liquidas ſubdividuntur.

De Syllabarum Quantitate.

SYllaba eſt vox indiviſa. Sine vocali nulla datur. Comitantur Vocalem Conſonæ; & vix plures, quàm tres poſſunt præcedere, totidem ſequi. Pono exemplum in vocibus latinis *At, Ars, Mars, Pons, Frons, Scrops.*

Tota quanta eſt illa Scientia quæ de quantitate Syllabarum diſputat, intellectualis eſt, non vocalis. Syllabæ enim omnes quæ acui dicuntur, longæ ſunt; & quæ has immediatè ſequuntur breves: cæteræ mediæ, & æquales ſunt, ſed placuit Antiquis alias vocare longas, alias breves, non quod tales eæ eſſent, ſed quòd eas ſic vellent denominare. Nec aures ſunt mutatæ nec oculi, & ſicut ſanguis, qui ante annos mille fuit purpureus, purpureus etiam eſt hodie & non cæruleus, ſic etiam iſtæ Syllabæ, ſi olim fuiſſent longæ breveſque, etiam hodie tales eſſent, aut poſſent, ſi hæ Syllabæ quantitatem haberent.

Dividuntur igitur Syllabæ in longas, breves, & indifferentes; brevis unico efficitur tempore, longa duobus. Sed quanto indifferens? ſeſqui altero ut voluerunt aliqui; at ut doctiores tenent, aut duplo aut ſimplo, pro loquentis arbitrio. Hæc eſt communis doctrina omnium; & reſpondeo, aut Entia rationis non dari, aut hîc dari. Ut enim philoſophicè loquar, hæc ipſa quantitatum varietas eſt ſecundum dici, & non ſecundum eſſe. Vel ſi me falli exiſtimas, emungo aurem, & has voces prolatione diſtingue; videlicet, Lĕgō, lēgō; Lĕgis, lēgis; Lĕgit, lēgit: quæ voces quia à Lēgo, is, Lego, as, vel Lex, gis, diduci poſſunt, primam habent vel brevem vel longam; cùm tamen hoc ipſum diſcrimen non percipiatur ullo ſenſu, ſed aſſeratur ſolâ linguâ & ſupponatur ſolâ mente. Nec faciliùs poteris diſtinguere quantitatem Syllabarum remotiorum à fine: vel attendam, audiam te has voces proferentem, Lĕgebam, lēgabam; Dĭcabam, dīcebam. & utrobique primam eodem modo proferri audio, & tamen doceor in aliis eſſe brevem & in aliis longam. Ergo tota hæc hypotheſis non pertinet ad vocem ſed ad mentem. Ergo carmina Græca & Latina, quà ſyllabarum quantitatem reſpiciunt, hypotheſi falsâ fundantur, videturque Ars metrica eſſe ſimillima Geomantiæ, Chiromantiæ, aut Aſtrologiæ judiciariæ; in quibus Principia ſupponuntur ad placitum, quæ ſemel admiſſa conſequentias neceſſarias imponunt. Sanè ſi *Adquiſitio*, quæ figura Geomantica quædam eſt, in primâ Stemmatis domo ſignificat, ut Robertus Fludius tractatu de Naturæ Simiâ part. XI. libr. II. cap. III. aſſerit, divitem, prudentem, proficuum, bonum finem, fortunatam receptionem rei deſideratæ; veracitatem, & malam venditionem; & conſulor, Primò, An ſponſa quam Petrus accipit ſit dives, pru-

dens & utilis rei familiari ? Secundò, An Joannes qui ſolvit portu naufragio periturus ſit ? Tertiò, An talis ſit hoſpes rejiciendus ? Quartò, An nunc expediat fundos vendere ? Et quintò, An Theodorus mecum agat ſincerè ? Erigam quinque ſtemmata juxta Artis regulas, & ſi in omnium primâ domo reperero *Adquiſitionem* reſpondebo ad primam & ultimam affirmativè, & negativè ad reliquas. Sed qualis erit veritas meæ reſponſionis ? hypothetica & ſecundum dici ; neceſſariò enim ſequitur è Principiis hypotheticis & ſecundum dici, quæ nullum fundamentum habent in rerum naturâ & ingenio, ſed ſolùm à labio Inventorum dependent. Nec Fludius capite 1. ubi ſupra, hujus Artis vanitatem ſufficienter abſtergit Apoſtolici Vicelegati authoritate ; quoniam dicere potero, vel omnia quæ Avenione acciſſe narrat, eſſe à Viro hæretico in odium Orthodoxæ Religionis ſcripta : & ſi hoc noluero (nimis enim ſincerus multis videtur iſte Author ; nec qui debeat credi ita fuiſſe mentitus) Vicelegatum fuiſſe hominem & errare potuiſſe. Eodem omninò modo philoſophor de Chiromantiâ, & affirmo, ſi ſit vera hæc maxima, *Linea cordis, quam vitam nominant, eſt valetudinis ſecurus index. Si ſit terſa, tenſa & interrupta, valetudinem, robuſtam & firmam denotabit ; ſi ſit ſinuoſa, variam ; ſi rupta & interſecta, morbos*, neceſſariò dicendum Joannem, qui ſinuoſam habet, valetudinarium eſſe ; Petrum, qui terſam, craſſam, fortem, eſſe ſanæ & robuſtæ complexionis ; & Franciſcum, qui interciſam, infirmæ. Sed quam erit ſecutum certumque hoc ipſum de ſalute judicium ? quantum Præmiſſa quâ ſubſtruitur. Cùmque illa nullo fundamento nitatur, nullo conſequentia nitetur. Et tandem ex eiſdem fundamentis, ſi vera ſit illa poſitio, [2. ♉.10.45' *Sicca*, *Fac iter per aquam.*] quam tract. 2. part. 10. libr. 10. ſub finem tradit Fludius, qui ſub tali cœli conſtitutione ſolverit, non patietur Naufragium ; & hoc erit tam certum, quàm fuit illa Fludii poſitio. Hinc ad Artem metricam venio, & affirmo ſtando communibus Regulis hoc diſtichum,

> *Quos tibi donamus fluviales accipe cancros ;*
> *Munera conveniunt moribus iſta tuis.*

eſſe legitimum. Sed quis illas leges indixit ? Qui voluit, & quas omninò voluit.

Nec permittam judicium ita deſumi ab aure, ut dicatur eidem placere carmen, & genera Metrorum diſtingui. Id enim negare non volumus, ſed accentum ab aure diſtingui & percipi dicimus, non quantitatem. Et ſicut in Hiſpanorum & Italorum Rhithmis, ſic etiam in Græcis & Latinis metris aurì accentuum artificioſam diſpoſitionem arridere

Sed dices aliter pronuntiari Lĕgĕrĕ, aliter Lĕgērĕ, & ibi evidenter penultimæ quantitatem audiri. Sed nihil aliud objicere potes, reſpondeo ſaltem hinc colligi omnes dictiones monoſyllabas æquales eſſe, omnes diſſyllabas : & tantùm de polyſyllabis diſceptationem inſtituendam ; videlicet diſceptationem, in quâ ſupponatur ejuſmodi dictionum, præter acutam, quæ longa eſt ; & immediatè ſequentem, quæ brevis ; omnes reliquas Syllabas eſſe æquales, & de penultimæ ſolius quantitate quærendum. Sed neque id ipſum probat brevitatem aut quantitatem Syllabarum, ſed altitudinem ; aliud enim eſt Légere & Legêre ; at diſcrimen non in quantitate, ſed in accentu conſiſtit. Et hoc ipſum evidenter demonſtro ; quoniam vox ἄρβηλος *Scalprum*, habet longam penultimam ; & tamen profertur *O'rbulus* latina vox, in quâ penultima eſt brevis. Quod ipſum clariùs conſtat in his vocibus Κύριος, κυρίε, *Dominus*, *ne* : Ε'ρίοξυλον, ἐριοξύλου, *Luna*, *ne*. in quibus genitivis penultima eſt brevis & acuitur. Et in his vocibus Α'τρακτος, *fuſus ad colum* ; Βάκηλος, *magnus ſed ſtultus*, in quibus triſyllabis penultima eſt longa, tametſi ſit acuta antepenultima.

Hinc infero has eſſe Concluſiones tenendas. Prima, *Quantitas metrica eſt quâ Syllaba tempus ſeu moram metimur.* Secunda, *In monoſyllabis & diſſyllabis omnes ſyllabæ æquales ſunt. In polyſyllabis acuta eſt longa, quæ hanc immediatè ſequitur, brevis : cætera omnes mediæ, & æquales.* Tertia, *Mentis fictione nonnullæ ſunt longæ vel breves : Et hæc productio aut correptio in carminibus debet ſervari.* Corollarium. *Carmen igitur, quod conſtat ſyllabis longis & brevibus Ens eſt rationis : non chimæricum, ſed merè poſſibile.* Quia poteſt Deus prædeterminare & dirigere hominem, ita ut ſingulas ſyllabas determinatis à lege temporibus proferat ; at hominem talem nondum vidimus, nec alicubi videndum credimus.

Sanè jam hodie accentum & ſyllabæ quantitatem confundi, multi tenent : at aliqui Moras dari exiſtimant, quæ vocentur Accentus ; alii contrà dari Accentus ſolummodò, non Moras. Alii cùm neutri parti ſubſcribere audeant, utramque in medium ponunt & aliis judicandam relinquunt. Bremenſium Latina Grammatica (quam Joannes Elych edidit) libr. 1. cap. 4. *Acutus jam pridem ſolus pronuntiatur ; vel potiùs pro quovis accentu mora quædam adhibetur, quæ ſanè dicatur Accentus.*

CLXXIII.

De Accentu.

UT ſciamus quo modo accinere debeamus ſyllabam, datur Accentus, qui apud Hebræos in Grammaticum, Rhetoricum & Muſicum dividitur ; è quibus quicumque dividitur in multos alios. Græci Latinique utuntur tribus : [ά : ὰ : ᾶ :] Acuto, Gravi, & Circumflexo : è quibus ſolus primus profertur, reliqui æquivocationem tollunt, & ideò ad calamum ſpectant, non ad labium. Si gravis ponatur in ultimâ, notabit eam omninò dictionem eſſe adverbium, ut *Sanctè*, *Juſtè*, *Rectè*, ut diſtinguantur à vocativis, *Sáncte*, *Júſte*, *Récte* : at hîc accentus in pronuntiatione non ſentitur. Ablativi primæ declinationis, item ſecundæ ut

multis

multis placent, circumflectunt ultimam, ut differant ab aliis caſibus, qui eiſdem ſunt ſimiles, ut *Muſâ*, *Doctrinâ*, *Dominô*, *Templô*, ut diſtinguantur à Nominativis & Vocativis *Mûſa*, *Doctrîna*, & à Dativis *Dómino*, *Témplo*.

Hinc oritur apud Latinos hæc Regula. *In ultimâ nunquam ponitur accentus acutus.* (id vel negat Grammaticæ Bremenſis Author: vel gravem acutumque ſic depingit: á.) Gravis eidem Syllabæ ſuperpoſitus adverbium denotat: & circumflexus ablativum. Penultima quocumque accentu (ſeu acuto ſeu circumflexo) acuitur, eodem enim modo profertur *Doctrîna*, quo *Doctrína*, tametſi ſit diverſus accentus. In antepenultimâ non ponitur, niſi acutus. Excipe ablativos compoſitos; ſæpè enim ſcribimus *Quâlibet*, & *Quâcumque*.

Carmina Latina ab accentu acuto dependent; ſi mutetur ſyllabarum magnitudo, modò in eiſdem locis ſyllabæ acutæ ponantur, nihil horridi aut aſperi percipiet auris, tametſi carmina non conſtare dicantur. Hæc enim duo,

Sicelides Muſa paulò majora canamus.
Pulcherrima Stella polo modeſtè labantur.

Sunt omninò ſimilia, ſi linguæ ſit ſtandum & auri; at poſterior multo errore laborat, quoniam ſyllabarum propoſitarum quantitas præjudicio, quod de ſyllabarum quantitate habemus, non reſpondet.

Græca autem carmina, ſi ſequimur accentus quos præſeferunt, proſæ malæ ſimillima, ne quidem ab incruſtratâ aure poterunt tolerari. Jam Patres Jeſuitæ politiores ad Latinorum leges illa proferunt, ut carmina videantur eſſe. Pono unum exemplum ex Homero.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν.

hoc eſt, ut transfert Arnoldus Boëcopius,

Haud minùs ille mihi exoſus, quàm janua Ditis.

& addo aliud carmen, ſi auris ſit judex, Græco ſimile;

Echo gárrit: plénus bónus accréſcito Palladi.

An-ne hoc Hexametrum? minimè. Quid ergo ſenſibile eſt in Græco, quod deſit Latino? nemo oſtendet. Ergo tota eſt differentia inſenſibilis, & ex intellectualibus præjudiciis dependens. Græcum igitur his accentibus notari deberet,

Ἔχθρος γάρμοι κεῖνος ὅμως ἀΐδάο πυλῄσιν.

ut eſſet ſimile huic,

Echo gárrit; plénus bónus tribuátur Vlýſſi.

Hæc mihi videntur tam clara, ut plura non velim ſubſcribere.

CLXXIV.

AT interrogas. An-ne in eâdem dictione duplex accentus poſſit poni? Reſpondeo primò, in dictionibus Hebraicis binos reperiri frequentiſſimè. Keckermannus Gramm. Hebr. libr. 1. cap. ultim. *Si unus tantùm ſit accentus in unâ dictione, ... tunc neceſſariò erit Sillus; ſiquidem nulla eſt dictio Hebræa ſine accentu Grammatico, niſi fortè per Maccaph cum alio accentu copuletur. Si autem in unâ dictione ſint duo accentus ejuſdem figuræ ſemper prior eſt Rhetoricus ſive Metheph, alter Grammaticus ſive Sillus.* Reſpondeo ſecundò, dictiones Græcas nunquam duobus accentibus notatas legi. Reſpondeo tertiò Eccleſiaſticos Libros (Miſſalia, Breviaria, Diurnalia, Pſalteria) impreſſos in officinâ Plantinianâ, & alios impreſſos in aliis officinis excellentiſſimis, ita notatos eſſe, ut ſæpiſſimè duos accentus in unicâ dictione reperias. Dicamus igitur alterum eſſe Vocalem & alterum Etymologicum; Et Regulas nonnullas ſubjiciamus. SIT PRIMA. *Accentus Vocalis ſignificat eam ſyllabam, quam afficit, acuendam eſſe: Etymologicus dictionem à dictione diſtinguit, ne æquivocatio ſubrepat, ſed non profertur.* SECUNDA. *Accentus in ultimâ ſemper eſt etymologicus.* TERTIA. *Si in dictione ſimplici ſint duo accentus, prior plerumque erit vocalis, non poſterior.* ut *Póllet & doctrinâ & ingéniò.* QUARTA. *Sæpè accentus vocalis & etymologicus coincidunt in eamdem ſyllabam.* ut *A quâlibet domo, à quâvis urbe decèndere, & ventro Tolétum.* QUINTA. *Rarò vocalis ſequitur etymologicum: ſed tamen aliquando, ut Quâcúmque.*

NOn vis non diſcuti controverſiam valdè communem, quæ rogat, quo debeat modo accentum habere dictio, cui additur particula *que*, vel *ne* vel *nam*? ut cùm dicimus, *Vnde-nam venis? Vadis-ne Romam? Vado ad caſtra majora minoraque, & ad ea frequenter animoſeque ut conſpicis.* Si linguam ſequitur calamus, quod debet, hos accentus inſcribet. *Unde-nam vénis? vadis-ne Rómam? Vádo ad cáſtra majóra minóra-que: & ad ea frequénter animosè-que, ut cónſpicis.* In voce *frequénter*, primus accentus eſt vocalis, & ſecundus etymologicus, ille ſignificat, acuendam eſſe ſecundam ſyllabam; iſte hanc ipſam dictionem eſſe adverbium. In voce *animosè-que*, ille accentus ſimul eſt vocalis & etymologicus, eadem enim ſyllaba voce acuitur, & adverbium inſinuat. Hinc poſſunt addi aliæ Regulæ. Sit ergo SEXTA, *Malè proferunt, ſcribuntque, qui hæc monoſyllaba* [né, vé, nám, qué, *&c.*] *adfixa dictionibus, acuunt:* non enim debemus dicere, *Vndenám oritur? è Saxo-né? an verò ex aqua igne-vé? Vnde piſcis volucerqué? unde Vir Fæminaqué?* errant enim Hiſpani, & quotquot eorum more ultimas acuunt, ratio enim poſtulat ut ſic loquamur, *únde-nam óritur? E Saxô-ne? an verò ex aquâ ígne-ve? únde píſcis, volucérque? únde Vir Fæmínaque.* At auris potiùs vult hoc audire, *úndenam óritur? E Saxô-ne? an verò ex aquâ, ígne-ve? únde píſcis, vólucer-que? únde Vir Fœmína-que.* Illa enim affixa monoſyllaba ſuaviùs audiuntur, ſi non mutent vocalem dictionis præcedentis accentum. SEPTIMA. *Ex his nominativis*, Ambróſius, Aurélius, *naſcuntur iſti vocativi*, A'mbroſi, Aúreli,

& non iſti, Ambróſi, Aurèli; *quidquid dicant, qui lab o vulgi delectantur.* Hinc patet, quo debeamus modo in ſimilibus caſibus philoſophari.

CLXXV.

De ſignificatione Litterarum ſecundum nomina Latina.

GOropius Becanus *libr. 9. Hermath.* in eâ fuit ſententiâ ut crederet nomina Latini Abecedarii orationem componere partibus atque dictionibus diſtinctam Cymbrico ſermoni antiquo reſpondentem, & hunc eſſe omnium aliorum antiquiſſimum, utpote ante turris Babylonicæ excidium communem omni genti & terræ, quæ tunc temporis fuerat labii unius & ſermonis ejuſdem, utrumque nititur probare his verbis.

NUllius ſententiam morati, ipſam orationem Abecedariam exponamus; in qua hoc erimus ſuccinctiores, quòd eadem ferè omnia in Hieroglyphicis erunt remandenda; in quibus non nomenclaturas tantùm litterarum; ſed ipſas imagines nominibus congruentes explicare, & ad veras cauſas reducere cogemur. Invocato igitur Spiritûs ſancti auxilio, ipſam precationem auſpicemur, quam præceptor ſuis verbis pro diſcipulo concipit, quem ſimul & elementa pietatis & litteraturæ docet. Primùm igitur, ut animum addat puero adhuc tenello & timido, & alacrem reddat ad rudimenta perdiſcenda, ab A. incipit, cujus litteræ vim eam eſſe docui, ut hortetur ad morum & actionem rectâ viâ aggrediendam. Secundo loco monet, ut oret, quo Deus vires ad id quod agendum eſt, dare dignetur. Be enim idem eſt nobis quod *Ora*, dum ut verbum imperans capitur; idem quod *Oratio*, dum nominis loco ponitur. Pro eodem Bet dicimus. Sed vocis hujus myſterium Hieroglyphica enucleabunt, & vox eſt alioqui nobis in uſu quotidiano, nihil ut opus ſit explicatu ejus prolixiore. Norunt noſtrates omnes quid Principum Be vocetur, nec ignorant eorum δεήσεις εἶναι ἀνάγκας, tametſi Platonem perpauci legant. Tertio elemento orationem auſpicatur, quod ut Kappa pronuntiandum, non ut vulgus per S lenius profert. Neque enim nobis litterarum ſoni confundendi, ſed diligentiſſimè juxta vetuſtiſſimorum patrum conſuetudinem ſeparandi. Ke igitur vocula eſt qua maximum deſiderium indicatur, uti traditum eſt. Hinc dum vehementiùs quempiam oramus, eâ uti conſuevimus; eo modo quo Latini iis orationis particulis, quas vocant Interjectiones. Quamobrem qui preces à Ke exorditur, is ex toto corde, ex toto animo, ex totâ mente ſeſe orare demonſtrat: atque eum ad modum Deus orandus, ſi velimus audiri. Sequitur De/ quæ vocula articuli apud nos uſum habet, & quid deſignet, copioſè antè expoſui. De Ee igitur idem eſt ac ſi dicas *ipſum Unum omnia uniens & continens.* Ef verbum eſt imperantis, quod vel cum aſpiratione, ut ſit Hef; vel citra eam licet efferre, pro eo quod eſt *leva*. De hac voce plura in Hieroglyphicis. Eſt autem Hef propriè *à terrâ ſublevare.* Ge idem eſt quod Latinus dicit *verſus*, ſive *ad*. He *altum* denotat, quod aliter ho dicitur & hoog. He Angli hactenùs uſurpant. Ab He hemel/ id eſt *cœlum*, derivatur. Sed plura de hac voce alibi. Tota igitur hujus partis ſententia eſt, *O ipſum Unum omnia uniens & continens, leva ad altum.* Hæc prima pars eſt orationis, qua nihil poteſt eſſe congruentius, nihil aptius, nihil prius præceptori pro diſcipulo ſuo precanti. Cùm enim puer ad diſcendas humaniores artes ad ludum litterarium veniat, atque ipſa *doctrina* Leer vocetur, vocabulo homonymo ad ſcalas & doctrinam; ſitque hujus etymologia talis; ut quod humile eſt, & terræ hærens, cæteris prius honoratiusque reddat; convenientiſſimè preces eas fundit, quibus, ut puer à terrâ ſurſum levetur, rogatur. Plura hoc loco de voce Leer dicerem, niſi Hieroglyphica adſpirationis figura hanc ſibi materiam ſuo jure vindicaret. Hoc loco ſatis eſt ommoniſſe, analogiam eam in Leer à primo ſermonis opifice ſervatam eſſe, ut hinc ſcalas, quibus in altum adſcenditur, hinc doctrinam denotaret. Cùm autem eadem vox ut verbum uſurpatur, æquè pro *doceo* atque pro *diſco* accipitur, & notationis ſuæ non unam habet cauſam, eo quod analyſis ejus diverſa eſſe poſſit. Vel enim in litteræ primæ poteſtatem el eer ſolvitur, quo modo excelſum honorem deſignat; vel in ſe-eer/ quo *humilis ad honores adſcenſus* ſignificatur; vel in lt-eer/ quod *ſit populi ad honores exaltatio.* Converſio autem ejus idonea fit per ſolutionem vocis in Re-eel/ quo *rationis in altum evectio* denotatur. Cum igitur hac noſtrati voce deſignetur, omnem doctrinam eò referri, ut is qui diſcit, à terra ſurſum levetur, & ad honores evehatur, & ratio ipſa ſive mens ad excelſa conſcendat: quid rogo huic ſcopo aptius orari queat, quàm id, quod prima Abecedariæ precationis pars exponit? Verbum autem Ef ſive Hef (utrovis enim modo idem denotatur) idem nobis eſt quod *à terra eleva*; vel, ut ſit ſecundæ perſonæ verbum imperantis modi, *eleva*: quo nullum verbum ad primum gradum ejus ſcalæ per quam ad cælum adſcenditur, deſignandum, inveniri poſſit magis proprium. Ejus enim converſio in contrarium fe tranſit, quo *pecus* & alia deſignantur, quibus humanus animus terrenis rebus affixus eſt; quâ de voce ſuo loco latius. Verùm quando nunc ſcimus quid primum præceptor oret: videamus & illud, quem oret; & à quo tanto deſiderio, quantum Ke expreſſit, id quod rogat, cupiat impetrare. Non alium ſanè quàm ipſum Deum orat; cujus cum nullum ſit nomen proprium, propriam ejus formam deſcribens, quippe quam nulla mentis cogitatio capere queat; illis vocabulis in eo compellando uti oportet, quibus dona ejus, quæ largo cornu per ſpiritum ſuum effundit, denotentur. Aliàs igitur aliis nominibus Deum vocamus, pro eorû quæ ab ipſo petimus, diverſitate. Huic certè loco nullum nomen aptius eſſe potuit, quàm ee

cum

cum articulo. Quando enim omnis oratio omniſque doctrina eò primum ſit referenda, ut Deo reconciliemur & uniamur; optimè ab Unione eum vocabimus, dum hoc ab ipſo petemus. Et verò non *unionem* modò, ſed *legitimum* etiam & *firmum conjugium* deſignat, à quo per primum peccatum divortium factum eſt. Cùm itaq; , niſi hoc conjugium rurſus inter humanã mentem & Deum redintegretur, ſalvi eſſe nequeamus; maxima ratione Deum in prima oratione & prima ejus parte *ipſum Vnum* vocamus voce noſtrati, cui nulla apud Latinos, nulla apud Græcos, nulla apud Hebræos vox æquiparanda reperitur. Longiſſimè enim omnes cæteræ linguæ abſunt ab hoc vocis ee artificio, uti ſatis antè declaratum. Neq; porrò hac ſolâ cauſâ, tametſi ingens pondus habeat, Deum hoc loco *ipſum Vnum* nuncupavit Abecedarius precator. Altera accedit, & ea ſanè cùm aliis, tum duobus nominibus illuſtriſſima: ſemel, ut ſtatim ab initio omnis Deorum multitudo per *Vnus* nomenclaturam excluderetur, omniaque idolomaniæ & occaſio & contagio à tenella pueri mente procul abarceretur; ad quam cautionem nihil efficacius, quàm ſi mox cum primis litterarum nominibus imbiberet hoc axioma, quo nullum in religione prius, *Vnum ſolùm Deum eſſe adorandum*: Rurſus, ut in primo elementorum limine ultimus hominis finis proponeretur, de quo Chriſtus dixit, *Vnum eſt neceſſarium*. Finis enim hominis eſt *Ipſius Vnius* cognitio, & per cognitionem cum *Ipſo Vno* unio, quæ ab alio, quàm ab *Ipſe Vno*, fieri nequit; & idcircò non ab alio, quàm ab *Ipſo Vno*, eſt petenda. Sed infinitus ſim, ſi omnia quæ huc ſpectant, in medium adducam conſideranda. Abundè cumulatèque mihi videbor lectori promiſſa perſolviſſe, ſi per tranſennam duntaxat eminùs indicavero, quantum myſteriorum breviſſimâ oratione, monoſyllabas ſolas complectente voculas, ſit comprehenſum. Secunda orationis para ternarium præcedenti ſenario adjungit, qui ſic habet: I, el/em. Hic rurſus prima vocula interjectio eſt, ei conveniens, qui ſeſe altiùs profundiùſque cuipiam inſinuare contendit; cujus uſus nobis, non minus quàm ipſius Ke/familiaris eſt & quotidianus. Eſt enim blandientis inſinuantiſque proprius ſonus, quo nullus aptior eſt, ut in ejus præcordia, cui placere cupimus, penetret; propter inſignem nempe ſubtilitatem. El ſi breve pronunties, idem eſt quod *exalta*; ſi ſyllabam producas, *nobilita*: ut dum ſyllaba brevius eſt, frequentiùs adſpirationem præponimus. Hel enim ut hef quoque crebrius dicimus, eo quòd ſpiritus vim evehendi augere videatur. Em/ſive hem/ quod nobis quoque uſitatius, idem ſignificat quod Latini *Eum* dicunt: ex em enim *Eum* fecerunt. Tota igitur ſententia his tribus vocibus abſoluta Latine reddetur, *I, redde eum excelſum*, ſive *evehe ipſum in ſublime*. Paulatim igitur precator adſcendit, perinde atque in leer/ id eſt, *in ſcala* & doctrina fieri debet. Qui quid el ſignificet, ſcire volet, ea quæ antè tradita ſunt, conſulat. Neque enim mihi lubet eiſdem repetendis ſemper immorari. Sequitur nunc tertia & ultima orationis pars, quæ parentheſim complectitur, & tota Latinis ita reddi poteſt. *Et exalta pecudem (uti ipſe eſt) ad te.* En nobis conjunctio eſt devinciendi copulandique indicans notionem. O ſive ho idem quod *exalta*; propterea quòd æterna ſint altiſſima. Magna igitur ſignificandi vis eſt in O ſive ho/ dum pro *exalto* ſive *in altum eveho* uſurpatur. Nam non *altum* modò, ſed *æternum* etiam includit, & proptereà pro *alto* ponitur, quòd ſola æterna verè *alta* dici queant. Videmus ergo ſcalam, per quam ex hef ad hel/ ex hel ad ho pervenitur. Fruſtrà crebrius monerem, me nihili facere, an adſpiratas has voces, an citra adſpirationem pronunties; quoniam ſignificandi ratio ex adſpiratione in his minimè pendet: quemadmodum contrà altitudo in he è ſola petitur adſpiratione. Ho igitur de recta verbi notatione æternæ cujuſdam exaltationis rationem habet, quâ precator non contentus, ſummum culmen omnis altitudinis & ſublimitatis adjecit, dum dixit, *Exalta ad Te*. Dicit verò, *Exalta pecudem ad Te*, qualem diſcipulum ſuum eſſe conſitetur. Inſignis hæc eſt doctrina, quâ ad orandum inſtituimur. Ut enim à Deo exalteris, neceſſe eſt ut te ipſe ad infimam humilitatem deprimas. Divina eſt & aureis litteris ſcribenda ſententia filij Syrach, *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit*. Sed quid ego alios cito teſtes? Quin ipſam potiùs audimus veritatem hæc ore ſuo proferentem, *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur*. Hinc beata Virgo, & beatior mater, & beatiſſima ſimul mater & virgo, Deo hymnum canit, *quòd reſpexerit humilitatem ancillæ ſuæ*. Et David multò antè cecinit, *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies*. Et paulo antè; *Exultabunt oſſa humiliata*. Quid multis? Deus, juxta divæ Virginis oden, *deponet potentes de ſede, exaltat humiles*; & juxta ſuam ipſius ſententiam, *Humiles exaltat*. Maxima igitur Chriſtianorum virtus eſt humilitas, à qua quantum philoſophi receſſerunt, dum eam in vitiis numerant; tantum à cognitione ſuipſius, & à verâ ſapientiâ fuerunt remoti. Nam accurata ſuipſius cognitio ſummam gignit humilitatem; uti contrà tantò quiſque ſuperbior eſt, quantò ignorantior; adeò ut nulla firmior ſit collectio, quàm ea quâ concluditur, ſuperbiſſimum quemque eſſe ignorantiſſimum. Non aberravit ergò longè Socrates, dum ſe nihil ſcire dixit; & hoc ſuo dicto demonſtravit, ſe maximam ſui notitiam habere. Abecedarius noſter magiſter nos docet confiteri, nos non homines, ſed pecudes eſſe. Reverà enim pecudes effecti ſumus cacodæmonis fraude; qui mendacio impudentiſſimo parentibus noſtris impoſuit, dum polliceretur, ſi vetitum malum comediſſent, Deo ſimiles futuros. Contrà namque res accidit, dum pro Diis pecudes ſunt effecti, quod vates hoc verſiculo in odis ſuis expreſſit, *Et homo cùm in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Hoc illud eſt quod omnes juxtà philoſophi ignorarunt; & ideò nunquam ad veram ſui ipſorum notitiam adſpirare potuerunt; unde efficitur, ut ne ſapientiæ quidem veræ principium unquam aut perſpexerint aut cogitarint, tantum abeſt ut ſapientes debeant

vocari. Rectiſſimè igitur hæc confeſſio Abecedaria omni non orationi modò, ſed doctrinæ etiam adlubebitur, quo Deus humilitate noſtra ad auxiliandum provocetur. Dicitur autem Pe/Phe/ Be & Fe nobis pro eodem. Suevi Biech & Bich dicunt, unde Latinorum *Pecus* remanſit. Sed de hac voce alibi ſatis multa. Ingens ſanè intervallum eſt inter pecudem & Deum; & tamen ex hac humilitate audet nos præceptor ſurſum evehere ad ipſum illum ſupremũ apicem, fretus omnimodâ infinitâ ipſius bonitate & clementia. Dicit itaq; *Exalta pecudem (ut ipſe eſt) ad te.* In his nihil ampliùs eſt obſcuritatis: Parentheſis enim claris uſitatiſque vocabulis tota conſtat (Wie er es) Wie enim *Ve* nobis ſignificat vel *Qualis*: Er idem eſt quod *Ipſe*: Es vel Js/ quorum utrovis æquè utimur, idem quod *Eſt* Latinorum. Poſtremæ litteræ, Te/ B, ad Te ſignificant. Atq; hæc eſt tota oratio tribus partibus abſoluta, ut Trinitatis numerus indicaretur; quam Latinè ad verbum reddere nõ poſſis, ob duas interjectiones; & ut interpreteris, nunquam tamen vim vocum æquiparaveris. Craſſiuſculè tamen & proximè ſic vertemus: *Age: Ora: Quod ſummo animi deſiderio cupio. O ipſum Vnum omnia legitimè uniens, leva verſus altum! Quàm poſſum blandiſſimè te rogo, evehi ipſum in excelſum. Et ſublimitate perennis exalta pecudem (uti ipſe eſt) ad te.* Nunc itaq; totam precationem Abecedariam habemus explicatam, qua præceptor ipſum Unum rogat, ut diſcipulum ſuum ſic paulatim in ſublime tollat, ut tandem ad ipſum Unum adſpiciat: atque ita breviſſimo compendio, & plus quàm Laconico, totius vitæ noſtræ & miſeriam & felicitatem ſupremam complectitur, ſimul litterarum nomina recenſens, ſimul orandi rationem omnem explicans, ſimul etiam oſtendens quod nam ſit homini ſummum bonorum, quo cùm omnes totius vitæ rationes, tum litteratura maximè dirigenda eſt. Eant nunc qui volent, & adhuc rideant me, dum ſermonem noſtrum Latino antiquiorem eſſe contendo. Accuſent nunc priſcos illos viros, quòd litterarum nomina nullo ordine enumerarint. Tentent, ſi placet, ecquid ſimile ipſi ſomis ingenij viribus in eiſdem elementis præſtare poſſint. Equidem nullum mihi amplius in hac arenâ certamen ſeſtare cerno, quando modò multis variiſq; argumentis ſatis conſtare exiſtimo, noſtrum ſermonem primum mortalibus fuiſſe, & ex eo cæteros miraculosâ quâdã confuſione in Babyloniâ extitiſſe, quibus utentes nos Babelen dicimus, id eſt, *ſic confusè loqui, ut non intelligantur ab iis qui primi ſermonis ſunt periti.* Quòd ſi mihi conjectura libera detur, dicam ipſos etiam campos Babylonicos ־. ־ vocari de primo ſermone; & dictionem hanc ſic efferendam eſſe, ut Deeingar audiatur, de proprio videlicet litterarum ſono, qua ſignificatur *id quod omnino corrumpit.* In planitie enim terræ Deeingar omnis priſca veritas corrupta eſt, omnis vitæ ratio perverſa, idolomania inducta, immanis ſuperbiæ turris erecta, omnia deniq; & divina & humana jura violata: & inde pœnæ ultioniſq; loco linguarum facta confuſio, & Babyloniſmus ſtupendo miraculo exortus. Deeingar ergo planities hæc vocata eſt; eo quòd omnia in ea fuerint corrupta atq; vitiata. Cæterùm quia dico miraculoſam hanc fuiſſe confuſionem, non fuerit abs re, labores hos meos quos antiquæ veritatis ſtudioſorum nomine ſuſcepi, manuiſſa hac reddere gratiores: è qua cuivis liceat portenta corruptelæ linguarum pervidere. Linguæ quæ paulatim vel de diverſi ſermonis hominum colluvie, vel de veteris puritatis oblivione corrumpuntur, vocabula quidem plurima habent multum ab integris detorta, ſed ſic detorta, ut litterarum tamen ſeries aliqua ſaltem tenus in corruptis vocibus ſervetur, tametſi vel principium dictionis vel finis nonnihil ſit mutilatus. Sic Hiſpanus ex *Homo* habet *Hombre*, Gallus ex eodem *Homme*, Italus *Huomo*. Eodem modo ex *Femina* Gallus fecit *Femme*, Hiſpanus *Hembra*. Ex *Lumen* Hiſpanus *Lumbre*, Gallus *Lumiere*, & ad hunc modum alia ex aliis corrumpunt, ſed ſic ut facilè cernas cognationem. At in confuſione Babylonica longè aliter res habet: nam præter hunc communem & vulgarem ſermonis corrumpendi modum, acceſſit & alter, qui voces retrorſum ire compulit, haud ſecus atq; Cacus boves Herculis in antrum ſuum traxit. Nec hic ſolus ſatis viſus eſt habere virium ad confuſionem. Additus ergo & alius, qui talis eſt, ut litteras vocis alicujus integrè diſſolvat, & eas deinde, velut talos quoſdam, jactet, ac poſt, ut quæq; ceciderit, ita eas in unum congreget ac devinciat. Hinc factum, ut in quibusdam vocibus rectè, in quibusdam aliter fuerint collectæ: & ut verum fatear, hic poſtremus ſecundum comprehendit. Nam dum litteræ ſic, ceu teſſeræ, jaciuntur; nõnunquam contrarius, ac prius fuerat, ordo exiſtere poteſt; aliquando alius enaſcet. Hanc rem exemplis aliquot aperiemus, de linguâ præſertim Hebraicâ petitis, quæ ſola noſtræ aſſertioni obſiſtere videtur, cùm Græca & Latina facilè nobis de principatu ceſſura ſit, non illis quidem multis, ne totum Lexicon collegiſſe videamur, ſed tot ſaltê, ut ex iis facilis de reliquis conjectura fiat. Fateor equidem omnes ferè Hebraicarum vocum radices me examinaſſe, & maximã earum partem ad veras primi ſermonis origines non ſine luculentâ voluptate reduxiſſe; verùm & me ſcriptionis, & alios lectionis pigeret, ſi quis, ut eas tranſcriberem, compelleret. Nec eſt ullo modo in artium traditione committendũ, ut documentorum fimbriæ minutiſſima quæq; complectantur. Lubenter hanc provinciam iis relinquemus, quibus tempus & otium ſuppetet ad omnes omnium vocum rationes ſupputandas; quod ut promptiſſimè præſtare queant, rectiſſimâ viam iis commonſtrabimus, quam ingreſſis nulla offeretur difficultas. Primùm & ante omnia litterarum cognationes diligenter conſiderandæ, quas è Græcis & Latinis Grammaticis facillimè diſcas. In vocalibus proclivis eſt tranſitus ex A in E; & ex E in I: rarior ex A in O: frequentiſſimus ex O in V, & contrà. Ex *facio* præteritum habes *feci*; ex *capio cepi*; & compoſita *efficio, perficio*, & ſimilia ex ſimilibus; nec aliter ex noſtro Lippe *Labium* habent Latini. Sic nos Taem & Maet/ſive Tam & Mat dicimus: alij Tem & Met/ut Zelandi. Suevi ex Temt Zimpt faciunt. Sicut Latini ex Men *Mino*, ex

Menter-

Digitized by Google

Menerva Minerva, & alia. Latini ex 𝔐et *Metior* habent, ejuſdem ſignificationis verbum. Græci ex 𝔗emt *Themis*, quo decorum denotatur. A 10 O mutant Suevi, dum ex 𝔐an pro *Luna* 𝔐on dicunt. Et Latini dum ex 𝔐an *Moneo* faciunt verbum, ejuſdem cum 𝔐an ſignificationis. Contrà Latini ex O faciunt A, dum à 𝔏oc *Locio*, à quo *allicio*, formant. Græci ex 𝔐an pro *Luna* μὴν fecerunt, ſicut ex *Selana* σελήνη. Jam breves vocales in longas, & longæ in breves non rarò commigrant. Sic ex 𝔐et ſyllaba longa *Mare* faciunt Latini pro eodem, & ex mett *Metit* verbum ejuſdem notationis. Græci ex 𝔐et pro *Mitior*, μάτ𝔢ιον brevi priore ſyllaba deducunt. Ex 𝔥eel pro toto Græci ὅλον dicunt. In conſonantibus tenues in medias & aſpiratas tranſeunt, & è diverſo hæ in illas. Sic ex 𝔅et pro *oro*, fit *Pete*, & cætera. *Hucusque ille.*

CLXXVI.

CÆterùm Goropius Becanus duo ſupponit, utrunque difficillimum: videlicet ſermonem Cymbricum (qui ipſi erat patrius) eſſe omnium aliorum antiquiſſimum, & ex antiquiſſimo ſermone Latinarum litterarum ſignificationem deſumendam eſſe: primum falſum eſſe ſuppono: hoc ultimum ex eo falſum eſſe demonſtrabo, cur enim inſtrumenta vocũ non propriæ linguæ nomenclaturas ſument quando aliis rebus ſubminiſtrent? quid opus eſt litteras inducere nomina à Cymbrico ſermone mendicantes, ſi ſufficiunt univerſa litteris latinis decorare? ſit igitur concluſio? *Litterarum Latinarum Nomina, ſiquam habent ſignificationem, illam ab idiomate Latino ſumunt.* Ut igitur examinemus ſignificationem litterarum, nomina ipſarum prius conſiderare oportet, & hæc ſunt

A	be	ce	de	e	fi	gi	aha	i	el	em	en	o
A	B	C	D	E	F	G	H	I	L	M	N	O

pe	qu	er	es	te	u	ix.
P	Q	R	S	T	V	X.

Obmittitur K.
& Z quia non ſunt Latinæ litteræ, neque neceſſariæ.

Quæ ſic ſunt componenda, ut oratio Latina conſtruatur.

Abæ cede; efigia (ha: I.) Elem; en ope quæres, te vix.

Quod ſic poteſt explicari.

AVE ſecundâ leni, *Salve. Fælix ſis*, quæ eſt interjectio ſalutantis, ſicut & VALE diſcedêtis: vel ſecundâ durâ & priori aſpiratâ, ſic HABE. hoc eſt *Proſper ſis. Multa poſſideas*: vel ut jacet ABBÆ *Patri, Magiſtro, Domino, Doctoriq̃*, CEDE *humiliare*, (ne Majori præire præſumas, ſed libenter illi cede glorias, honoreſque: non ſolùm debita, ſed ſæpè non debita: hoc enim *cedere jus* ſignificat. Hiſp. *ceder uno de ſu derecho.*) Item ABÆ CEDE. *cede Paradiſo.* (*Aba* enim mons magnus eſt Armeniæ ex quo Euphrates naſcitur teſte Domitio Corbulo apud Plinium, *libr.5.c.24.* eumque ex *cap.1.* Geneſeos ſtet naſci Euphratem ex Paradiſo, liquidò conſtat *Abam*, & *Paradiſum* eundem eſſe.) eſt igitur *cedere Paradiſo*, dare locum deliciis ſupernaturalibus, hæ enim nomine Paradiſi deſignantur; unde tota oratio ABE CEDE erit. *Ave. Habe. Abba cede. Aba cede* quia idem eſt *Abba*, hoc eſt *majori cedere*, quam *cedere* vel *dare locum Aba* hoc eſt *Paradiſo*, ſeu *deliciis ſupernaturalibus Dei.*

EFIGIA vel potiùs cum duplici ff. EFFIGIA. *adſimilare, ſimilitudinem concipe, contemplare, ſpeculare, intellige.* (quia intelligere eſt ſe intentionaliter adſimilare objecto.) ELEM *Deum Fortem* (quia El. Elis. hebraicè אל *Deus* eſt, quaſi agnus, (vel potiùs Aries, & hoſtia ſacrificij) & fortis, quia in Deo utrumque reperitur eminenter, cum illi ſit proprium *parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos*, (Virg. æn. 6.) illis ſeſe agnum manſuetum, his fortem & rigidum monſtrando. Parentheſis (HA. I.) comprehendit. *ha* enim interjectio eſt corripientis, aut admonentis Plaut. in Moſt. *Ha cave* Hiſp. *Acaba*, qua indifferenter utimur tam, cùm admonemus ne fiat; quàm, ut fiat. *Ha cave. fac.* vel *Ha cave. deſine* &c. Hiſp. *Acaba ya, haz eſo.* vel *Acaba ya. dejalo* &c. I. ab *eo. is* propera feſtina, progredere, atque perſevera. EN. *vide.* OPE idem atque *in terra*, (quia *Ops* terra eſt, aliàs *Cybelles* nominata, Cœli ex Veſtâ filia, & Saturni uxor & conjux. Item OPE hoc eſt divitiis, copiis, unde divitiæ *opes* cognominantur. Vel denique OPE hoc eſt *auxiliis*, quibus à Deo prævenimur quia ſingulares iſtius nominis caſus auxilium ſonant, unde Ovid. libr. 1. de Remedio Amoris, dicit

Carminis, & Medica Phœbe repertor opis.

QUÆRES (puta ELEM *Deum*) & TE VIX. quæres, quia qui quærit ſe, Deum invenire non poteſt; & qui ſe vix quærit, imò abnegat, invenit dicentem Dominum Luc. 9. 23. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me*, qui enim hæc faciunt, ad vitam æternam nequeunt non pervenire; cùm juxta Apoſtoli doctrinam, 1. *Cor.* 10.24. & 13.5. quærant, non ſe, neque quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu chriſti. Qui & *ad Coloſſ.* 3.1. ait. *Quæ ſurſum ſunt quærite, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Tota igitur orationis ſeries eſt hæc.

Ave. Habe. Abba Patri, atque Magiſtro *cede. Aba* etiam hoc eſt Paradiſſo divinisque deliciis *cede*, *effigia* & contemplare (*Ha.* propera, *I*, feſtina) *Elem*, ſeu Deum. *En ope.* in terra divitiis, ſi adfuerint, vel quæ ooo deficiunt auxiliis Dei *quæres* ipſum Deum, & *te vix* quæres; immò utiliùs, & meliùs denegabis. Quod etiam memioi me quondam Carminibus his expoſuiſſe.

A B. *Soſpes* ave *iuvenis. Tibi ſit fortuna benigna.*
C D. Cede, *& terreni deſpice honoris opes.*
Fortunas fortuna tulit, fortunaque tollet;
C D. *Si vis divitias* cedere, *dives eris.*
A B C D. *Porrò* Abbæ cede. *Maioribus atque Magiſtris*
Cedas, *ſubmittas Præpoſitisque caput.*
E F G H I. Effigia *feſtinus eum, qui cuncta gubernat,*
L, M. Elem: *te ſimilem fac pietate Deo.*
N. O. P. T En *Pater omnipotens* ope te *prævenit apertè,*
O P Q R S. *Et* quæres *diviná denique Numen* ope.
Q R S T V X. *Et* quæres te vix, *nam ſolùm in Numine* quæres:
Atque in te ſummum Numen adinvenies.

Hæc eſt grammaticæ orationis ſignificatio, qua Præceptor Abecedarius diſcipulum primò docet cedere majoribus & humiliari, ſecundò, quærere Deum, & contemplari, tanquam formam in quâ tota ejus perfectio conſiſtat; tertiò negare ſe metipſum ut hac viâ ad Chriſtum, & Empyreum perducat.

CLXXVIII.

De Scholaſtica literarum ſignificatione.

EOsdem characteres ſcribimus in diverſis ſcholis, ſed in ſingulis ad diverſas res ſignificandas: & hanc ob rem operæpretium erit aliquid breviter ediſſerere, quod libris legendis ſufficiat.

CLXXIX.

Grammatica.

LIteræ apud Grammaticos poteſtatem orthographicam retinent, & pronunciationi ſubſerviunt: nec hîc debemus diutiùs immorari.

CLXXX.

Rhythmica.

RHythmorum conſonantias & diſſonantias, item & aſſonantias literis deſignamus: illas majoribus, has minoribus. Hæ literæ A B B A ſignificant, tetraſtichum (*Quartetta* Hiſpanè dicitur) formandum eſſe, cujus verſus primus ultimo conſonet, ſecundus tertio. Et iſtæ Ab Cb: Db Eb: &c. tetraſticha talia elimanda in quibus verſus primus, tertius, quintus, ſeptimus, &c. ſemper diſſonent: & ſecundus, quartus, ſextus, octavus, &c. ſemper aſſonent. Sed de hoc uberiùs proprio loco.

CLXXXI.

Metrica.

SPecialibus characteribus utitur, ut ſyllabas longas à brevibus & ambiguis diſtinguat; poteſt, & ſolet literis: ſunt enim æquipollentes hæ lineæ.

- ∪ - - - ; ∪ ∪ - ∪ - ∪.
η ε η η η ; ε ε η ε η ε.
ω ο ω ω ω ; ο ο ω ο ω ο.

Multis indiget, ut artificiosè condat carmina; eos exhibeo & dilucido in meâ Metametricâ; quam inferiùs ſubjungo; & ideò hæc hîc pauca inſinuaſſe ſufficiat.

CLXXXII.

Rhetorica.

ABecedariis utor integris, cùm rhetoricor, & memoriæ conſulo arte facillimâ: nam eò veniunt noſtræ dicendi Regulæ, ut vix meditatione egeas ſcripturus concionem; vix relectione, memoriter exclamaturus.

CLXXXIII.

Ars Lulliana.

PUtant aliqui omnes illam Scientias, & omnes Facultates complecti, & ſpecioſo nomine decipiuntur: at ſi rem benè examinent, reperient eſſe illam Rhetoricæ (aut fortè Dialecticæ) partem, nec aliud ſuggerere, quàm copiam rerum, quas ſi ignores, ſummopetè periclitaberis. Eſt Grammaticæ ſimilis; eſt Rhythmicæ, eſt Metricæ, eſt Rhetoricæ: potes enim de omnibus rebus quà Grammaticus loqui, quà Rhythmicus verſus conſonantes & aſſonantes fundere, quà Metricus carmina Dimetra, Trimetra, Tetrametra, Penta-

Digitized by Google

Pentametra, Hexametra, &c. condere: quâ Muſicus eadem concinere; & quà Rhetor ornatè eloqui, & eadem carmina ad ſermonem ſolutam reducere.

CLXXXIV.

Arithmetica.

ETjam utitur literis ut numeros ob oculos ponat. Apud Hebræos, Chaldæos, & Græcos omnes literæ ſunt numerales. Apud Latinos olim erant: at hodie Arithmetica retinuit iſtas paucas,

I. V. X. L. C. D. M.
1. 5. 10. 50. 100. 500. 1000.

quarum valor characteres ſingulis ſubſcripti ſignificant. Sunt, qui alios etiam numeros his aut aliis literis adſignificent: ſed modo dedimus doctrinam communem, cætera expoſituri in Metametricâ.

CLXXXV.

Geometria.

DUabus literis diſtinguit lineas inter ſe; nam alteram initio lineæ alteram fini adſcribunt, & illis repoſitis totam interiacentem lineam intelligunt: nam quando dicunt, *Totum eſſe majus ſuâ parte*, non tam demonſtrant, quàm oſtendunt dicentes A——B——C AC eſſe totum quoddam, cujus partes ſunt AB, & BC. & neutra tanta, quanta eſt AC.

CLXXXVI.

Muſica.

CHordas ipſa & voces literis & voculis diſcernit, & ſcalam characteribus iſtis conformat: quos ipſos voculis iſtis C *ſol fa ut*: D *la ſol re*: E *la mi*: F *fa ut*: G *ſol re ut*: A *la mi re*: B *fa* ♮ *mi*: C *ſol fa ut*. &c. At hodie meo labore & induſtriâ, ad formam faciliorem reducta, notis ſubſcriptis animat, & denominat.

C D E F G. a b c d e f g.
ut re mi fa ſol la bi. ut re mi fa ſol &c.

Etiam ipſæ figuræ clavium, cantuum diſcrimina, aut etiam temporum, literarum figuræ ſunt, jam compendioſiùs ſcriptæ, & ob ductuum ornatum alteratæ.

CLXXXVII.

Logica: Dialectica.

EAdem Scientia eſt ſtando vulgi labio: at ſtando rigori, Dialectica eſt pars Logicæ; nam cùm iſta agat de Terminis, Propoſitionibus, & Argumentationibus; quà de his ultimis diſſerit, *Dialectica* debet vocari. Sed de hoc alibi. Logica igitur literis dirigitur & juvatur, ut mentem, ut linguam, & ut calamum dirigat. Singula breviter percurramus.

A ſignificat propoſitionem univerſalem aſſerentem, ut *Omnis homo eſt animal.*

B. etiam habet ſignificationem ſpecialem: nam in modis imperfectis, ſi initialis ſit, ſignificat ad *Barbara* oſtenſivè, aut ſaltem per impoſſibile reduci poſſe.

C. initialis in nominibus ſyllogiſmorum notat illos ad *Ceſare* oſtenſivè reduci: & in medio nominum *Baroco* & *Bocardo* poſita, monere dicitur hos ſyllogiſmos non poſſe oſtenſivè firmari, ſed debere cogi ad impoſſibile.

D. quando eſt prima in nominibus imperfectorum (ſic vocant ſecundæ & tertiæ Figuræ ſyllogiſmos) ſignificat illos ad *Darij* reducendos eſſe.

E ſignificat univerſalem negativam, ut *Nullus homo eſt lapis.*

F præfixa nomini ſyllogiſmi imperfecti, illum ad *Ferio* abire jubet.

G & H. non habent ſignificationem ſpecialem.

I. denotat propoſitionem particularem aſſerentem, ut *Aliquis homo eſt albus.*

K & L apud Peripateticos carent Dialecticâ ſignificatione.

M. jubet, ut commutentur præmiſſæ: commutantur, quando ex majori fit minor, & contrà.

N. in Logica Obliquâ negationem ſignificat.

O. particularem negativam, ut *Aliquis homo non currit.*

P in nominibus ſyllogiſmorum ſignificat Poſitionem, quam afficit, per accidens eſſe vertendam.

Q & R literæ vacuæ ſunt, quibus non indigent Peripatetici.

S. in eiſdem nominibus ſignificat propoſitionem illam, quam afficit debere converti ſimpliciter.

T. tametſi vix ullum uſum in Dialecticis habeat, habet multum in ſacris, Crucis enim figuram æmulatur & nomen ad compendium diducit. Crux Græcè Σταυρὸς dicitur, & hæc litera Ταῦ; & Lucianus putat ab Σταυρῷ nomen Ταῦ produiſſe, ait enim in Judicio Vocalium *Ab iſtâ* (literâ Ταῦ) *etiam inſtrumento peſſimo* (Cruci nimirùm) *peſſimum nomen* (nempè Σταυρὸς) *veniſſe.* Hæc litera eſt Prædeſtinatorum character, qui ſicut ſanguine Chriſti Domini loti, ſic etiam Crucis impreſſione muniti.

V. ſigni-

V ſignificat excluſivam negantem.

X nullâ indiget ſignificatione in Peripatu.

Y ſignificat excluſivam aſſerentem.

Z, ultima eſt Abecedarij litera, qua non utuntur Peripatetici in artificio ſuæ Dialecticæ.

Præter litteras ſimplices defectu vocalium cogimur uti compoſitis

AU ſignificat unam propoſitionem affirmativam, & EU unam negativam, quæ poteſt vel eſſe indefinita, vel univerſalis, vel particularis, vel ſingularis.

Æ ſignificat indefinitam aſſerentem: OE negantem.

IR ſignificat ſingularem aſſerentem: IX negantem.

Et ut notas Propoſitionum, ſcias poterunt ſervire iſta carmina.

Rem ipſam hic cura, non metrû.

Aſſerit AU, *negat* EU, *cum ſigno quolibet amba.*
Aſſerit Æ, *negat* OE, *indefinibiliter amba.*
Aſſerit A, *negat* E, *ſunt univerſaliter amba.*
Aſſerit I, *negat* O, *ſunt particulariter amba.*
Aſſerit IR, *negat* IX. *ſunt ſingulariter amba.*
Aſſerit Y, *negat* U, *ſunt excluſibiliter amba.*

CLXXXVIII.

Philoſophia.

INdividuorum Ecceitates literis diſtinguit Philoſophus: ait enim Angelum A, & Angelum B: Hominem A, & Hominem B. equum A, & equum B: platanum A, & platanum B: lapidem A, & lapidem B: partem A, & partem B: albedinem A & albedinem B: relationem A, & relationem B: inſtans A & inſtans B: actionem A, & actionem B: paſſionem A, & paſſionem B: locum A, & locum B: ubi A, & ubi B: ſitum A, & ſitum B: veſtem A, & veſtem B. ubi enim nomina individuorum ignorantur, ut multis gravantur Auditores, ad nomina literarum recurritur.

CLXXXIX.

De Scripturâ.

CAlvinus labium debet ſequi; præcipuè, ſi utamur litteris; quia, ſi ciphris, aut characteribus integris vocibus æquivalentibus, major poteſt eſſe libertas. Ut rem intelligas, annotato Litteras propriè dici characteres, qui linguæ elementis æquivalent, ut *A. b. c. d.* &c. & Ciphras, characteres quæ integram rem ſignificant independenter à voce: nam apud Arithmeticos hi characteres 1. 2. 3. &c. ſignificant *unum*, *duo*, *tria*, &c. quocumque hi numeri nomine aut linguâ ſignificentur. Hujuſmodi generis ſunt Aſtronomorum notæ; videlicet; ♈, ♉, ♊, ♋, ♌, ♍, ♎, ♏, ♐, ♑, ♒, ♓. item ☉, ☽, ♄, ♃, ♂, ♀, ☿. ſunt etiam & iſtæ Aſtrologorum; □, △, ✶, ☍, ☌. &c. In idiomate Latino Hiſpanus ſcribit, *Prudentia*; *Quis, quæ, quod, quid*; *Petrus*, *Pauluſque*: *Muſam*; *Dominum*; *Amat*; *Ille*; *Summus*: & in dictionibus Græcis, ſcribit *Philoſophus*, *Cyrillus*, *Monarchia*; tamen profert, *Prudencia*, *Kis, kue, kod, kid*; *Petrus*, *Páulus-ké*: *Muſan*; *Dominum*; *Amad*; *Ile*, *Sumus*; *Filoſofus*, *Cirilus*, *Monarkea*: in quibus labij & calami major poſſet eſſe connexio. Voces *Prudentia*, *Philoſophus*, *Cyrillus*, *Monarchia*; ferè omnes nationes eodem modo proferunt, quo Hiſpana; & cùm Græcè audent, ſcribunt *ἄγγελος*, *nuncius*; *ἄγκυρα*, *anchora*, & *ἔλεγχος*, *regiſtrum*: & legunt, *A'ngelos*, *áncyra*, *élenchos*: cur igitur lingua non correſpondet calamo, aut calamus linguæ?

Sed miſſas faciamus Linguam Latinam Græcamque, ad reliquas veniamus & quo ſingulæ modo ſcribant & legant videamus. Multi à nonnullis annis Galli ſcribere benè procurarunt, & quia non ſemper quæ proferunt ſcribere poſſunt, & deviare cum vulgo non volunt, ſæpè ſcripſerunt, quæ à nemine intelligi poſſent. Plures jam de calami & linguæ concordiâ & correſpondentiâ deſperant; alij adlaborant adhuc, ſed irrito conatu, ut doctiores exiſtimant.

Hiſpani non potuêre aliter Orthographiæ conſulere, quàm omnem Etymologiam tollendo; nam, ut cætera omittam, ubi *Μοναρχία* græcè ſcribitur, & *Monarchia* latinè; quid hiſpanicè debebit ſcribi? *Monarchia*? minimè; quia *ch* aliam habet poteſtatem differentem omninò; ut videre eſt in vocibus *Cuchillo*, culter; *Muchacho*, puer; *Chico*, parvus: *&c.* An ſcribetur *Monarquia*? Sic volunt Critici, ſed tollitur nominis etymologia.

CXC.

De litterarum abundantiâ & defectu.

SIngulæ nationes multis litteris carent, multis utuntur mundo reliquo ignotis. In alphabeto Græco his tribus conſonantibus noſtris F. V. J. nullæ omninò reſpondent; niſi quod Æoles loco V utantur hac litterâ, Ϝ, quam *digramma* vocant: ut cum ſcribunt, Ἀρχῖϝος, *Grævus*. Ad exprimendum V. utuntur β vel υ, ut videre eſt in nominibus *Βεργίλιος*, *Virgilius*; *Οὐάλης*, *Valens*. Pro F, ſomunt Φ; & pro J conſonâ ſuam I vocalé, quá, ut fortioré reddant, jam leni & jam denſo ſpiritu afficiunt. Habent prætereà aliquas litteras,

quibus

quibus Latini carent; E & O, apud Græcos ſunt breves; H & Ω longæ; cùm tamen apud Latinos vocales longæ brevesque eodem charactere ſcribantur. K non reſpondet C. illa enim ante omnes vocales eodem modo profertur; & hæc aliter ſonat ante *a*, *o*, & *u*; aliter ante *e*, & *i*. Caret Latinus etiam litteris Υ: Χ, Φ, Θ; fortè & Ψ: pro quibus ſcribere cogitur eaſdem aut cognatas: nimirùm *y*: *ch ph*, *th* & *ps*.

Apud Hiſpanos ſunt tres litteræ, quas non facilè proferunt peregrini; *Ch*, *Ll*, Ñ. ut in vocibus *Acha*. *Achaque*; *Llamo*, *Allano*; Niño, *Año*. hoc eſt, *Fax*, *Morbus*; *Voco*, *Complano*; *Puer*, *Annus*. Litteræ etiam conſonantes, J, X, & ante *e* & *i* G, proferuntur eodem modo; & videntur conſonare *Ch* germano, audio enim citari Hiſpanum *Sanchez*, voce quam nos ſcriberemus *Sangez*, *Sanjez*, aut *Sanxez*. Multi ex Abecedario Hiſpano volunt proſcribi has duas, H & Y. tam enim ſuavis eſt multorum pronunciatio, ut non percipitur aſpiratio, etiam in iſtis vocibus, *Hora*, *Huerto*, hoc eſt *Hora*, *Hortus*: quam ob rem multi malunt ſcribere *Ora*, & *Uerto*. Et quia Y ab I vocali non differt, à multis etiam libris rejicitur. B & V confundunt, & in metris ſuis conſonare dicunt *Aljava* & *Amaba*; (hoc eſt, *Pharetra* & *Amabam*) unde ab ignaris irridentur, cùm loquuntur Latinè; dicunturque colere Deum, qui ſemper bibit & regnat in ſæcula ſæculorum; amen. ac ſi ipſi tenerentur ullo jure litteras proferre potiùs more germano, quàm hiſpano.

Germani in linguâ carent D, B, & V. & licet eas ſcribant, primam proferunt ut T, ſecundam ut P. tertiam ut F. Joannes Angelus de Zumaram, in ſuâ Grammaticâ, *Los Alemanes*, ait, *hazen poca*; *o por mejor dezir*, *ninguna differencia de la D*, *y de la T*: *de la B y P*: *y de la V y F*: *por lo qual ſuelen hazer grandes errores los naturales y ignorantes de letras*: nam ubi nos dicimus *Bono*, *Dego*; aut etiam *Deum verum de Deo vero*, ipſi proferunt, & ſi latinè neſciant, etiam ſcribunt, *Pono*, *Tego*: & *Teum ferum te Teo fero*. Habent prætereà W, litteram charactere duplam, prolatione dimidiam, blandam ſuavem, & U vocali Latinorum ſimillimam: quam peſſimè proferunt Hiſpani, qui *Wandalus* ſcribunt, & *Ubandalus* legunt, cùm deberent *Uandalus*.

Caruerunt ad adventum Hiſpanorum uſque Braſilienſes tribus litteris, F, L. R; quia verâ Fide, verâ Lege, verò Rege: ſic ſunt aliqui imperfectionem idiomatis interpretati.

CXCI.

QUÆSTIO INCIDENS.

Quænam natio meliùs proferat linguam Latinam?

Hiſpanos, Germanos, Gallos, Italos, Belgas, Anglos, Hibernos, Polonos, Ungaros tam diverſo accentu & modo loqui latinè, ut tertiò verbo poſſint internoſci, nemo ignorat: quoniam tametſi univerſæ iſtæ gentes ſcribant eodem modo, tam diverſo loquuntur, ut qui diceret Linguæ Latinæ in his regionibus multiplicati dialectos, nihil omninò diceret, quod ſuadere non poſſit. Joannes Abbas Cameronenſis S. Theol. Doctor, natione Belga, cùm Ciſtertium ad Generale Capitulum pergeret, ingreſſus quamdam ſui Ordinis Eccleſiam cito exiliit, & famulos erroris arguit, qui eum ad Hæreticorum fanum conduxiſſent, cùm ad templum Catholicorum vellet. Jurant illi eſſe Ciſtertienſem Eccleſiam: decredit nihilominùs Abbas: ait enim ſeſe audiviſſe propriis auribus binos miſſam cantantes gallicè: tanta erat pronuntiandi diverſitas, ut Gallos non loqui latinè putaret. Sed & Gallis, idiomati dulciſſimo aſſuetis, cùm Germanum aut Ungarum audiunt, quæ maximè latina ſunt, horrida & omninò peregrina videntur. Dominum Mendozam, Vi & eloquentem & doctum, amici exercebant Bruxellæ, quòd Lov nij Doctores poliſſimo labio ſalutans, juſſus fuerit latinè agere, quoniam eximij Domini Hiſpanâ linguâ non callebant: & quidem nil omninò congruentiùs reſpondéri homini potuit, qui ſe judice erat Cicerone eloquentior. Stat ergo magnum eſſe eamdem linguam Latinâ proferendi diſcrimen, aliter enim Caſtellani, aliter Luſitani; aliter Galli, aliter Belgæ; aliter Ungari, & aliter Germani pronuntiant. Huc reſpiciebat Verrepæus cum Grammaticæ Deſpauterianæ libr. 5. claſſ. 2. cap. 1. dixit: *Polonum*, *Belgam*, *& Hiſpanum latinè loquentes in colloquium adhibe*: *vix quidem Latinum ſermonem intelliges*, *tam diſſimili vocis ſono redditum*. &c.

Sed hinc oritur illa Quæſtio difficilis, quæ inquirit, Quænam natio benè voces Latinas efferat, & quænam malè? Unaquæque reſpondebit pro ſe, & condemnabit cæteras: ſed quia unaquæq; condemnatur à cæteris, uniùs plura ſuffragia contra habet.

Sunt, qui Italis palmam deferendam exiſtiment, quòd ipſi ſicut territorij, ſic etiam ſine idiomatis antiqui hæredes. Sed hæc ratio potiùs urget adverſus Italos, quorum idioma è corruptione Latini ortum, non poteſt in exemplum proponi. Faciliùs mutatur linguæ tigor quam lingua: ergo qui videmus idioma eſſe aliud omninò Italis, quàm olim fuit; quâ dicere poterimus probabilitate pronuntiationem ipſam alteratam non eſſe. Inundarunt Italiam varij populi (Heruli, Gotti, Oſtrogotti, Wandali, &c.) & accentum pronuntiationemque diverſam inſerentes idioma Latinum corruperunt, & converterunt in Italicum.

Excluſis Italis non occurrit ratio, ob quam Germani aut alij ſint præponendi aut poſtponendi; quoniam qualiter pronuntiarit litteras Cicero, neſcimus; & ſi verum, quod Lipſius alijque, de veteri pronuntiatione ſcribunt, nulla hodie in Mondo natio latinè loquitur, qualiter ante Chriſtum Romana. Et ſi malè loquitur, quæcumque aliter, nulla benè.

Sed hæc ipſa conditionalis debet examinari, non ſupponi. Quæritur, Quænam in totâ Europâ natio benè loquatur latinè? quæ malè? quæ meliùs vel pejùs? & Judex præſcire omninò debet, quid ſit loqui benè, quid malè. Porrò Lingua Latina ad placitum eſt, ſicut reliquæ;

nec

nec habet pronuntiationem aliquam connaturalem, quam ſi alteres, violentiam inferas; ſi pervertas, corrumpas. Ergo judicium non eſt à ratione ſed ab authoritate ſumendum. Sed quorum ipſi uti poſſumus authoritate? Romæ diverſis temporibus fuerunt, qui aliter alterque linguam latinam pronuntiarent; nec coætanei convenire potuerunt. legimus enim controverſias nonnullas, è quibus conſtat ſicut apud Gallos & Hiſpanos hodie, ſic etiam apud Latinos olim pronuntiationem fuiſſe variam & inconſtantem.

Ergo quid concludetur? Hodie in Europâ varios populos, vario ſono Latinum idioma proferre: omnes nimirùm vario, nullos malo: quia verum idiomatis Latini ſonum univerſi neſcimus, & ideò illud ſicut vernaculum proferimus.

LIBER III.

in quo exponitur

CIPHRICA,

Quæ eſt quædam nova & valdè curioſa PARAGRAPHIA, mentis arcana ſecretiſſimâ methodo ediſſerens.

CXCII.

POlygraphiam, & Steganographiam olim evulgavit Trithemius: illas non pauci condemnarunt antiqui; quæ enim non intelliguntur, à pleriſque damnantur: eaſdem jam ante annos viginti propugnavi & expoſui: oſtendens Trithemium nec promiſſis divitem, nec ſuperſtitionis notâ infectum eſſe. Noſtros Commentarios olim dedimus: & quia in ipſis potiùs noſtra quàm ſua, hunc libellum adjungimus, qui complectitur Scientiam, quam *Ciphricam*, hoc eſt, de Ciphris agentem vocavimus: ad eamque nonnullas curioſas reducemus.

PARS PRIOR.

CXCIII.

CIphrarum genus duplex eſt, effabile & ineffabile: illud eſt, quod ſignificat literas & pendet ab Abecedarij notitiâ: hoc quod ſignificat res, & ab Abecedarij intelligentiâ aut exiſtentiâ non depēdet: hi enim characteres, ☉☽♄♃♂♀☿. *Solem, Lunam, Saturnum, Iovem, Martem, Venerem* & *Mercurium* immediatè ſignificant, videlicet independenter ab eorumdem nominibus & literis Abecedarij: unde ſi vel homines eſſent muti, vel Abecedarius excideret, vel eorum ſyderum nomina exciderent aut mutarentur, adhuc poſſent hæ notæ Aſtronomicæ retineri.

Dividemus igitur Ciphricam noſtram in partes duas: In priori Ciphras literis Abecedarij æquipollentes dabimus: & In poſteriori Ciphras ineffabiles, quæ non literas ſed res ipſas ſignificant, ediſſeremus.

CIPHRÆ

Grammatica,

CXCIV.

VAlde ſimplex & facilis Modus ille eſt, qui vel novos characteres effingit, vel utitur aliarum gentium & populorum literis: nam ſi quis Hiſpanam Epiſtolam ex. gr. ſcripſerit charactere Hebræo, Syriaco, Arabico, Græco: aut etiam Germanico, Hungarico, Slavonico, &c. ſcribet occultam, & quæ à paucis Hiſpanis legetur. Pono unum aut alterum Abecedarium, ut ſimiles invenire poſſis.

Valor.	a	b	c	d	e	f	g	h
Figur. heb.	א	ב	ב	ר	ה	כ	צ	ע
Fig. græc.	α	ϐ	κ	δ	ε	φ	γ	⁝

i	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z
י	ל	מ	נ	ו	פ	ק	ר	ס	ט	ו	ש	י	ז
ι	λ	μ	ν	ο	π	κ	ρ	σ	τ	υ	ξ	υ	ζ

Petrus igitur Franciſcuſque recipiunt à ſuo Principe literas, ille Hebræas, iſte Græcas, quas nec Latinus, nec Hebræus, nec Græcus poterit interpretari. Petrus has:

כום פרימום הפיסטולאם: יסטאם רהצהפה־
ריסן סולבהס, הט ין כאנאריאם הנהטראביס

Et has Franciſcus recipit:

Κυμ πριμυμ πετρυς σολυεριτ, καπε Φερραρινυμ. ετ καρκερε σεκυρο δετινε: ετ προκεσσυ ινσιτυτο ιλλυμ σεκυνδυμ λεγες ετ ιυρα α νοβις προνυντιατα ιυδικα.

Prima epiſtola ſcripta erat idiomate Latino, ſed Hebræo charactere; & debuit legi ſic: *Cùm primùm epiſtolam iſtam receperis, ſolves, & in Canariam penetrabis.* Secunda etiam erat ſcripta idiomate Latino, & charactere Græco, qui reſcribi debebat ſic: *Cum primum Petrus ſolverit, cape Ferrarinum, & carcere ſecuro detine; & proceſſu inſtituto illum ſecundum leges & iura à nobis pronunciata judica.* Legunt & intelligunt epiſtolas Principis Petrus, Franciſcuſque. Petrus ſolvit, & feliciter ad Canarias appellit. Mox Ferrarinus, Petri cliens à Franciſco intercipitur, & quia Patrono caret, convincitur, puniturque.

Huc pertinere puto Nortmannorum, Gallorum, Germanorum, & aliorum literas, quarum diverſi Authores meminerunt. Aliquos ob oculos habeo, è quibus nonulla reſcribo.

CXCV.

Ex libro VI. Polygraphiæ Ioannis Trithemy.

OMnes Græcorum Paleſtinorum Litteræ ſunt numerabiles, cùm Latinorum, quibus & nos contimur Germani, duntaxat ſeptem in numeros referantur videlicet C. D. I. L. M. V. & X. Nortmanni autem cum Dacis Aſiaticis de inſulis Scandianæ quæ nunc Gottica nuncupantur, quondam egreſſi Galliam annis plus quadraginta peragrantes graviſſime devaſtarunt: qui, ne rebus ſuis conſulerent arcanis (Beda Anglico teſtante Monacho) novum, & pulchrum ſcribendi modum ex Græcorum litteris talem adinvenerunt: Græcorum enim numeros ad quattuor & viginti, Litteris decem comprehenſos, Latinorum characteribus adaptarunt, & ſub Schemate alieno noſtras litteras prudenter abſconderunt, eo videlicet modo quo numeris vtimur vice literarum, quando ſcilicet pro a, ponimus 1. pro b, 2. pro c, 3. pro d, 4. & ita conſequenter vſq; ad finem alphabeti. Pulchra quidem & ſatis tuta inventio, quam nec Græcus facilè comprehendet neque Latinus. Non enim reperitur in ea totum alphabetum, ſed literæ duntaxat novem, & nota una numeralis videlicet g, quæ ſex apud illos ſignificat, & in hoc ſcribendi modo f, ſextam literam Latinorum, in ſuper linguæ deferentes noſtræ Germanicæ, in qua ſumus nati, w duplex pro viceſima quarta nationis noſtræ litera ſinetenus appoſuimus, quam juxta Græcum numeri ſic, κδ formavimus. Hanc autem Nortmannorum ſcripturam ex ſequenti ordine Græcarum litterarum eorum imitatione ponamus.

Valor.	A.	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n
Ordo	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13
Figur.	α	β	γ	δ	ε	ς	ζ	η	θ	ι	ια	ιβ	ιγ

o	p	q	r	s	t	u	vv	x	y	z.
14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24
ιδ	ιε	ις	ιζ	ιη	ιθ	κ	κα	κβ	κγ	κδ.

Hujus alphabeti miniſterio Nortmanni quicquid inter ſe voluiſſent habere occultum, ſecura traditione ſcribebant. Quam ſcribendi rationem Græcorum nemo intelligere potuit, quoniam etſi omnes characteres iſti ſint Græci, quia tamen literas ex ordine numerali repræſentant Latinas, neque à Græco legi poterunt, neq; à Latino, qui hujus induſtriæ ſcientiam non prius fuerit aſſecutus. Poterit etiam hic modus ſcribendi multipliciter variari, quando per metatheſin numeri mutantur & literæ. Quod & literis Græcis fieri poteſt ſolitis ad votum & arbitrium induſtrioſi cujuſq; ſcribentis. Nec erit modus formandi characteres iſtos multum difficilis, illi maximè qui fuerit aliquantulum uſitatus. Satis etiam præſcripti characteres linguæ conveniunt Germanicæ, cum quibus omnia nobis poſſumus denotare occurrentia, in qualibet fuerimus locutione periti. Quoties iota per ſe ponitur, ut ſciatur denotare literam k. decimam alphabeti, ſuperius notatur.

Apparatus Philoſoph.

N O T A.

CXCVI.

SIc Abecedarium Nortmannorum Trithemius intelligit exponitque: at ego nonnihil reperio, quod poſſim in Trithemio, aut fortè in ipſo Abecedario corrigere; ubi enim duæ literæ Græcæ pro unicâ Latinâ ponuntur, aut Trithemius malè intellexit veteres: aut iſti errarunt, duas ponendo cùm unicam poſſent. Puto eos literas Græcas adproprìaſſe Latinis eo ordine, quo ſingularum ſeries poſtulat, & ſequens Alphabetum exponit.

* *
*

morte præventus imperfectum dereliquit, nec ſurrexit poſt eum alius, qui hujus rei curam ad animum revocaret. Otfridus autem jam dictus monachus Rabani Fuldenſis quondam auditor atque diſcipulus ſub Ludovico Pio ipſius Caroli filio, Grammaticâ illa quam vis imperfectè conſecutus, multa ſcripſit in lingua noſtra Germanica, quæ regularis inſtitutionis mirandam ſonare videntur gravitatem, Carmina enim ad eandem normam lucubravit plura heroico metro ſimul & elegiaco, inſuper & proſaicè nonnulla compoſuit ad Ludovicum regem Germaniæ filium Pii Ludovici, & fratrem Lotharii Imperatoris. Ad Otgarium quoque Archiepiſcopum Moguntinum, ad Monachos, ſancti Galli, & alios. Hujus fragmenta Grammatices aſſecutum & ego præſentis alphabeti characteres de ìnitiis extraxi, ne penitus interirent. Conſtat autem teſte Otfrido Carolum propria plura excogitaſſe alphabeta, quibus per latiſſimum regnum ſcitè mireretur in arcanis cum ſingulis præfectis. E quibus nos Otfrido miniſtrante literis hic pauca commiſimus. [Otfridi characteres habes Tabula II. col. 6.]

Carolus Rex magnus Imperator Chriſtianiſſimus annis non minus triginta cum Saxonibus bellans, quos tandem gladio ſuperans Chriſtianam convertit ad fidem. Veritus autem ne denuo ſicut plurìes fecerant apoſtatarent à fide, ſecretos quoſdam inſtituit exploratores, quibus judiciariam contulit poteſtatem, qui totam Saxoniam peragrantes de fide ac moribus gentis ſecretè inquirerent diligenter, & quoſcunque repertiſſent apoſtataſſe à fide, raptores, adulteros, blaſphemos, Eccleſiæ ac ſacerdotum ejus & mandatorum contemptores, ſeu notoriis criminibus Chriſtianam rempublicam perturbantes aut populum ad Paganiſmum revocantes vel ſollicitantes, ſine dilatione imperiali & regali autoritate impunè laqueo ſuſpenderent, vel aliàs ut poſſent necarent. Ut autem hæc inſtitutio perpetuò maneret inconvulſa, dedit eiſdem viris poteſtatem ſubſtituendi & alios, ſub certis conditionibus idoneos, qui memoratâ facultate gaudentes, officium inquiſitionis & mortis in reos impunè exercerent. Leges denique ſecretas & notas occultas ſimul & juramenti eis formam præſcripſit, quibus in judicando & puniendo juſte procederent, ſibique mutuo noti alios laterent & neceſſarium in terra Saxonica judicium ſecretius perpetuò conſervarent. Alphabetis etiam certis inter ſe utebantur ad tempus, quæ tamen ab uſu tandem penitus defecerunt. Inquiſitionis tamen hujuſcemodi officium ad præſens uſque permanet tempus, cujus miniſtri Feimeri vulgò nuncupantur. [Et quidem characteres, quorum hîc mentio fit, habet Tab. II. columnâ VII. quos ibidem de Inquiſitorum, qui illis utebantur nomine, *Feimerios* appellamus.]

Etſi non ſatis pulchri atque venuſti characteres iſti compareant, placuit tamen mihi eos cum præceptis novis inventis meis conjungere, propter honorem & reverentiam antiquitatis, cùm nemo ſit vel parum induſtrius, qui ſuo pro arbitrio ſibi nequeat excogitare pulchriores. Quamquam deformem hanc tortuoſitatem uſus ſcribendi continuatus, facili compenſatione poterit emendare, & frequenter in conſuetudinem actam facere complacentem. Nemo ſiquidem quantumlibet doctus vel eruditus in quavis lingua bonus etiam fit ſcriptor, niſi longa conſuetudine uſum in artem commutaverit. Sequitur & aliud. [Hoc vocatur *Alphabetum novum*, & ponitur Tabulâ II. columna. VIII.]

Si quis pro ſuo arbitrio novum ſibi voluerit effingere alphabetum, duo in primis noverit obſervanda, quæ tamen in præmiſſis non ſemper inveniet conſervata. Primum eſt ut characteres formet faciles tractationis, & quanto ſimpliciores fuerint, tanto erunt meliores. Secundum, ut ſic ordinet literas ſingulas, quatenus in dictiones connexæ faciem reddant pulchram & venuſtam. Tertium adjicio non promiſſum, ſi ſcripturam vis manere ſecretam, ut aliquas alphabeti literas facias Hebræorum more duplices.

Hubus iſte Francus cum Marcomero de Scythiæ finibus ad oſtia Rheni venit in Germaniam, & in ſupplementum linguæ Germanicæ hos characteres dicitur inveniſſe, qui & ſatis cum ea in pluribus convenire videntur. Faramundus etiam Rex Francorum in Germania poſt Marcomerum qui gentem introduxerat, quadrageſimus tertius, & obiit anno Dominicæ nativitatis quadringenteſimo viceſimo ſexto, cum exploratores ſuos gratiâ invadendi miſiſſet per Galliam, talibus eos juſſit ſcripturare characteribus. [Duplicis hîc Alphabeti Otfridus meminit, utrumque dedimus Tabulâ II. nimirum Hichi literas columnâ IX. & Faramundi X.]

Præter illud quod paulo ante poſuimus alphabetum Normannorum, etiam quod ſequitur apud Bedam exaratum invenimus, quod literis commendamus. [Vide Tab. II. column. XI.]

Sequitur aliud alphabetum Honorii cognomento Thebani, cujus miniſterio ſuas in magicis fatuitates abſcondit, ſicut Petrus de Apono teſtatur in ſuo majore libro quarto [Illud in eâdem lamina II. column. XII. exhibeo.]

Reperi & aliud cujuſdam alchimiſtæ confictum noviter alphabetum, quo in ſuis arcanis uti conſuevit occultandis, æſtimationem faciens artis ſuæ magnam, quæ parum in ſe continet præter verba. Alchimia enim à pluribus amatur, & caſta eſt. [Illud etiam repræſentavi Tabulâ II. column. XIII.]

Multas habet alchimia domeſticas familiares, quæ dominam ſuam perpetua vigilantia cuſtodiunt, ſeque ejus nomine ſupponunt, ut eam conſervent à commercio tot importunè amantium tempore ſempiterno intactam. Vanitas, fraus, doloſitas, deceptio, ſophiſticatio, cupiditas, falſitas, confidentia mendax, ſtultitia, inopia paupertas, deſperatio, fuga, proſcriptio & mendicitas pediſſequæ ſunt alchimiæ, quæ dominam ſimulantes amatam eam inviolatam cuſtodiant, & ſemetipſas illius quæſitoribus pecunioſis, avaris, cupidis & fatuellis libenter proſtituunt.

CIC.

Alphabetum Atticum.

FUit Jarmiel Atticorum Rex Magnus, vir etiam ſapiens & *Megalopius* dictus: &, quia notitiarum ſublimiorum avarus, voluit doctrinam ſuam non eſſe omnibus notam, illam arcanis characteribus ſcripſit quos dedimus tabulâ II. columnâ XIV. & XV. Duas ibi dedimus literarum figuras; priorem difficilem, (& hac uſus eſt Jarmiel: poſteriorem facilem; antiquas enim Jarmielis Regis literas Joannes Trithemius ad ductus faciliores reduxit.

CC.

M.T. Ciceronis littera.

IOannes etiam Trithemius Polygraphiæ ſexto agit de Ciceronis characteribus: quos ego ſecundâ tabulâ repræſento, & ad duas etiam claſſes reduco: alij enim unicam tantùm literam, & alij integras dictiones repræſentant: at me judice boni non ſunt, quia difficiles & multis lineis compoſiti: ſumma enim characterum perfectio in ſimplicitate & facilitate conſiſtit, quæ in characteribus multis lineis conſtantibus reperiri non poſſunt.

CIPHRÆ

Arithmeticæ.

CCI.

Litterarum valorem Arithmeticum nemo debet contemnere; illum enim Spiritus Sanctus magni facit. Apocalypſeos cap. XIII. hæc lego: *Hic ſapientiá eſt. Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ, numerus enim Hominis eſt, & numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex.* Quibus verbis diſcimus beſtiæ nomen eſſe 666. quod multi quærunt, nec omnes infelici conatu.

Arithmeticus ſcribendi modus duplex eſt: vel enim multis numeris utimur, vel unico. De utroque breviter diſſeremus.

Modus ſcribendi per plures numeros.

CCII.

TUnc pluribus numeris ſcribitur quando pro ſingulis literis, numeri diverſi ponuntur, Et quidem licèt omnes arcanæ Orthographiæ Inſtitutiones hodie dicantur *Ciphra*, hæc meritò hoc nomen ſortitur, *Ciphra* enim nomen Hebraicum eſt à radice ספר, *Saphar*, quæ *numerare, ſupputare* & *determinare* ſignificat: ut colligitur ex 2. Sam. 24. 10. & Pſalm. 56. 8. & 87. 6. & Iſai. 33. 18. & alijs locis. Hinc patet quid ſit Carmen Siphraticum, quod multi diverſimodè exponunt.

Exempla rem omnem dilucidant; & hanc ob rem hunc Abecedarium majoris eruditionis gratiâ ſcribo.

Valor.	A	b	c	d	e	f	g	h	i	k				
Figura.	1	2	3	4	5	6	7	8	9	0				
l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	u	w	x	y	z.	
10	20	30	40	50	60	70	80	90	100	200.	300.	400.	500.	

Quam ob rem, ſi reperires hanc periodum, 9100809010080, 10090, 50110201, 61040-7052990. deberes ad præcedentem Abecedarium recurrere, & legere, *Iuſtus, ut palma florebit.*

Hoc, & cætera, quę conformari ſolent & poſſunt Alphabeta Arithmetica hoc habent inconveniens, quod una litera multis characteribus ſignificetur; quia cùm ſint 24. literæ & characteres Arithmetici 10. erunt neceſſariò plurimæ, quæ non poſſint charactere ſimplici ſignificari. Interim quia omnia poteſt ingenium, huic malo occurro, & aliud Abecedarium formo.

Valor.	A	b	e	d	e	f	g	h	i	l	m
Figura.	1	2	3	4	5	6	7	8	0	[illegible]	[illegible]
n	o	p	q	r	ſ	t	u	x	y	z.	
+	5	9	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	∞	

Compendia.	con.	per.	præ.	ſub.	us.	rum.	&c.
	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]

Juxta hanc clavem, ſi quis 65 [illegible] 40+1+4 ſcripſerit, legetur ſtatim *Ferdinandus.*

NOTA.

Joannes Trithemius in ſuâ Polygraphiâ nonnullos Abecedarios Arithmeticos poſuit: è quibus hos paucos ſubſcribo.

Solis & Lunæ Abecedarij.

☉ ☽ ☌	☉ ☽ ✱	☉ ☽ △	☉ ☽ □	☉ ☽ ☍
a w 25	w m 49	w x 73	b c 97	d e 121
b z 26	a l 50	z b 74	c d 98	e f 122
c y 27	z k 51	y y 75	d e 99	f g 123
d x 28	b l 52	x c 76	e f 100	g h 124
e u 29	y h 53	u x 77	f g 101	h i 125
f t 30	c g 54	t d 78	g h 102	i k 126
g s 31	x f 55	s u 79	h i 103	k l 127
h r 32	d e 56	r e 80	i k 104	l m 128
i q 33	u d 57	q t 81	k l 105	m n 129
k p 34	e c 58	p f 82	l m 106	n o 130
l o 35	t b 59	o s 83	m n 107	o p 131
m n 36	f a 60	a g 84	n o 108	p q 132
n m 37	s n 61	b t 85	o p 109	q r 133
o l 38	g o 62	c h 86	p q 110	r s 134
p k 39	r p 63	d q 87	q r 111	s t 135
q i 40	h w 64	e i 88	r s 112	t u 136
r h 41	q z 65	f p 89	s t 113	u x 137
s g 42	i y 66	g k 90	t u 114	x y 138
t f 43	p x 67	h o 91	u x 115	y z 139
u e 44	k u 68	i l 92	x y 116	z w 140
x d 45	o t 69	k n 93	y z 117	w a 141
y c 46	l s 70	l m 94	z w 118	a b 142
z b 47	n r 71	m w 95	w a 119	b c 143
w a 48	m q 72	n a 96	a b 120	c d 144

Aliorum Planetarum Abecedarij.

♄	♃	♂	♀	☿	☊
A 2 24	A 3 4	A 5 1	A 6 7	A 8 9	A 10 11
b 3 23	b 4 5	b 6 3	b 7 8	b 9 10	b 11 12
c 4 22	c 5 6	c 7 2	c 8 9	c 10 11	c 12 13
d 5 21	d 6 7	d 8 4	d 9 10	d 11 12	d 13 14
e 6 20	e 7 8	e 9 6	e 10 11	e 12 13	e 14 15
f 7 19	f 8 9	f 10 5	f 11 12	f 13 14	f 15 16
g 8 18	g 9 10	g 11 8	g 12 13	g 14 15	g 16 17
h 9 17	h 10 11	h 12 7	h 13 14	h 15 16	h 17 18
i 10 16	i 11 12	i 13 10	i 14 15	i 16 17	i 18 19
k 11 15	k 12 13	k 14 9	k 15 16	k 17 18	k 19 20
l 12 14	l 13 14	l 15 13	l 16 17	l 18 19	l 20 21
m 13 13	m 14 15	m 16 11	m 17 18	m 19 20	m 21 22
n 14 12	n 15 16	n 17 12	n 18 19	n 20 21	n 22 23
o 15 11	o 16 17	o 18 14	o 19 20	o 21 22	o 23 24
p 16 10	p 17 18	p 19 16	p 20 21	p 22 23	p 24 25
q 17 9	q 18 19	q 20 15	q 21 22	q 23 24	q 25 26
r 18 8	r 19 20	r 21 18	r 22 23	r 24 25	r 26 27
s 19 7	s 20 21	s 22 17	s 23 24	s 25 26	s 27 28
t 20 6	t 21 22	t 23 21	t 24 25	t 26 27	t 28 29
u 21 5	u 22 23	u 24 20	u 25 26	u 27 28	u 29 30
x 22 4	x 23 24	x 25 23	x 26 27	x 28 29	x 30 31
y 23 3	y 24 25	y 26 22	y 27 28	y 29 30	y 31 32
z 24 2	z 25 26	z 27 24	z 28 29	z 30 31	z 32 33
w 25 1	w 26 27	w 28 25	w 29 30	w 31 32	w 33 34

Orchema numerale pro literis.

		w	z	y	x	u	t	s	r	q	p	o	n	m	l	k	i	h	g	f	e	d	c	b	A		
		A	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z	w		
w	A	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	A	w
z	b	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	6	b	z
z	c	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	6	7	c	y
x	d	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	6	7	8	d	x
u	e	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	6	7	8	9	e	u
t	f	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	6	7	8	9	10	f	t
s	g	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	6	7	8	9	10	11	g	s
r	h	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	6	7	8	9	10	11	12	h	r
q	i	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	6	7	8	9	10	11	12	13	i	q
p	k	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	6	7	8	9	10	11	12	13	14	k	p
o	l	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	l	o
n	m	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	m	n
m	n	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	n	m
l	o	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	o	l
k	p	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	p	k
i	q	21	22	23	24	25	26	27	28	29	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	q	i
h	r	22	23	24	25	26	27	28	29	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	r	h
g	s	23	24	25	26	27	28	29	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	s	g
f	t	24	25	26	27	28	29	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	t	f
e	u	25	26	27	28	29	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	u	e
d	x	26	27	28	29	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	x	d
c	y	27	28	29	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	y	c
b	z	28	29	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	z	b
a	w	29	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	w	A
		A	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z	w		
		w	z	y	x	u	t	s	r	q	p	o	n	m	l	k	i	h	g	f	e	d	c	b	A		

Quiſquis orchematis huius tabulam rectè intelligit, alphabeta ex ea quotquot voluerit ſibi componet. Exempli gratia Latinorum grammata tranſverſaliter à quatuor angulis ſibi obviantia locavimus, ut tranſpoſitionis ſaltum in infinitum praberemus. Scribentibus opus erit induſtria, ut multitudo numerorum confundat memoriam vel intellectum.

Modus ſcribendi per unicum numerum.

CCIII.

BRevis eſt & ſcitu digniſſimus : & quantâ ille facilitate ſcribitur tantâ legetur difficultate. Clavem iſtam præmitto.

Figura.			23	22	21	20	19 18	17	16	15	14	13
Valor.			A	b	c	d	e f	g	h	i	k	l
12	11	10	9	8	7	6	5	4	3	2	1	
m	n	o	p	q	r	ſ	t	u	x	y	z.	

ILla utebar olim agens cum quodam amico, & duplici ſigillo ſecretum tuebar: quoniam primò utebar Alphabêto Arithmetico, & ſecundo numeros ipſos juxta aliquam Arithmeticæ regulam variabam; poſito hoc Lemmate. 22222. *&c.* quod tot characteres habeat, quot numerus qui exponi debet. [NOTA. Sicut Abecedarium, poſſem & Lemma pro arbitrio alterare aut mutare.]

CCIV.

ARithmeticæ prima Regula vocatur *Aggregatio*, (Hiſpanicè *Sumar*) & juxta illam ſi vellem hoc nomen *Ferdinandus* ſcribere, deberem hoc modo procedere.

I. 18 1972015 11 23 112046. +—
II. 2122221222222222222 +—
III. 40419423733453334268

Scribo igitur primò characteres , quos dat Abecedarius ſeu Clavis Secundò addo Lemma. Summam exhibeo, & aio 40 41 94 23 73 34 5334268 eſſe idem ac *Ferdinandus*. Et quis mortalium quæſo, etiam ſi clavem habeat , in hoc numero 4041 &c. vocem *Ferdinandus* inveniet ? Nemo, niſi priùs ſubtrahat, quæ fuerunt addita.

Sic ergo procedere debet, qui ſcribit : qui epiſtolam recipit & numeros ad communes literas eſt reducturus contrario procedet: videlicet.

I. 40419423733453334268. —+
II. 2 2 222 2222222 122 222 2.—
III. 18 1972015 11231 12046

POnet inquam primò lineam , quam intelligere vult , ſecundò Lemma , & ſubtrahens hoc ab illâ , in tertio canone differentiam ſcribet , & cum hac ipsâ differentiâ ad Abecedarium Arithmeticum veniens, leget hanc vocem *Ferdinandus*.

CCV.

AGgregandi regulam ſubtrahendi ſeu ſubducendi regula ſequitur , quæ Hiſpanicè dicitur *Reſtar*. Et operatur oppoſito modo ac præcedens. Si enim paragrapho præcedenti juſſimus, ut ſcriptor numero lemma adderet, & lector à ſummâ ſeu aggregato lemma extraheret : nunc contrà, ut Scriptor lemma à numero ſubtrahat, & Lector reſiduo lemma addat, jubemus. Pono exemplum.

I. 181972015112311 2046.
II. 22 222 2 22222 2 222222. —+
III. 0402502071099110176

Qui ergo ſcribit Epiſtolam , mittit lineam Arithmeticam tertiam, quam qui recipit , addit illi Lemma, & Summam aperit juxta Clavem, quam initio poſuimus.

CCVI.

ETiam Arithmetici dividunt , & Nos eoſdem imitari poſſimus. Conſidera lineas ſequentes.

I. 1819720151123112046. (2.——
II. 909860075561556023.

Primam lineam divido per 2: & adquiro ſecundam , quam ſcribo in Epiſtolâ, & ad amicum mitto. Ille receptâ ſecunda lineâ, rem examinat : illam duplicat , & recuperat primam, quam clave aperit, & reperit, ut anteà, hanc vocem, *Ferdinandus*.

CCVII.

TAndem , quia etiam Arithmetici multiplicare ſolent , etiam eos imitemur. Numeros eoſdem reponamus.

I. 1819720151123 11 2046 (2 +—
II. 3639440302246 224092

Mitto ſecundum ad amicum , qui primo eſt duplus , Et amicus ut hunc ſecundum numerum legat, illum dividit in partes duas , & reperit illum priorem numerum , qui cooperatus Abecedario poſito , iterum iterumque proferet *Ferdinandus*.

* *
*

CIPHRÆ

Geometricæ.

CCVIII.

TRes corpus dimenſiones habet: longitudinem, latitudinem, & profunditatem: punctum eſt omnium ipſarum fundamentum: qooniam in Zeoonis Scholâ ex punctis componitur linea, ex lineis ſuperficies, & ex ſuperficiebus corpus: & extra illam, apud eos qui ſubtiliter philoſophantur, linea eſt fluxus puncti, ſuperficies eſt fluxus lineæ & corpus eſt fluxus ſoperficiei. De ſingulis breviter, quantum ad Stegaoographiam pertinere videbuntur, tractabo.

CCIX.

DE PUNCTIS.

DIcebamus paulo-antè illam eſſe optimam characterum figuram quę breviſſima, faciliſſima & pulcherrima: & ſtatim occurrit ſcribendi iſta methodus quam *Atomographicam* dico, quod per atomos fluat. Olim dum Steganographia balbutiret, utebatur oovis literarum figuris, quibus illas repræſentaret. Sed & in incunabilis ipſis ingenioſa reperit aliquas transfigurationes, quæ æternaot cum ingenij laude. Ut ulteriùs ſe ſubrigeret & peomoveret, unico puncto ſingulas expreſſit literas, ſummâ cum facilitate ſcribentis, ſummâ cum utilitate Lectoris. Redi ad ſecundam Tabulam ſeu Laminam; & in illâ illas lineas conſidera, quæ inſcribuntur, *Alphabetum per puncta.*

Orthographiæ ornidioris & facilioris gratiâ, lineæ duci poterunt colore rubro. Poterit charta præparari aut typo aut famulorum manu, ita ut non debeat Scriptor aliod facere quàm puncta adpingere. Hoc quidem aut alio ſimili Abecedario utebantur antiqui illi Graphiarij, qui linguam velocem præcurrebaot: unde Proqbeta Rex, *Lingua mea calamus Scribæ velociter ſcribentis.*

CCX.

Alius Modus.

LIteras conſooantes Hebræi pingunt, vocales pungunt: illæ enim habent pulchras figuras, & hę mecis puoctulis ſignificantur. Volu hodie cuntrà, nimirùm lineis exprimere vocales, & punctis conſonas. Conſidera Abecedarium ſubſequeos.

Valor	A	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m
Figura.	a	•	,	;	e	:	¦	?	ı	-	ʿ

n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z.
⁝	o	i	· ¿	/	ſ	\	u	\`	y	✱

Hunc ego Abecedarium ioveni, ut cum Comite Bernardo agerem: & primum exemplum fuit hoc.

I·¡e·a\ i: ,œ-iſ .e/ta/;uſ u \a-\ e/ A¡o--o
E--o;ui :i;i.uſ ¦/o\e!i' i¦ſe :i;eʿ
I: \e//iſ :o:\e/ .e/:a/;uſ A¡o--i:iſ ?uiuſ
E-o;uij eſ\ ſo,iuſ i·¡e,ii;ue ,oʿeſ.

Quod ad communes characteees traſnslatum dat hæc diſticha.

Imperat in cœlis Bernardus, ut alter Apollo,
Eloquij fidibus protegit ipſe fidem.
In terris noſter Bernardus Apollinis huius,
Eloquij eſt ſocius, Imperijque Comes.

CCXI.

DE LINEIS.

POſſemus huc omnes aut ferè characterum formas eeducere: pleræque enim, ſeu cultæ ſeu barbaræ, ſeu occultæ, ſeu veræ ſeu fictæ ductibus linearum conformantur: at nolimus illas ediſſerere, ſed ſolùm de lineis rectis & earumdem poteſtate tractare. Recognoſce Tabulam tertiam, & in illâ figuram illam, quę inſcribitur *Characteres Geometrici.*

Habes in primâ columnâ literas Abecedarij, definientes quam eſſe debeat longa linea, ut talem aut talem literam repræſentet. Poſteà ſuot lineæ perpeodiculares, quæ reddunt hanc vocem *Ferdinandus.*

Poſſemus lineas ipſas omittere, & ſolummodò illarum capita notare in ſecundâ figuræ parte in quâ capita linearum omiſſis lineis reponnotur. Et quidem omiſimus perpendiculares, & alias etiam parallelas poſſemus.

Hinc oriuntur primò *Characteres cœleſtes*, capita enim linearum poterunt per modum ſtellatum (quod etiam fecimus) configurari. Et poterimus elevare ad Deum Cœlumque oculos & audieotes Pſalmiſtam accineotem, *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius adnunciat firmamentum. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam*, ſubdubitare, an Conditor, *qui numerat multitudinem ſtellarum & omnibus eis nomina vocat*, hoc genere characterum aliqua in frontibus illis ſcripſerit, dicitur enim Apoſtolis & cum illis omnibus prædeſtinaos, *Gaudete, quòd nomina veſtra ſcripta ſint in cœlis?* Quid fecerit Deus in cœlis neſcio: at, ut ſpero, olim ſciam, *quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, Lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.* At quid potuerit dico.

CCXII.

CCXII.

Digreſſio I. de Cœleſtibus literis.

COnſidero Cœlum Sydereum tanquam Sphœram perfectiſſimam, cujus axes ſunt poli, qui dicuntur Zodiaci, illamq́ majoribus circulis ſe in axibus ſecantibus divido uno gradu diſtantibus. A polo ad polum inter duos arcus ſpacium comprehenſum conſidero, & verſus ſtellarum (hæ ſunt literæ cæleſtes) formo. Et incipiendo à ſectione vernâ, omnes omninò ſtellas, quæ ſunt in primo gradu (hæ ſunt quæ ſuperatâ ſectione nondum ſuperarunt primum gradum) accenſeo primo verſui; omnes, quę ſunt in ſecundo, ſecūdo: &c. Et quo ordine legendæ ſunt? Incipiam à boreali polo, & quæ ſint illi propinquiores, etiam erunt priores. Et quis illarum poteſtatem & valorem diſtinguet? longitudo. Et, ſi latinè eſſe ſcriptum Cœlum dicamus, poterimus his literis tantummodò uti: videlicet, *Abcde, fghil, mnopq, rstux.* quæ ſunt viginti, & ad exprimendas omnes voces latinas ſufficientes. Si hoc modo philoſophari velimus, debebimus dicere ſingulas literas habere tres ſcrupulos; adeòque ſtellam quæ eſt in primo, ſecundo & tertiò minuto eſſe A, quę in quarto, quinto & ſexto eſſe B. &c. Quid ſi ſtellares literas, non Abecedario Latino, ſed Hebraico reſpondere dicamus? Dicemus aliquid veroſimilius; & quia literæ Hebrçi Alephbethi ſunt viginti duæ, & præter ipſas eſt *Schin* ſtridens, & *Caph*, *Mem*, *Nun*, *Phe*, & *Tzade* finales, dicemus omnes literas eſſe viginti octo, & quia minuta ſunt 60. jubebimus, ut bina correſpondeant ſingulis; & ut illæ, quæ in quatuor ultimis gradibus cujuſcumque minuti ſint, quieſcant; hoc eſt, ſignificationem nullam habeant.

Hinc patet *primò*, motu cœli ſtellas fixas valorem & poteſtatem mutare, hoc eſt, *Aleph* tranſire in *Beth*, *Gimel* in *Daleth*. Sed quanto tempore? quanto duo illa minuta prætergredi poſſint: nimirum duobus annis & menſibus tribus vel quatuor.

Hinc patet *Secundò*, poſſe inſtitui aliam lectionem dividendo Sphœram circulis parallelis Zodiaco, & verſus ab æquinoctio verno ſecundum ſucceſſionem ſignorum producendo: & tunc longitudo dabit ordinem litteris, & latitudo poteſtatem.

Hinc patet *Tertiò* duas alias ſtellarum poſſe lectiones reperiri, quæ reſpiciant polos & circulum æquinoctialem.

Hinc patet *Quartò* poſſe alium modum eligendi Syſtema reperiri, nimirùm, ſi ad azimutha & almicantharatha recurramus, poſſemus enim dicere duas eſſe Cœli lectiones accidentales, hoc eſt ratione horizontis & horæ; alteram, in quâ azimutha dent literis ordinem, & almicantharatha valorē: alteram, in quâ almicantharatha dant ordinem, & azimutha poteſtatem.

Hinc patet *Quintò*, Planetas immixtos ſideribus fixis illorum etiam ſignificationem alterare: nam ſi literæ fixæ ſint *ave*, & Planeta ſit C. ex. gr. aliter ſonabunt & ſignificabunt illæ abſente Planetâ; aliter & aliter præſente & promoto per gradus: diverſas poſitiones propono. *Cave. aCve, avCe, aveC.*

Sic placuit de cœlo diſcurrere. Fortè aliquando potero uberiùs has ipſas fulgurantis ingenij ſpeculationes fuſo commentario illuſtrare: nunc in hæc dixiſſe ſufficiat, ad noſtros characteres redeamus.

CCXIII.

Digreſſio II. de Picturarum literis.

QUia ſcitè ab antiquo Poëta dictum eſt, *Pictoribus atque Poetis Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas*, adeò poſtquam egimus de quantitate literarum (terreſtrium, & cœleſtium) quæ videretur ad ſpecialem Metricā pertinere, nonnihil de picturis dicamus.

Aio poſſe conformari picturas Steganographicas, quæ oculos pascant, & intellectui aliquid occultum manifeſtent. puta ſi in Tabulâ tertiâ figura illa, quæ ſtellis pro literis utitur, ita delinearetur, ut ſtellarum loco oculi ponerentur (hominum, animalium aut avium) & additis poſteà corporibus pictura integra conformaretur

Addo poſſe alio etiam modo loqui tabulas; nam, ſi ponamus aquilam eſſe A, bovem B, cervum C. dromedarium D, equum E, &c. qui picturam reſpexerit, & viderit diverſas animantes, eas tanquam literas colliget, & varias dictiones conformabit. [*Nota*. Ut occultior & jucundior pictura ſit, jubebuntur animantes ſignificare literas à quibus non ſumunt exordium: Leo enim poſſet poni pro A, elephas pro B, tigris pro C, canis pro D: ſic enim nemo poterit picturam legere, qui clave careat.]

Subjungo homines poſſe & ſolere loqui manu, pede, aut etiam motu corporis: & poſſes hos eoſdem corporum ſitus exprimere picturis aut ſtatuis.

Hinc oriuntur Characteres Geographici: hinc Floridi: quoniam ſtellularum aut punctorum loco poſſemus urbes, pagos & prædia ponere, & addendo ad libitum maria & flumina Mappam Geographicam repræſentare: aut roſas & flores & ita faſciculum aut roſetum, aut hortum ob oculos ponere.

Moneo obiter me in margine iterùm iterùmque abecedarium addidiſſe, & in Geometrico & etiam Aſtronomico exemplo lineas parallelas duxiſſe, quæ literis diſtinguendis ſervient, at omnia hæc eſſe ſecreta debent, nec remanere in tabula, in quâ non lineæ ſed menſuræ loquuntur. Lecturus enim tabulam ex menſurâ cognoſcet puncti (ſtellulæ, oculi, urbis, floris, &c.) locum; & ex loco valorem; & ex valore utrùm literæ A, an verò B, aut alij cuicumque æquivaleat.

CCXIV.

De Superficiebus.

POſſumus etiam ſuperficiebus uti, ut mentis noſtræ ideas manifeſtemus; multæ enim ſunt figuræ apud Geometras, & omnes utiles, ut pro literis à nobis ſumantur. Aliæ enim figuræ ſunt egredientium & aliæ non egredientium angulorum: aliæ rectæ, aliæ obliquæ: aliæ

regulæ-

regulares, & aliæ irregulares: tam multæ omnes, ut componere poſſent ditiſſimum Abecedarium.

CCXV.

De Corporibus.

Sicut de ſuperficiebus, ſic etiam de corporibus philoſophabimur: ſunt enim multa & multiformia, & poterunt multis literis æquivalere.

Poſſunt lapides poni in muro pro literis, ita ut inſcriptio quædam ſit, cujus literæ non ſint lapidibus inſculptæ, ſed ſint ipſimet lapides.

Poſſunt plantæ in horto collocari pro literis, ita ut talis ſignificet literam A, talis literam B. &c. & tunc vegetativâ hortus dialecto poterit ſuo domino adulari.

Poſſunt ſerta eloqui: nam, ſi flores literis æquipollere ſupponamus (ita, ut talis flos ſit A, talis ſit B, &c.) poterimus loqui floridè, & ſerto aut faſciculo mentis noſtræ ſecreta reſerare.

CIPHRÆ

Tamyricæ.

CCXVI.

Literæ materia eſt figura: forma eſt valor: & quia idem materialis character ſonare poteſt, ut A, ut B, aut ut C. &c. hinc eſt, quod ſuccurrant multæ metamorphoſes & transformationes literariæ. Hanc artem תמורה *Thamura* Hebræus appellat, unde apud Græcos Latinoſque urta fuit illa fabula, quæ Thamyram fuiſſe muſicum & cum Muſis decertaſſe ſupponit. Eſt autem Thamura ars docens quo ſingulæ literæ modo poſſint accipi & ſupponi pro ſingulis. Hanc artem ob oculos ponit quarta Tabula, in quâ eſt ille circulus mobilis, qui complectitur directi Abecedarij Steganographicas commutationes. Et ille circulus poteſt ad hoc quadrum reduci.

	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	
A	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	u	x	y	z	Z
B	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	u	x	y	z	a	Y
C	c	d	e	ſ	g	h	i	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	u	x	y	z	a	b	X
D	d	e	f	g	h	i	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	u	x	y	z	a	b	c	V
E	e	f	g	h	i	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	u	x	y	z	a	b	c	d	T
F	f	g	h	i	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	S
G	g	h	i	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	R
H	h	i	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	Q
I	i	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	P
L	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	O
M	m	n	o	p	q	r	ſ	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	N
N	n	o	p	q	r	ſ	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m	M
O	o	p	q	r	ſ	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m	n	L
P	p	q	r	ſ	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m	n	o	I
Q	q	r	ſ	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m	n	o	p	H
R	r	ſ	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m	n	o	p	q	G
S	ſ	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m	n	o	p	q	r	F
T	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m	n	o	p	q	r	ſ	E
V	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	D
X	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	u	C
Y	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	u	x	B
Z	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	u	x	y	A

Ecce in tabulâ præcedenti damus 22. abecedarios directos & totidem indirectos: diſtinguuntur columnis, in quarum capitibus arithmetici numeri ſunt collocati. Characteres, qui in ſingulis columnis iſtis ſunt, dant literarum corpus figuramque; capitales autem, qui in prima & ultima columna ſunt, dant valorem & formam: directum valorem prima, indirectum & retrogradum altera. Verbi gratiâ. In Abecedario duodecimo directo *n* ponitur pro *a*: *o* pro *b*. &c. & in decimo-ſexto directu, *q* ſtat pro *a*, *p*. pro *b*. &c.

CCXVII.

Thamuræ uſus.

Totus à concordiâ (vel ut Joannes Trithemius loquitur, à conjuratione) ſcribentium recipientiumque literas pendet. Poſſent tradi milleni modi, hos conſidera.

Primò poſſent aliqui eligere unicum abecedarium, & illo uti: puta ſi eligant ſeptimum directum, qui eſt iſte.

Valor *ſ t u x y z a b c d e*
Figura. a b c d e f g h i l m

f g h i l m n o p q r
n o p q r ſ t u x y z

Et juxta illum ſuos conceptus ſcribere: ut ſi loco hujus verbi *Ferdinandus* ſcribere placeat *Nyzluſgflca.*

Secundò poſſent ita convenire inter ſe, ut prima linea ſcriberetur tali abecedario, ſecunda tali, tertia tali, &c. [Poſſent etiam ſingulas dictiones ſcribere diverſo abecedario: poſſent ſingulas litteras: poſſent & aliter inter ſe conjurare.]

CCXVII.

Ciphra, quam ſolus Deus poterit revelare.

Ultimæ lineæ occaſionem præbent, ut hanc ciphram ſubjiciam, quam dico à ſolo Deo poſſe exponi: & ſine ipſo à nullo mortali aut inmortali: illam ſubſcribo.

D	a	b	c	d	e	ſ	g	h	l	l	m
	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	a
E	a	h	c	d	e	f	g	h	i	l	m
	a	y	x	u	t	s	r	q	p	o	u
U	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m
	z	o	q	s	u	y	x	t	r	p	n
S	a	b	e	d	e	f	g	h	i	l	m
	z	x	t	r	p	n	o	q	s	u	y

Ecce quatuor Abecedarij, prior vocatur D. ſecundus E, tertius U, quartus S. & tota tabella ſimul Devs. Scripturus igitur aliquam ſecretam Epiſtolam, ſi velit hoc Abecedario uti, debebit primam literam ſumere ex primo Abecedario, ſecundam ex ſecondo, tertiam ex tertio, quartam ex quarto; quintamque ex primo, ſextam ex ſecundo: & ſic in poſterum. Pono exemplum: Vult Princeps aliquis ſuis militibus ſcribere.

Die quartâ mēſis urbē tradite, ſi ſuppetias nō dedero.

Et quidem benigniſſimè: cùm enim Principes obſeſſos juvare non poſſunt, non debent jubere ut pereant, nec eos falsâ ſpe & mendaci promiſſione decipere; ſed permittere, ut ſe tempori accommodent, & hoſti potentiori ſubjiciant. Ut ergo hanc epiſtolam ſcribat, debebit has literas ponere.

Qpu hbzicn nuſſpd leyuyggarxeu, ix ſeecthſnf nga uqrrgb.

Hanc inquam Ciphram aio à ſolo Deo poſſe revelari, quoniam alio modo Abecedarijs ordinatis nemo poterit Ciphram præſcriptam explicare. *Hanc etiam copioſiorem ſubjicio.*

Ordo Ciphrarum ſeu Abecedariorum.

Valor liter.	A	B	C	D	E	F	G	H	I	K	L	M	N	O	P	Q	R	S	T	V	X	Y	Z	&	W.
A	a	b	ſ	p	y	f	w	a	a	c	x	m	a	t	u	x	c	o	y	c	e	f	g	k	a
B	e	c	t	b	b	g	y	ſ	w	d	y	n	b	u	w	y	d	u	a	o	d	e	f	i	f
C	i	d	x	c	d	h	&	g	y	e	z	o	e	a	y	a	g	i	a	m	c	d	e	h	k
D	o	ſ	y	i	c	k	b	h	&	f	&	p	c	x	&	z	e	a	w	n	b	c	d	g	q
E	u	g	a	d	a	l	e	i	b	g	k	q	d	y	x	&	f	b	&	p	a	b	e	f	r
F	y	a	b	a	f	m	d	b	e	h	a	b	f	a	z	b	h	c	b	x	k	a	b	e	b
G	b	e	c	f	g	n	e	x	c	i	b	c	g	b	a	c	i	g	f	t	i	l	a	d	g
H	c	i	d	g	h	p	f	l	d	k	c	d	k	e	d	f	k	h	e	s	h	i	m	e	m
I	d	o	f	e	u	q	g	m	f	l	d	e	h	c	b	d	l	f	d	r	g	h	l	b	ſ
K	p	u	g	h	k	r	k	n	g	m	e	f	i	d	c	e	m	d	c	q	f	g	k	a	t
L	f	y	a	k	l	ſ	l	c	i	n	f	r	l	f	e	g	n	k	g	g	p	f	i	&	c
M	g	h	e	l	m	r	m	o	h	o	g	ſ	m	g	f	h	o	l	l	f	o	q	h	a	h
N	h	i	i	m	e	x	n	p	k	p	h	t	p	x	i	l	p	e	k	d	n	p	r	y	n
O	l	k	o	n	n	&	p	q	l	q	i	u	n	h	g	i	r	m	i	c	m	o	q	x	u
P	m	l	u	p	r	z	q	r	m	i	l	w	o	i	h	k	q	n	h	b	l	n	p	w	w
Q	q	m	v	q	p	a	r	d	o	s	m	g	q	l	x	m	s	p	m	x	u	m	o	u	d
R	r	n	w	u	q	e	s	s	n	t	n	h	r	m	l	n	t	r	q	a	t	W	n	r	i
S	ſ	p	h	r	ſ	i	t	t	p	u	o	i	u	p	o	q	x	s	p	r	s	u	x	s	o
T	t	q	l	s	r	o	x	u	q	x	p	l	s	n	m	o	W	r	o	l	r	r	W	r	x
V	k	r	k	t	i	u	z	w	r	y	g	&	t	o	n	p	u	q	n	u	q	s	u	q	y
W	x	s	m	x	W	W	a	e	u	z	r	x	W	q	p	r	y	&	r	W	&	r	t	p	e
X	y	t	n	y	x	y	e	x	s	W	s	y	x	r	q	s	a	W	u	y	a	&	s	o	l
Y	z	x	p	a	y	b	i	a	t	&	t	z	&	W	t	W	&	z	W	a	y	a	&	n	p
Z	&	a	a	W	&	c	o	y	x	q	u	k	y	s	r	t	b	y	t	&	x	y	a	m	z
&	w	w	r	&	a	d	u	&	a	b	W	a	a	&	ſ	u	a	x	ſ	y	w	x	y	l	&

Ecce habes, amice Lector, viginti quinque Abecedarios, quibus diverſimodè poteris uti, ut mentem tuam amicis ſecretiſſimè exponas. Et primò poteris uti aliquo determinato: ut, ſi volueris Abecedario W, expreſſurus has literas, *Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis*: pones has *Qslsx Qubsnyo Qubsnu hru, orqr à qrlxiobrso.*

Et secundò uti poteris omnibus ſucceſſivè; nimirùm, ſi primam (lineam, dictionem, literam) ſumas ex abecedario A, ſecundam ex abecedario B, tertiam ex C, &c.

Et tertiò poteris deſerere ordinem literarum, & tibi præfigere aliquam dictionem, quam Regentem appelles; dictionem, inquā, cujus literæ determinent, quo ordine ſibi debeant ſuccedere Abecedarij. Nam ſi noſter Regens ſit Devs, prima litera ſumetur ex Abecedario D: ſecunda ex E, tertia ex U, quarta ex S. quinta iterùm ex D: ſexta ex E: ſeptima ex U: octava ex S: & nona iterum ex D. &c. & ſi utaris hoc ſcribendi modo, nos, niſi & nobis Regens ſit Deus, non poterimus literas tuas intelligere, vel explicare. *Pono exemplum*: Nomine Cæſaris Duci Sebaldo hanc Epiſtolam ſcribis.

Anaaaeeeiiiiloaion uiudt ur cybſoi pr nāmſeb Omerql Reqkuul di ibutrql raminbruai.

Receptâ

Receptâ epiſtolâ ad præcedentem tabulam accedit Sebaldus: & conſiderans ſingulas columnas, ſic inquit. Prima perdendicularis, quæ *Valor litterarum* inſcribitur, dat ſingulorum characterem, qui in alijs columnis configurantur, poteſtatem. Et literæ quæ in capite ponuntur, dant ordinem columnarum; quoniã ſingulę continent ſingulos & integros Abecedarios. Quis ergo cæca reget filo veſtigia? quis erit Regens? Erit Rector, potens verax Deus. Et ope Dei Sebaldus poterit veritatem ſecretam indipiſci. Jubet igitur DEUS, in Regentem electus, ut litera prima, quinta, nona, &c. reſpondeat Abecedario D: ſecunda, ſexta, decima, &c. Abecedario E: tertia, ſeptima, undecima, &c. Abecedario U: quarta, octava, duodecima, &c. Abecedario S. &c. & reperit tuas litteras iſtis æquipollere.

Ferdinandus Cæſar iubet, ut capias & occidas Aunium, Paulum, & Sernium proditores.

Mentem & voluntatem Invictiſſimi Imperatoris Dux Sebaldus aſſequitur: illos intercipi; & puniri curat, & patriam liberat à proditoribus.

CCXIX.

Ciphra, quam non poterit Deus & tamen Diabolus poterit revelare.

AN ne blaſphemus eſt noſter calamus, qui ſcientiam Diabolo concedit, quam negat Deo? An homo poteſt adquire notitias à Dæmone, quas à Deo non poſſit? Tinniunt & amareſcunt aures, ais, cùm inſolentem hanc & ab omnibus condemnatam aſſertionem ſubaudire coguntur. Reſpondeo: multa grammaticè & ſteganographicè de Deo dici, Theologicè dici non poſſunt. Ait Gramaticus *Deus debet declinari ferè ut Dominus. Habet caſus & numeros. Eſt diviſibilis & partes habit. Habet principiũ finemque, durat tempore, & eſt ens ſucceſſivum.* &c. Et quidem bene dicit. *Deus* enim eſt nomen, quod ad ſecundam declinationem ſpectat, & ideò non declinatur ut *Muſa* aut *Sermo* &c. ſed ut *Dominus*. & non omninò ut *Dominus*; ſed ferè: quoniam non habet in vocativo *Dee*, ſed *Deus*. Subeſt caſibus: nimirùm Genitivo, Dativo, Accuſativo: &c. Numeris: nimirùm, Singulari & Plurali. Eſt diviſibile hoc nomen *Deus*, quoniam ex duabus componitus ſyllabis & quatuor literis, & in eaſdem dividi poteſt. Habet principium finemque; incipit enim à D, & finitur in S. & quia ſucceſſivè ſcribitur & profertur, durat tempore, & ſucceſſivorum Ennum cenſui adſcribitur. Interim has & ſimiles phraſes non patietur Theologus, non vocem ipſam *Deus* ſed rem ſignificatam conſiderans. *Aſſeret Deum declinandum non eſſe ſed quærendum, adorandum, amandum. Addet eumdem non eſſe ſicut Dominum: ſed potiùs Regem Regum & Dominum dominantium. Eſſe indiviſibilem, æternum, ſimultaneum principij & finis neſcium: adeòque æternitate non vero tempore aut ullâ ſucceſſiva duratione exiſtentem.* Hac doctrina præmiſſa ſit Concluſio.

Poterit nos Diabolus regere & iuvare, ut certò & infallibiliter intelligamus ſecreta, quæ non aſſequeremur, ſi nos regeret Deus.

Illam repono, explico, demonſtroque. [Poterit inquam, nos regere & iuvare vox *Diabolus*, (videlicet, ſi eam Rectricem & Abecedariorum ordinatricem eſſe velimus) ut certo & infallibiter intelligamus ſecreta, quæ non aſſequeremur omnino, ſi contemptâ voce *Diabolus*, regi vellemus à voce *Deus*. Pono exemplum. Reperis has literas inſcriptas.

AAAA EEEE III.

Et ope Dei (hoc eſt vocis Deus) reperies, quod illis ſignificatur FERDINANDUS: quod ipſum nullo aſſequeris modo, ope Angeli, Hominis, Diaboli, &c. (hoc eſt, ſi ciphræ Regens ſit vox *Angelus*, vox *Homo*, vox *Diabolus*: &c. Iterùm ejuſdem Imperatoris nomen reperis latens ſub horum characterum ſpecie:

ABRFCHAEIRS.

Si tibi *Deus* (hoc eſt, vox) *Deus* ſit regens, valor harum litterarum erit hic: *F bnckrudph* Ergo nullus: quoniam iſtæ nil omninò ſignificant. Si tibi regens ſit *Angelus* (hoc eſt, vox *Angelus*) etiam aliam litterarum connexionem invenies. Sed, ſi regens ſit *Diabolus* (nempe, vox *Diabolus*) ſcies verum illarum literarum ſenſum: diſces enim quod ſub iis characteribus latet hoc nomen FERDINANDUS. Stat igitur te poſſe ope Diabolica (hoc eſt, concurrente & te regente & manudocente voce *Diabolus*) intelligere arcana, quæ non poteris unquam ope Dei (hoc eſt concurrente & te manuducente voce *Deus*.) Cæterùm, licet hoc veriſſimum ſit apud Steganographicos, qui ſuâ dialecto utuntur, apud Philoſophos & Theologos, qui de rebus & non de vocibus ſermonem inſtituunt, non eſt verum: & ideò cautè debebis uti eiuſmodi phraſibus, ne fortè dum nimis rigoroſè & occulte vis loqui, aliquos ſcandalizes: nam ſapientibus & inſipientibus debitor es, & te debes captui ſingulorum attemperare, ne puſillos perturbes.

CIPHRÆ

Spirituales.

CCXX.

GRæcus duos cognoſcit ſpiritus; aſperum leneinque: quos ſic delineat (c ɔ) & laxiore acceptione vocis etiam accentus nominantur ſpiritus, & ſunt acuti, graves & circomflexi: & pinguntur hoc modo (/ \ ^) dantur præterea duo alij ſpiritus: videlicet copulans & diſtinguens: quorum prior litteras connectit, poſterior ſeparat & diſtinguit: & notantur hoc modo (- ··) ſubjungo exempla.

Spiritus denſus. — *ὕμνος. Hymnus.*
Spiritus lenis. — *ἠώς. Eos* Aurora.
Spiritus acutus. — *Amáveram.*
Spiritus gravis. — *èrudìtè.*
Spiritus circumflexus. — *In aulâ.*
Spiritus copulans. — *Rem-públicam.*
Spiritus dividens. — *Aëream.*

Si igitur his utamur ſpiritibus, magna poterimus in hac arte polliceri miracula. Spiritibus addo ſilentia & pauſas, hoc eſt, commata & puncta Grammatica, illiſque integrum Abëcedarium formo. Conſidera lineas ſequentes.

Valor	A	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m
Figura.	ɔ	c	/	\	ʌ	^	—	..	·	;	;
	n	o	p	q	r	s	t	v	x	y	z.
	†	*	!	?	¿	!	¡	(	)	[	]

Qui voluerit hujuſmodi ſilentiis, pauſis & ſpiritibus uti, poterit per illa loqui, movere animos, & ſecreta quælibet amicis abſentibus pandere. Subiiciamus exemplum. Recipis hanc epiſtolam.

/ * ; ʌ ! ¿ * ; ʌ :. (! ¡ʌ ?(, ʌ ¿ . ¡ (¡ ¡ʌ
* / / . \ , ; † ʌ ¡ ʌ † ʌ - : - , ¿ ? (ʌ ! * (, : ʌ

Et ad præſentem Abecedarium veniens reperis hanc ſententiam, *Comes Romelius te quærit, ut te occidat; ne te negligas, quæſo. Vale.*

Poterunt hæ literarum notulæ multis modis mutari & variari & novos Abecedarios producere, quos inſinuaſſe ſatis ſit, non enim volumus ea omnia dicere, quæ poterit Lector proprio ingenio & labore detegere.

CIPHRÆ.

Vocales.

CCXXI.

ISTas, quas Vocales appello, eo quòd nullam illæ conſonantem admittant, addo propter quoddam antiquum Epitaphium, quod producit Merula *Coſmographiæ part. 2. libr. 3. cap.* 28. quod lubet ob oculos ponere, & exponere.

Fuit Batthſaius, unus ex ſummis militiæ Principibus, qui occupaverunt Galliam: cujus ſepulchrum repertum eſt anno Chriſti 1541. in finibus antiquæ Aquitaniæ, in campo Inculſimenſi, in oppido octo milliaribus ultra Inculiſmam, olim dicto Batthſay, in latere ſiniſtro fluminis Carantonis. Epitaphium eſt hoc.

Α Ε Η Ι Ο Υ Ω
Ω Υ Ο Ι Η Ε Α
Ε Η Ι Ο Υ Ω Α
Υ Ο Ι Η Ε Α Ω
Η Ι Ο Υ Ω Α Ε
Ο Ι Η Ε Α Ω Υ
Ι Ο Υ Ω Α Ε Η

Hoc Epitaphium non niſi literas vocales habet, & ut ſpecimen aliquod præmittam, quod poſſit nos poſteà juvare, hoc prius Latinum Abecedarium pono & explico.

Valor	A	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m	
Figura.	*aa.*	*ae.*	*ai*	*ao*	*au:*	*ea*	*ee*	*ei*	*eo*	*eu.*	*ia*	
	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z.	orum
	ie	*ii*	*io*	*iu:*	*oa*	*oe*	*oi*	*oo*	*ou.*	*ua*	*ue*	*ui*
	us	con										
	uo	*uu.*										

Scribamus igitur juxta literas hujus Abecedarii iſtas lineas.

Iooooaioooooaaa Iaaaeoui aoauaiiieaaaoi oiau Iaaaoueoaaau Iooaeoieaiauiooe. Ioooaiooooaaauoooe Oaauecoora aeooi oieoaeeo aiauaoeooi euieieioe.

Quæ ad noſtrum Abecedarium translatæ alloquentur Ferdinandum Philippi III. filium, Philippi IV. fratrem S. R. E. Cardinalem, Belgii Gubernatorem: dicentque.

Purpura Maiorum decorat tè Maxime Princeps.
Purpureus Regum bis tibi cedit honos.

Et quidem bis, aut etiam pluries, debebatur Auſtriaco Ferdinando purpura: fuit enim abnepos Cæſaris; & Regis nepos, filius, frater: & quia Cardinales ut Reges in Eccleſiâ ſunt, etiam hoc nomine purpura Regia debebatur.

Hâc doctrinâ præventus ad Epitaphium illud converto oculos, & quia nonnulla obſervo, illa ſubſcribo. *Primò*, habet illud omnes literas vocales, quas Græci norunt, & conſonantem nullam. *Secundò*, omnes lineæ ſunt anagrammata primæ. *Tertiò*, prima linea, ſi retrogrado motu legatur, dat ſecundam. *Quartò*, prima linea incipiendo ab E, dedit tertiam: & incipiendo ab H, quintam, & incipiendo ab I. ſeptimam. *Quintò* ſecunda incipiendo ab Y, dedit quartam: & incipiendo ab O ſextam. *Sextò*, conſiderando eaſdem literas ſecundum ſuas columnas perpendiculares nonnulla video. Prima columna incipiendo ab E, habet has literas ΕΥΗΟΙ, quas omnes & eodē ordine in columnâ ſecūda reperio. Has tres literas, ΥΕΩ & eodē ordine reperio in quartâ columnâ, quintâ, & ſextâ: imò etiam in ſeptima, ſi benè illa

conſideretur. Quis ergo credet, carere myſteriis inſcriptionem, quæ tanta eſt arte delineata? Igitur illam explicemus, & ut commodius & liquidius poſſimus, hoc Alphabetum præmittamus.

Valor.	Α	Β	Γ	Δ	Ε	Ζ	Η	Θ	Ι	Κ			
Figura.	[illegible]												
Λ	Μ	Ν	Ξ	Ο	Π	Ρ	Σ	Τ	Υ	Φ	Χ	Ψ	Ω
[illegible]													
Diphthongi.	ΑΙ	ΑΥ	ΕΙ	ΕΥ	ΟΙ	ΟΥ.							
	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]							

Hoc Alphabeto poſito facile erit illo uti, ut vel ſcripta communi charactere hoc modo reſcribamus; vel hoc modo ſcripta, ad literas communes reducamus, & ut loquimur Steganographici, exciphremus: nam, ſi jubeamur ſcribere hanc vocem Ἀριςοτέλης, debebimus has vocales adpingere, [illegible] Quid ergo ſonabunt & ſignificabunt inſcripti ſaxo characteres? ſubiicio.

ΚΑΘΕΥΔΕΙ ΓΩ
Ο ΒΑΤΡΑΣΘΑΙ ΔΕΙΝ.
(ΓΩ ΚΑΙ)

Hoc eſt. *Dormit, iacet (heu!) ipſe Barthſaius, illuſtris nobilis. Heu kai!* hoc eſt *καθεύδει, dormit:* aut *Heu kai!* hoc eſt *καραντωνα Carantona.* Quod Epitaphium ad hæc carmina reduci poterit.

Ad Gallos venit Troia qui primus ab oris,
Hic Barthſaie iaces; ſit tibi terra levis.
Et tu Caranton, fueras qui hoc Principe felix,
Undas quot volvis, fundito tot lachrymas.

Sic divinare placuit, ſiquis meliora ſciat, me auditorem ſtudioſum habebit.

CIPHRÆ.

Parca.

CCXXII.

SI Ciphras præcedentes prodigas dixeris adquieſcam: duas enim literas ſcribunt, ut unam ſignificent: parcas addidero, quæ unicam ſcribant, & duas ſignificent. Conſidera Paradigma, quod Tabulæ IV. Figurâ IX. delineavi.

Imple igitur cellulas, quæ ibi patent, characteribus diverſis, pro arbitrio (ego enim illas malui vacuas relinquere, ut me tuæ voluntati & ingenio attemperarem) *& poſteà primam literam quære in margine, & ſecundam in capite, & in angulo communi characterem offendes, qui utramque ſignificet.* Quam ob rem, ſi ſcribenda ſit hæc vox FERDINANDUS: ſumam F in latere E in capite, & in angulo communi reperiam verbi gratia characterem ♌: poſteà, ſi ſumpto in latere R, & in capite D, characterem ♌ angulus communis exhibeat. Et, ſi ſumpto I in latere, & N in capite, characterem ☽ in angulo communi invenias: &, ſi iterum A in latere & N in capite, dent ☉ in angulo communi: &, ſi D in latere & V in capite dent ☿: & tandem S utrobique (in latere & capite) dent angulum communem ♂. hæ undecim literæ FERDINANDUS, ſignificabuntur iſtis ſex ♌ ♉ ☽ ☉ ☿ ♂.

PARS POSTERIOR

CIphras effabiles & diviſibiles hucuſque dedimus: ineffabiles & indiviſibiles addimus. Effabiles & diviſibiles diximus illas, in quibus tot reperiuntur characteres quot in linguâ literæ: ineffabiles & indiviſibiles illas, in quibus totus character totum ſignificat objectū, nec dantur partes, quæ vocum partibus correſpondeant: nam hæc vox *Venus* diviſibilis eſt in duas ſyllabas, in quinque literas: at hic character ♀ totus totam Venerem ſignificat: & licèt phyſicè ſit diviſibilis (puta in ○ & +) non tamen ita ut altera pars æquivaleat ſyllabæ *Ve*, & altera ſyllabæ *nus*. Id genus Ciphrarum *Notas* dicimus, & ut altiùs illas intelligas, periodos has in gratiam Eruditorum, aut etiam Theologorum addamus.

Ab ipsâmet definitione exordium ſumens, ſic inquam. *Nota eſt Ciphra formaliter indiviſibilis.* Conſultò poſui illud *formaliter*: Nota enim materialiter ſumpta poteſt eſſe diviſibilis aut indiviſibilis, indiviſibilis, ſi punctum ſit; diviſibilis ſi linea, ſuperficies, corpus, motus, oratio, aut quæcumque alia ſpecies quantitatis. Sanè Nota eſt formaliter indiviſibilis, quia non cōponitur partibus, quæ partibus nominū correſpondeant, ut vidimus in Notâ ♀, quæ ſignificat Venerem, et modo in Notâ ☽, quæ Lunam repræſentat videbimus. Materialiter compoſita eſt ex duobus ſemicirculis, & tamen prior non æquipollet ſyllabæ *Lu*, nec poſterior ſyllabæ *na*. Hac de cauſa

Notæ

Notæ dicuntur ineffabiles, quoniam partibus carent, quæ literis linguæ reſpondeant: dicuntur etiam ineffabiles, quoniam ipſæ, eſt homines aut hodie redderentur muti, aut ab initio tales eſſent, ſua obiecta independenter à vocibus ſignificarent: at ipſæ effabiles per accidens ſunt; quia multis vocibus, juxta diverſas linguas exponi ſolent; quando enim ego ſcribo *Sol*, Græcus, Latinus, Barbarus legit *Sol*: at quando ſcribo ☉, quia hoc ſignum non habet pronunciationem ſpecialem & propriam, ſingulæ gentes per accidens juxta propriæ linguæ illud fundamenta pronunciant: Latina enim legit *Sol*, Græc. Ἥλιος, Itala *Sole*, Gallica *Soleil*, Hiſpana *el Sol*, Germana *Die Sonn*: &c.

Ciphræ effabiles & diviſibiles freqnentiſſimè in Sacrâ ſcripturâ reperias, frequentiſſimè ineffabiles & indiviſibiles: progrediemur igitur, & ita Steganographis ſerviemus, ut & Theologis & textûs Divini Expoſitoribus accuratiſſimè ſatisfaciamus.

CIPHRÆ

Per lineas.

Arithmetici ſuas Notas habent, ſuas Logarithmici, ſuas Geometræ, ſuas Aſtronomi, ſuas Medici, &c. nimirùm Arithmetici has, 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. &c. Logarithmici has —+— ——, quarum prior numerum ſignificat poſitivum, poſterior negativum ſeu minorem nihilo, qui apud Ioannem Neperum Logarithmorum Inventorem frequentiſſimus & etiam potentiſſimus eſt. Geometræ præter alias, iſtas, √ radicem quadram, √√ radicem cubicam. Aſtronomi multas Planetarum ☉ ☽ ♄ ♃ ♂ ♀ ☿ ſignorũ ♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍ ♎ ♏ ♐ ♑ ♒ ♓: aſpectuum ☌ ☍ △ □ ✱ &c. ☊ ☋ &c. & quæritur, An poſſit ex meris Notis integra conformari Grãmatica, quæ ob oculos ponat ineffabiles & indiviſibiles orationis partes & earũdẽ caſus, &c? Et reſpõdebũt Sinenſes aſſertivè; nõ enim habent literas ipſi ſed Notas res integras ſignificantes; & quot & quales ipſi? multa millia, & ut video inconcinna & imperfecta, quæ poſſent ad artem reduci: ne autem nihil omninò de Idiomate & Orthographiâ Sinenſium dixero, has paucas periodos ſuperaddam:

CCXXIV.

CHARACTERES SINENSES.

Habet ſupra quadraginta notarum millia communis Orthographia Sinenſium: nemo enim minori characterum numero poteſt negotia expedire civilia: at Philoſophi, Theologi, & Iuriſperiti præter iſtos characteres adhuc triginta millia diſcunt, ut conceptus ſuos poſſint debito modo propalare.

In ipſis Sinenſium characteribus, ſicut etiam in vocibus, nullam ego rationem aut legem reperio; & hanc ob rem Artem inferiùs tradam, quâ qui uteretur, poſſet magno compendio notas ineffabiles ſcribere & Sinenſes Doctores imitari.

Sinenſes deorſum ſuos chareacteres ſcriptitant, & formant columnas notarum, ut in Tabula VIII. videre eſt: ſed & columnæ ipſæ ordinantur à dextera in ſiniſtram more hebræo.

CCXXV.

Grammatica Sinenſis.

Agit hoc anno M. DC. LIV. Viennæ in Auſtria Dominicus Fichinpai. vir bonus & induſtrius, natione Sina, & qui etiam idioma Luſitanum percallet. Cum eo egi, ut aliquam hujus idiomatis poſſem adquirere notitiam: & ad eius labium & calamum Tabulam VIII. conformavi: quam nunc expono.

Partes Sineoſis Orationis octo ſunt: Nomen, Pronomeo, Verbum, Participium, Præpoſitio, Adverbium, Interiectio & Conjunctio.

De *Nomine*. Habet duos numeros: ſingularem & pluralem: tres caſus: Nominativum, Genitivum, Dativum: nullum genus ſi proprie vocabulum ſumatur.

Deus vocatur *Thien-tchu*, hoc eſt, *Cœlum me-amavit*. Homo dicitur *Ghin*. Conſidera inflectendi modum.

Nom. Homo-Deus. *Ghyn-Thien-tchu.*
Genit. Homo-Dei. *Ghyn-szu- Thien-tchu ſenthi.*
Dat. Homo- ad Deum. *Ghyn foſzu Thien-tchu.*

Omnia verba vel ferè poſtulant Dativum: hoc eſt, obliquum cum præpoſitione, *foszu*.

De *Verbo*. Sina non variat verbum, ſed loquitur ac Latinus, qui diceret: *Ego hodie amans Deum. Ego heri amans Deum. Ego cras amans Deum* Pono exemplum in verbo *Thu*; quod invariabile eſt & ſignificat legere.

Ego lego. *Gno thu thu*
Tu legis. *Ni thu lai*
Ille legit. *Schin ma ghiju thu.*
Nos legimus. *Gno-men tzu chia thu.*
Vos legitis. *Gno-men thu chia lay thu.*
Illi legunt. *Tha-men Schien thu.*

Vbi notandum eſt, *men* eſſe notam Pronominis pluralis: & vocem *thu* ſemper invariatam manere.

Aliæ Orationis partes non habent artificium ullum; & ideò, qui earumdem cognoſcat materiam, illam noſcet exactè.

Quæris. An charactere Sinenſi poſſis voces Latinas, Græcas, aut Hebræas exprimere?

Reſpondeo primo Sinas carere litera R, & ideò illius loco ſubſtituere ſolere L: & hanc ob rem Dominicus Fichinpai, cujus mentionem feci, non vocabat meos Religioſos *Padres*, ſed *Padles*: non me *Caramuel*, ſed *Calamuelo*.

Reſpondeo ſecundò vix eſſe monoſyllabam voculam, quæ non habeat aliquam ſignificationem in Sinenſium idiomate: & hanc ob rem poſſe & ſolere voces noſtrarum linguarum dividi in ſyllabas, & ſic à Sinis ſummâ facilitate conſcribi. Recognoſce attentè octavam Tabulam, in qua præter iſta, quæ dixi, etiam notas Arithmeticas Sinenſes, & antiquas Bohemicas es reperturus.

CCXXVI.

NOVA ARS NOTARIA.

AN-ne ad Artem & regulas poterimus hos *Sinenſium characteres reducere, aut conformare alios faciliores & meliores, quos manus liberiùs delineet, & memoria ſecuriùs & liquidiùs retineat?*

Poterimus. Et ut id clarè oſtendam, artem ipſam ſubſcribo. Sic inquam, Omnis nota quatuor clauditur lineis, hoc modo, □: has lineas diſtinctio pulchritudoque poſtulant, nec gravabitur illis Scriptor, quia poterit præparari charta columnis quadrorum inſcripta aut impreſſa, ita ut calamus ſolos apices addat. Columnas conſultò dixi non canones, quia Sinenſes, quos imitamur hodie, per columnas ſcribunt deorſum tendentes, & columnas à dextrâ ad ſiniſtram numerantes, ut videre eſt Tabulâ IV. in quadris, quæ notæ inſcribuntur.

In quadro ponuntur lineæ, quæ ſignificant res, & extra ponuntur puncta, quæ ſignificant caſus rerum. Lineæ ſecundum quatuor poſitiones pinguntur (videlicet, I — \ /) & ſunt duplices rectæ & tremulæ.

Lineæ etiam hæ ad quatuor claſſes reducuntur, aliæ enim non tangunt margines: aliæ primam, aliæ ſecundam, aliæ utramque.

Præter lineas ſimplices etiam dantur compoſitæ (tales ſunt, ✛ X ◆ ● ⊖ &c.) quæ omnes habent ſignificationem ſpecialem.

Singulæ notæ □ quadratæ ſunt: & in quadro prima linea & ſuperior: ſecunda inferior: tertia dextera: quarta ſiniſtra.

Nomina ſubſtantiva habent omnes lineas rectas: adjectiva habent primam duplicem. Verba activa habent tertiam lineam duplicem: paſſiva quartam: adverbia ſecundam.

Numeri adduntur lineis: qui ſunt lineolæ adiacentes hoc modo: *I II III. IIII. V. VI. VII. VIII. VIIII. VV.*

Numeri additi primæ lineæ pertinent ad Lexicon, & generalem notæ ſignificationem.

De Nomine.

ETiam aliquid de Nominum declinatione addamus. Numeri ſunt duo: ſingularis, & pluralis. Ille intelligitur, ubi pluralis non exprimitur: iſte tam in nominibus quàm in verbis ſignificatur duabus lineolis // angulo ſuperiori ſiniſtro adiacentibus.

Caſus ſunt decem (obliquos caſuum nomine intelligo: ubi enim non exprimitur alius caſus intelligitur nominativus) videlicet. I. Genit. II. Dat. III. vocat. IV. ſupra. V. infra. VI. cum VII. ſine. VIII. inter. IX. apud X. contra. Omnia verba regunt Dativum. Caſus notantur lineâ quarta.

De Verbo.

MOdi in Verbis ſunt quatuor, I. Indicativus, II. Imperativus, III. Subjunctivus, IV. Infinitivus. Poſſemus & alios addere, ſi vellemus. Iſti lineæ ſecundæ adſcribuntur.

Tempora ſunt ſeptem: I. Præteritum pluſquam perfectū: II. perfectū III. Imperfectum: IV. Præſens: V. Futurum imperfectum: VI. Futurum perfectum, VII. Fut. pluſquam perfectum. Et iſti numeri adfiguntur tertiæ lineæ.

Perſonæ ſunt ſex: I. Ego: II. Tu: III. Ille: IV. Nos: V. Vos; VI. Illi, Et ipſæ adfiguntur lineæ quartæ.

De Pronomine.

DVplex eſt: agens, patiens: illud tacitè ponitur, cùm perſona agens: hoc eſt in lineâ quartâ: iſtud (ſeu in nominibus, ſeu in verbis, ſeu in præpoſitionibus) adfigitur quintæ lineæ, quæ formatur exteriùs in angulo inferiori ſiniſtro: & ideò nominatur adfixum.

De Participio.

SEcundæ lineæ iſtum characterē ¦V adfingit: & habet tempora ſeptem ut Verba, & caſus decem ut Nomina.

De cæteris Orationis partibus.

PRæpoſitiones ſunt caſus nominum. Adverbia è nominibus deducuntur. Interiectio & Conjunctio Tabulâ IX. delineantur.

LEXICON.

DEus extra omne creatum prædicamentum jure ponitur: & notâ triangulari conformatur hoc modo △. Perſonæ etiam (omnes, & ſingulæ) adſcribi poſſunt. Vide Tabulam IX.

Deum eſſe ſphæram intelligibilem cujus centrum ubique ſit, & nullibi circumferentia, inquit Mercurius Trimegiſtus.

Ergo

Ergo ad eius mentem Deus notetur hoc modo. O.

Angelus eſt imago Dei; & Homo etiam: ergo notabitur ille hoc modo ⊖ iſte hoc ⊕

Hæc nota □ eſt abſtractiſſima: & ſignificat *Ens*. & dividitur in decem categorias ſeu prædicamenta: videlicet, I. Subſtantiam, II. Quantitatem III. Qualitatem. IV. Relationē. V. Actionem, VI. Paſſionem. VII. Durationem. VIII. Vbicationem. IX. Situm. X. Habere.

ENS CORPOREVM. I. Terra. II. Lapides. III. Metalla. IV. Aquæ. V. Aër. VI. Venti. VII. Venti VIII. Cœli. IX. Planetæ. X. Aſtra fixa. Et ſingula in decem ſpecies dividuntur. *Terra*; ſecundū notitiam quam habemus dividitur in 1. Hiſpaniam, 2. Galliam, 3. Italiam, 4. Siciliam, 5. 5. Germaniam. 6. Septentrionalem Regionem. 7. Aſiam. 8. Aphricam, 9. Americam, 9. Regionem Auſtralem: 10. Regionem incognitam: *Lapis* dividitur in 1. Gemmam (per ſe) 2. Matrem gemmæ (vocat) 3. Adamantem. 4. Rubinum. 5. Smaragdum. & alias differentias quas velis. *Metallorum* ſpecies ſunt, 1. Aurum, 2. Argentum, 3. Ferrum, 4. Cuprum, Stannum, 5. Æs, 6. Calybs, 7. Plumbum. 8. & 9. ſint metalla artificialia, & 10. Argentum vivum. *Aquæ* in varias ſpecies, maria, &c. poterunt dividi. *Venti* apud veteres erant duodecim, iam 32. apud Hollandos. *Cœli* hodie numerantur undecim, quorum infimum locum cœlum Lunare poſſidet, ſummum Empyreum. *Planetæ* ſeptē ſunt; & hoc ſolent ordine enumerari. 1. Sol, 2. Luna, 3. Saturnus, 4. Iuppiter, 5. Mars. 6. Venus, 7. Mercurius. 8. Adde Satellites Iovis, 9. In aures Saturni: &c. *Aſtra fixa* ſunt multa & poſſunt & ſolent in varias conſtellationes ſubdividi.

ENS VEGETATIVUM in multa dividitur genera; præcipua ſunt. I Quercus, II. Pinus, III. Pyrus, IV, Malus, V. Amygdalus, VI. Morus, Nux. VII. Segetes. [Huc pertinet 1. Panis, 2. Vinum, &c.] VIII. Flores, IX. Herbæ: &c. Et in ſingulis generibus varias reperimus ſpecies.

ENS SENSITIVUM. Huc ſpectant hæc genera, I. Homo, II. Leo, III. Tigris, IV. Elephas, V. Canis, VI. Avis, VII, Piſcis, VIII. Serpens, IX. Muſca. &c: & ad ſingula genera cæteras ſpecies reduces. [Homines inter animalia ponimus, ut nos communi ſententiæ attemperemus: eumdem apud Angelos etiam, ut aſſentiamur illi qui dixit Deo, *Minuiſti eum* (hominem) *paulo minùs ab angelis*. Non oberit, ſi duplici nota poſſit ſignificari.

Homo ſpecies non habet & ideò non in poteſtativas, ſed reales potentias & partes diſtinguitur; præcipuæ ſunt: 1. Intellectus, 2 Memoria, 3 Voluntas, 4 Viſus, 5 Auditus, 6 Odoratus, 7. Guſtus, 8. Tactus, 9 Senſus communis, quo nomine omnes potentias materiales perceptivas interiores intelligo: 10 Appetitus ſenſitivus. Hæ ſunt intentionales potentiæ quæ inveniuntur in homine. Partes præcipuæ hæ. 1. Cor, 2. Sanguis, 3. Caro, 4. Oſſa, 5. Nervi, 6. Caput, 7. Collum, 8. Pectus. 9. Brachium. 10. Manus, 11. Digiti, 12. Vngues, 13. Vēter, 14. Viſcera, 16. Sexus, 17. Femur, 18. Genu, 19. Tibia, 20. Pes. &c.

QVALITAS. Eius ſpecies iſtæ ſunt I. Diſpoſitio, II. Habitus, III. Potentia, IV. Impotentia, V. Figura. VI. Intellectus, VII. Memoria, VIII. Voluntas, IX. Qualitas Politica: Regnum: Imperium: &c. X. Qualitas moralis: Nomen, fama, honor. Cæteræ minus neceſſariæ ſunt, nonnullas expono & ſubdividio.

Figura, 1. Circulus, 2. Lineæ parallelæ, 3. Triangulus, 4. Quadrangulus, &c.

Qualitas Politica, 1. Imperium, 2. Regnum, 3. Marchionatus 4 Ducatus, 5. Comitatus &c. 6. Nomen, fama, laus, opinio, &c.

Qualitas Moralis, 1. Virtus, ſanctitas, 2. meritum, 3. præmium, &c. 6. Vitium, 7. demeritū, debitum; 8. ſupplicium, 9. remiſſio, 10. redemptio, liberatio, &c.

Qualitas ſupernaturalis, 1. Fides, 2. Spes, 3. Charitas, 4. Gratia, 5. Lumen gloriæ, &c.

Qualitas viſibilis, I. Lux, II. Color, III. Albedo, IV. Nigredo, V. Rubor, &c. & ſic poſſunt dividi aut etiam ſubdividi cæteræ qualitates: Sic etiam Notæ cæteræ:

RELATIO. Hinc I. Pater: II. Filius; III. Major IV. Minor, V. æquales, VI. Similis, VII. Diſſimilis; VIII. Prior, IX. Poſterior, X. Coëxiſtens, &c.

DVRATIO. Et hinc oriuntur nomina, I. Heſternus, II. Hodiernus, III. Craſtinus. IV. Annus, V. Menſis, VI. Dies. VII. Hora VIII. Tēpus, IX. Ævum: X. Æternitas.

VBICATIO. Habet multas differentias, & inter præcipuas, I. Surſum II. Deorſum, III. Dextrorſum, IV. Siniſtrorſum, &c.

HABERE. Huc poterunt variæ veſtiū (Eccleſiaſticarum, ſæcularium) differentiæ reduci.

CIPHRÆ.

Per Literas.

hoc eſt,

Inſtitutiones lingua Atlantica.

ETiam literæ ineffabiles ſunt; videlicet, cū res ipſas illæ & non voces aut motus linguæ deſignare iubentur: quæ ſi proferri poſſint, erunt effabiles per accidens. Ante annos viginti, vel plures, hac utebar Grammaticâ, cùm ſecreta nonnullis amicis ſcribebam; illam, ne pereat, hîc ſubiicio.

Grammatica Ciphrica per literas.

PArtes Orationis in Atlanticâ linguâ octo ſunt; Nomen, Pronomen, Verbum, Participium, Adverbium, Præpoſitio, Interiectio, & Coniunctio, ſicut in Linguâ Latinâ, quam ſupponit.

De Nomine.

NOmina ſeptem caſus habent, Nominativum, Genitivum, Dativum, Accuſativum, Vocativum, Ablativum & Conjunctivum. Nominativus, non diſtinguitur à Recto Hominis Latini, ut *Muſa, Dominus*, Genitivus proponit primā litterā Hominis à quo regitur ut ſi hanc orationem *Corona Regis* velis tradu-

cere dicturus *de Corona Crex*.hac genitivi ſpecie tollitur æquivocario , quæ ex ambiguâ poſſeſſione oriri poteſt,quod facilè convincitur,ſi in memoriam revocemus litem illam ſatis celebrem de intelligentia hujus clauſulæ antiqui teſtamenti,hinc inde vulgò circumlatæ ſcilicet *Item jubemus fieri ſtatuam auri virgam manu tenentem*. dubitabatur enim ; utrùm ſtatua futura fuiſſet auri,an virga? quæ æquivocatio in noſtro idiomate ſuttollitur, quia ſi loco *auri* dixerimus *ſaurum* genitivū eſt,quod cum ſtatuâ debet jungi, ſi *Vaurum* verò,cum Virgâ conſtrui debet : quia illius characteriſticam præſefert poſſeſſionem. Dativus præaccipit A. Accuſativus E. Vocativus I. Ablativus O. Conjunctivus V;ut patet in hoc ſubjecto paradigmate

N. *Rex*	Rex
G.—*rex*	Regis.
D.*Arex*	Regi,
Ac.*Erex*	Regem
V.*Irex*	Rex
Ab.*Orex*	à Rege
C.*Vrex*	& Rex.

Ponitur Nomen in duplici caſu,quando præhabet duplicis caſûs vocalem characteriſticam , ut *Rrex Rex Regis* & *Aerex* hoc eſt *Regi Regem*;ſic ſimiliter *Verex* hoc eſt *et Regem*

De Numero.

NOmen in prima poſitione abſtrahit à numero tam ſingulari quàm plurali : quia *Rex* ſignificat indifferenter Regem vel Reges. ſi autem numerum exprimere volueris, Nomini poſtpone Litteram,vel Litteras, quæ numerum ſignificent:ut patet in ſubjectis.

Rex	Rex unus vel plures.
Rexa	Rex unus.
Rexb	Reges duo
Rexc	Reges tres
Rexd	Reges quatuor
Rexe	Reges quinque
Rexf	Reges ſex
Rexg	Reges ſeptem
Rexh	Reges octo
Rexi	Reges novem
Rexj	Reges decem
Rexk	Reges viginti
Rexl	Reges triginta
Rexm	Reges quadraginta
Rexn	Reges quinquaginta
Rexo	Reges ſexaginta.
Rexp	Reges ſeptuaginta
Rexq	Reges octoginta
Rexr	Reges nonaginta
Rexs	Reges centum
Rext	Reges mille ;
Rexu	Reges decies mille
Rexv	Reges centies mille
Rexx	Reges millies mille
Rexy	Reges decies millies mille
Rex*z*	Reges centies millies mille

Qui numeri componi poſſunt ſic.

Rexj	Reges decem
Rexja	Reges undecim
Rexjb	Reges duodecim
Rexjc	Reges tredecim
Rexjd	Rege quatuordecim. &c. itē
Rexk.	Reges viginti
Rexka	Reges viginti & unus
Rexkb	Reges viginti & duo
Rexkc	Reges viginti & tres &c. itē
Rexl	Reges triginta
Rexla	Reges triginta & unus
Rexlb	Reges triginta & duo

Et ſic uſque in infinitum

De Pronomine.

PRonomina nominum more declinantur, & ſunt alia abſoluta,alia poſſeſſiva , alia relativa.

Abſoluta ſunt *Ego.Tu.Is ea.id. Hic. hæc. hoc. Iſte,iſta,iſtud, Ille,illa,illud;Ipſe.a.um.*

Poſſeſſiva ſunt *Meus.a.um. Tuus. a. um. Suus.a:um.Noſter.a.um.Veſter.a.um.*

Relativa. *Quis.vel.qui. qua , quod. vel quid* & ſua compoſita.

De Verbo.

VErborum radix alia eſt perfecta,alia pluſquam perfecta,alia imperfecta,alia pluſquā imperfecta,alia verò quæ à perfectâ pluſquam perfectâque præſcinditur.Radix , quæ abſtrahit, eſt Latinorū verborum præſens, ut *Amo*.Radix perfecta eſt præteritum perfectū ut *Amavi*.Radix pluſquam perfecta eſt præteritum pluſquamperfectum ut *Amaveram*. Radix imperfecta eſt præteritū imperfectum Latinum ut *Amabam*.Radix pluſquam imperfecta eſt imperfectum ſubjunctivum ut *Amarem*.

Ex his conſtat, in hac grammaticâ ex quolibet Latino verbo quinque verba deduci

Primum à præſenti quod ſignificat actionem ſeu paſſionem , prout abſtrahit ab imperfectâ atque perfectâ.

Secundum ab imperfecto,quod rem cæptam,ſed nondum perfectam aſſignificat.

Tertium ab imperfecto ſubjunctivi, quod rem cæptam , ſed pluſquam imperfectam denotat.

Quartum à perfecto,quod rem perfectam eſſe dicit

Quintum à pluſquam perfecto, quod rem jam factam ſignificat , & pluſquam perfectam.

UOces verborum ſunt quinque. Indifferens , quæ tendentiam denotat prout hæc à paſſione actioneque præſcinditur. aſſimilatur verbis græcis mediis & hebræis conjugationis Kal. Secunda ſignificat actionem ; tertia paſſionem , Quarta utrumque ſimul, ut *hitpahel* hebræorum Quinta actionem grandem.

Modi

Modi ſunt quinque Indicativus, Imperativus, Subjonctivus, Infinitivus, & Participium.

Quæ omnia ex præpoſitione ſimplicis Literæ innoteſcunt, ut conſpicitur in iſto paradigmate Verbi indifferentis *Amo*

Vox media.

Aamo	Indicativum
Bamo	Imperativum
Camo	Subjunctivum
Damo	Infinitivum
Eamo	Participium

Vox activa.

Famo	Indicativum
Gamo	Imperativum
Hamo	Subjunct.
Iamo	Infinit.
Jamo	Particip.

Vox Paſſiva.

Kamo	Indicativum
Lamo	Imperat.
Mamo	Subjunct.
Namo	Infinit.
Oamo	Particip.

Vox utraque ſimul.

Pamo	Indic.
Qamo	Imperat.
Ramo	Subjunct.
Samo	Infin.
Tamo	Particip.

Vox grandis

Uamo	Indicat.
Vamo	Imperat.
Xamo	Subjunct.
Yamo	Infinitiv.
Zamo	Particip.

Synopſis omnium vocom

MODI Conjugationũ	Media	Activa	Paſſiva	Utraque	Grandis
Indicat.	a	f	k	p	u
Impat.	b	g	l	q	v
Subjūct.	c	h	m	r	x
Infinit.	d	i	n	s	y
Partic.	e	j	o	t	z

Perſonæ		Tempora
Ego	a	Præſens
Tu	e	Præteritum
Is aut Iſte	i	Pluſquamper.
Ipſe	o	Futurum
Ille	u	Pluſquamfutur.

Tempora ſunt quinque. Præſens; Præteritum; Pluſquampræteritum, quo tempus ante Præteritum ſignificatur, & Latino Plusquam perfecto æquivalet. Quartum eſt Futurum, Quintum Pluſquam futurum ſimile Græcorum ſecundo futuro; quo cum tempus poſt futurum ſignificatur; ut præterito pluſquamperfecto, tempus quod ipſi præterito anteceſſit, intelligitur.

Tempora diſtinguuntur vocalibus poſitis inter Litteram vocis & modi characteriſticam & radicem ſic.

Aama	Amo
Aeama	Amavi
Aiama	Amaveram
Aoama	Amabo
Auama	Amavero. i. poſt fut. amabo

Perſonæ ſunt quinque. *Ego, Tu, Hic*, vel *Is, Ipſe, Ille*. & hæ ex ultima radicis vocali cognoſcuntur: dicimus ſiquidem.

Aaama	Ego amo
Aaame	Tu amas
Aaami	Hic, is, vel iſte amat
Aaamo	Ipſe amat
Aaamu	Ille amat

Componuntur iſtæ Perſonæ ſæpenumerò ad majorem explicationem; ut cùm dicimus *Aaamai* ego iſte amo *Aaameo* tu ipſe amas, *Aaamau* ego ille amo, &c.

Numeri verborum ex nominum numeris ſumũtur: dicimus enim *Aaama*, ego, vel nos amamus; *Aaamaa* ego unus amo. *Aaamab* Nos duo amamus: *Aaamac* Nos tres amamus: *Aaamad* Nos quattuor amamus, &c.

De Participio.

Participium habent verba in omnibus vocibus deductum ex omnibus temporibus, & habet numeros & caſos, ut omnia nomina.

De Adverbio, & cæteris Orationis partibus

Omnia nomina Græcorum more habent adverbia: quæ, ſi ſint ſubſtantiva, accipiunt *ticôs* ut *idioma, idiomaticôs*. ſi adjectiva *los* ut *Grammaticus, Grammaticôs*. Reliqua Latinitatis adverbia recipiuntur.

Præpoſitiones omnes admittuntur, & regunt genitivum ſic. *Ante Apetrus* ante Petrum, *Coram Cpaulus* coram Paulo, quæ paſſim ſubticentur, quia facilè poſſunt intelligi, ex littera nomini præpoſita.

Interjectiones Latinæ ſunt & Accuſativo conſtruuntur.

Pro conjunctione & præponitur Littera ע Hebræorum more, reliqui nt in lingua Latina conſtruuntur.

SYNTAXIS.

NOminum conſtructio, à Latina ipſa non diſtinguitur.

Verba omnia & eorum Participia habent Accuſativum.

Adverbia etiam Accuſativum regunt.

Præpoſitiones Genitivum.

Interjectiones Accuſativum.

Conjunctiones ſupplentur per caſum conjunctivum.

PROSODIA.

SYllabæ characteriſticæ hujus artificialis Grammaticæ ſunt indifferentes, ſyllabarum radicalium quantitas ex Lingua Latina peti debet.

Carmina, quibus uti ſolent Atlantici, ſunt Hexametra, Pentametra, Sapphica, &c.

LIBER IV.
in quo
METACIPHRICA
traditur.

CCXXIX.

VLtra Scientiam illam arcanam, quæ Ciphras & Notas edifſerit, colloco Metaciphricam, quæ eſt quæſtiam eminens & mirabilis Ciphrica, quæ ita occultas literas obtegit, ut nemo illas, non ſolùm poſſit legere, ſed neque ſcire ſe non poſſe. Rem expono. Quando epiſtolam ſecretam ſcribimus, duæ quæſtiones ſuccurrunt: prior, An ſit aliquid ſcriptum occultè? poſterior, Quo illud modo legendum ſit? Ex his quæſtionibus oritur inter Ciphricam & Metaciphricam diſcrimen. Illa enim ſcribit arcanas Epiſtolas, quas qui clavi careat, aperire & interpretari non queat: at ipſe evidenter cognoſcet eſſe ciphris aut notis arcanis eas ſcriptas, & ſe omninò ignorare, quid litteræ arcanæ ſignificent. Ergo, qui intercipit ejuſmodi epiſtolam, eſto non poſſit illam legere, eam ad tuas manus pervenire non patietur omninò, ſciet enim minimùm hanc epiſtolam claudere ſecretum aliquod tibi utile, & ſibi nocivum. Vt igitur obviam irem huic inconvenienti, Metaciphricam ſcripſi, quæ arcanas literas tantâ arte occulat, ut, qui Epiſtolam hac arte datam intercipiat, non ſolùm non poſſit ſecreti aperire ſigillum, ſed neque ſuſpicari ibi eſſe aliquid, quod Ciphram includat vel ſapiat: leget enim exteriorem contextum, & audebit jurare ſe totum contextum legiſſe.

Hæc eſt Metaciphrica, quam ediſſero & trado, Spiritibus, Apicibus, literis, pennis, riſtis, ligaturis, & dictionibus utens.

METACIPHRÆ
per Spiritus.

CCXXX.

APices (denſos & lenes) qui aſpirationes quædam ſunt, vocat Græcus *Spiritus*, quibus Latinus accentus etiam ſuos (acutos, graves, & circumflexos) adſcribit. His multis modis utimur; & præcipuos damus.

CCXXXI.

Primus Modus.

ACcentus acutus ´ ſignificat ſequentem literam interlegendam: gravis ` antecedentem: circumflexum ^ præſentem. Si reperiatur ſcriptum, *aureùs pánis*, legendum erit *vens*; quæ enim literæ à ſpiritu (accentu) non ſigillantur, ſunt otioſæ & ad ſecretum non pertinent.

Huc pertinet Steganographiæ Trithemianæ, ſi meæ expoſitioni ſtetur, magna pars: nimirùm, ab initio ad caput XVII. ibi enim dedimus multos modos duplici clavi ſigillatos, nam primò lecturus notatas à ſpiritibus literas excerpit; & ſecundò eaſdem aperit juxta datum abecedarium. Multa ibi exempla poſui, hoc adjicio.

Vult Claudius monere Fridericum ne ſe negligat, & permittat occidi: inſtat periculum, præparantur inſidiæ, & ut vitentur, hanc Epiſtolam ſcribit.

H*Eroicis fidibus Fidei Myſteria canto:*
Singula Friderice pia complectère mente.

Sit

Sic inquam. Sanctus docet omnes Spiritus, unum
Eſſe Deum; quo dante monet ſperare ſalùtem
Chriſtiadum non falſa Fides. Tres ſcilicet olli.
Inſunt Perſona, nec deſinit unus haberi.
Eſt Pater ; ingenti qui condidit omnia nutu,
Quaque oculis ſubiecta patent ; quaque abdita viſus
Effugiunt noſtros ; immenſa potentia cuius
In rerum miracla patet. Deus unus & idem eſt
Ille, ſalutiferum ſumpſit qui nomen Ieſu,
Vnigena æth‑rij natus Genitoris, ab illo
Proſatus (hac nulla capiunt Myſteria mentes)
Ante etiam Cælum quàm volveret axis, & ante
Quam librata ſuo ſediſſet pondere Tellus.
Hic Deus ex Genitore Deo eſt, ex lumine lumen,
Eque Deo vero verus Deus; hic neque factus
A Patre nec formatus erat, ſed natus ab illa;
Et genitus cui cum magno ſubſtantia Patre.
Vna, eademque foret per quem ſunt omnia, quæ ſunt:
Qui propter miſeros homines, hominúmque ſalutem
In terras procul ex patrio deſcendit Olympo;
Conceptúſque ſacri Divini Flaminis aurâ
Humanam aſſumpſit Mariâ de virgine carnem,
Factus homo, noſtráque tulit pro crimine dirum
Supplicium crucis inſontem damnante Pilato,
Multáque perpeſſus, tandem ſub mole ſepulcri
Conditus ex tumulo, cùm tertia venerat Eos,
Surrexit veterum complens oracula Vatum,
Aſcensóque Polo ſublimi ſede locatus
Nunc ſedet ad Magni dextram Patris, unde redibit
Veridicus index in Maieſtate decorâ
Arbiter & vivis, & iam ſua funera paſſis:
Tunc regni nec finis erit, nec terminus ævi.
Spiritus ille etiám Deus éſt , qui vivida nobis
Corda animat , Sanctámque inſpirat mentibus auram.
Procedens de Patre ſimul ; natóque Parentis;
Quem Dominum cum Patre ſimul, Natóque Fidelis
Concelebrat populus, quem flexo poplite adorat.
Hic ille eſt priſcis qui Vatibus ora reſolvit;
Quo conſcripta nitet Divini pagina Verbi:
Eſſe etiam ſanctum communem totius Orbis
Credo, & Apoſtolicó firmatum dogmate Cœtum.
Vnam peccatis veniam, fontemque lavacri
Vnius agnoſcó. Tempus (nam tempus & illud
Advenit) expecto, quo corpora noſtra reſurgent,
Cum mihi perpetua curent nova ſæcula vita.
SYMBOLON *hoc* FIDEI *eſt , quod vox ſacra fulciat*, AMEN.

Erat inter Claudium Fridericumque præter ſpirituum conjurationem (accentuum acceptionem & uſum) circa literarum valorem hæc concordia.

Valor	a	c	e	g	i	m	o	q	s	u	y	*Figura.*
Figura	b	d	f	h	l	n	p	r	t	x	z	*Valor.*

Mittit igitur Epiſtolam hanc Claudius, illam intercipiunt Friderici inimici : & quia Symbolum Fidei nihil in tota reperiunt, nil ſuſpicantur mali, & progredi ulteriùs permittunt. Traditur Friderico tandem, qui primò colligit literas obſeſſas à ſpiritibus (denotatas ab accentibus) & reperit hanc arcanam ſententiam. *L mxlsbáfqlt b (xdf bc vqbmclxn, fs lmsfqeldlf qlt:mf f p xbcbt, sfcxlsbn sxbn dxqb clsbfmslttlnf.* quam clavi præcedenti aperiens, legit hoc monitum. *Invitaberis à Duce ad prandium, & interficieris: ne eò vadas, ſed vitam tuam cura diligentiſſimè.* Terretur Fridericus hujus inopinatæ proditionis notitiâ (ſed melius eſt ab amico terreri , quàm ab inimico interfici) à convivio ſe ſubtrahit , & inſidias declinando invitis adverſariis vivit.

CCXXXII.

NOTA. Poſſet hic modus Cifræ variari multis modis: primò ex parte ſpirituum (accentuum) ſecundò ex parte clavium ſeu Abecedariorū. Sanè ex parte ſpirituum; quoniam

niâ ſignificat	I.	II.	III.	IV.	V.	VI.
antecedentem	gravis	gr.	circ.	cir.	acut.	acut.
præcedentem	circumfl.	cir.	gr.	grav.	grav.	circ.
ſubſequentem	acutus	ac.	ac.	acut.	cir.	grav

Sanè ex parte etiam clavium ſeu abecedariorum, qui ſunt innumerabiles; ex ſola enim Thamurâ viginti-quatuor directi, & viginti-quatuor retrogradi naſcuntur, qui ducti
48 | in ſex dabunt ducentos octoginta o-
6 | cto modos, quibus uti poterit Stega-
288 | nographus, quin aliquis mortalium ſuſpicari poſſit latere ſecretum in Epiſtola. *Poſſet* adhuc ſecretum magis inacceſſibile & inexplicabile reddi, ſi adderentur Pilori, de quibus multa diximus, cùm Trithemii Steganographiam dilucidavimus.

CCXXXIII.

Secundus Modus.

SOlis utitur vocalibus. Differt autem Vocalis Ciphra à Vocali Metaciphrâ, quia illa eſt Ciphra, quæ eſſe Ciphra dignoſcitur: hæc eſt Ciphra tecta, quam nemo percipiat eſſe Ciphram. Conſidera ſequentes abecedarios.

âêîôû	àèìòù	âêîôû	ãëïõü	Figura.	
abcde	fghil	mnopq	rstux	*Valor*	I.
bcdef	ghilm	nopqr	stuxa	*Valor*	II.
cdefg	hilmn	opqrs	tuxab	*Valor*	III.
defgh	ilmno	pqrst	vxabc	*Valor*	IV.
efghi	lmnop	qrsru	xabcd	*Valor*	V.
fghil	mnopq	rstux	abcde	*Valor*	VI.
ghilm	nopqr	stuxa	bcdef	*Valor*	VII.
hilmn	opqrs	tuxab	cdefg	*Valor*	VIII.
ilmno	pqrst	uxabc	defgh	*Valor*	IX.
lmnop	qrsru	xabcd	efghi	*Valor*	X.
mnopq	rstux	abcde	fghil	*Valor*	XI.
nopqr	stuxa	bcdef	ghilm	*Valor*	XII.
opqrs	tuxab	cdefg	hilmn	*Valor*	XIII.
pqrsr	uxabc	defgh	ilmno	*Valor*	XIV.
qrstu	xabcd	efghi	lmnop	*Valor*	XV.
rstux	abcde	fghil	mnopq	*Valor*	XVI.
stuxa	bcdef	ghilm	nopqr	*Valor*	XVII.
ruxab	cdefg	hilmn	opqrs	*Valor*	XVIII.
uxabc	defgh	ilmno	pqrst	*Valor*	XIX.
xabcd	efghi	lmnop	qrstu	*Valor*	XX.

Si putes te indigere literis y & z poteris adhuc addere has vocales,

âêîôû ăĕĭŏŭ ȧėi̇ȯu̇

quas poteris valore & potentiâ, prout volueris, donare.

Scripturus igitur juxta hunc modum Epiſtolam, primò illam exaret juxta aliquem Abecedarium (nempe, ex datis, aut alium quem voluerit componere) & ſecundò vocales in textu patenti interpungat. Pono exemplum.

Rex Ambojeſiæ in India, vult omnes peregrinos expellere aut interimere, & hanc Epiſtolam ad omnes ſuos Satrápas mittendam, ſcribit. *Die Auguſti primâ Europæos omnes expellatis aut occidatis.* Sed quo illam modo ſecurè tranſmittet ad Satrápas? Timent ſibi Hiſpani & Luſitani, & Hollandi cum Anglis, qui nec ſecum nec cum Hiſpanis conveniunt. Vias obſident, literas intercipiunt, & claſſem numeroſam exſpectant. Reſcribit juxta Abecedarium quintum eamdem ſententiam, & legem ſuam ad iſtas obſeſſas à ſpiritibus (accentibus & punctis) vocales Latinas reducit.

ùuá eù iù iòú ùêúèē âûè oùe áòî oèî áî áâùá áàòôûî oûô òòō úü oôúî.

Sanè, ſi hanc mittat epiſtolam, nemò intelliget, quid ſignificent iſtæ vocales, at omnes omnes cognoſcent eſſe ciphricas, & ſi intercipiant, ad manus Satrapararum illas tutè pervenire non ſinent. Quid ergo faciendum erit Regi? Ad Metaciphricam recurrere, & ſcribere literas, quæ ab omnibus admitti pôſſint, & in illis has vocales claudere. Pono literarum exemplum.

Taba Sibiûs Amboieſiæ Rex Sat rapis regni sûis sálutem.

Cûm noſtri nominis aûthoritas & regni utilitas à peregrinôrúm frequêntia & Eúropæ mèrcibus vèl ex toto dependeát, volumûs ut rêm agatis publicam, & mercatôres ùnivèrſos & eorumdem cuſtodes milites protegátis & defendatis. Et licet Aſiaticòs vobis iterum iterumque còn mèndaverìm, nolo illos Europæis ánteponi, ſed iubeo Cáſtellános, Lùſitános, Gàllos, Hollàndos, Anglos, Gèrmanôs, Italos, & qúotquot ab occidènte venerint in privilegiis & immùnitatibus, quæ prædeceſsôres nòſtri Ambôie-

ſia

ſiæ Reges, aut etiam nõs nuper conceſſimus, manutenẽri. Datum Cõrsúvia Luna ſeptuageſima-tertia.

Mittit igitur Rex Taha Sibius iſtas literas cyclicas ad omnes ſuæ Regionis Satrapas: incidunt in Metcarorum & militum peregrinorum manus, & quia nihil videntur continere ſiniſtri, permittuntur tranſire. Et tamen ſinguli Satrapæ extractis vocalibus notaris diſcunt mentem & voluntatem ſui Regis, & ſub ſpecie protectionis peregrinos in diverſis locis invadont, percutiuot, occidunt.

METACIPHRÆ

per pennas, criſtas, caudas.

CCXXXIV.

SVnt literæ quæ criſtas erigunt, ſunt quæ caudas dimittunt. Pennarum & plumarum elatione ſuperbiuot *b d h k l*: & *g p q y* caudarum demiſſione gravantur. Sunt nonnullæ modeſtiſſimæ literæ, quæ nec criſtas erigere, nec appendices ſubmittere volunt; quales ſunt *a c e i m n o r s t u x z*: ſunt, quæ criſtas ſimul & caudas habent, videlicet *f ſ*. &c.

Poſſumus loqui per criſtas, aut etiam characterum caudas illas variè ducendo & conformando.

Conſidera Tabulæ decimæ figuram decimam, & in ipſa varias characterum caudas & criſtas, & reperies literam *b* exempli gratiâ, decem modis poſſe criſtam erigere: *q* decem poſſe modis caudam dimittere (& eodem modo de cæteris literis philoſophabetis) & quia ejuſmodi literæ poſſunt eſſe ligatæ & liberæ in ſingulis viginti differentias invenies, quæ ſufficientes ſunt, ut Abecedarius componatur.

Hujus olim Metaciphræ cognitione præventus, nomen Cæſaris ſui contemplatus, & volui in hoc unico nomine multas & varias Ciphras contineri. Scripſi quoddam de hoc ipſo argumento Syntagma, & ad Imperatorem Lovanio Viennam miſi; quod ipſi & multis aliis placuit, & ne pereat debuit capiti præſenti ſubſcribi.

SYNTAGMA

De nomine Cæſaris.

CCXXXV.

ALia alii ſcribant, aut deſcribant: me juvat nomen Imperatoris contemplari. *Ferdinandus* id eſt, eujus ſingulæ integram Steganographiam literæ complectuntur. Singulas exponamus.

Prima Litera.

F Triumphalis eſt: Cæſarum hoc ævo characterica. Hodie ipſa per varios ductuum labyrinthos lauream ambit. Evadit literarum omnium Imperatrix, cùm omnium poteſtatem adſequitur. Vna ſimplex cùm ſit, omnes complectitur virtutis eminentiâ; omnium ſignificantia exprimit, & omnium ſpiritibus & intelligentiis animatur. Hujus novæ Sapientiæ notitiis deſtitutus Priſcianus, cenſuit eam eſſe motam, quæ *Omnidica* jam demonſtratur. Aut fallor, aut fuerat ſub illud tempus muta; vel quia non habebat quid diceret, vel quia carebat arte, quâ, ſi quid occurreret, eloqueretur. Iam iam ſilentii obrumpit vincula; FERDINANDI enim, cuius Cæſareo Nomini ipſa Pilotus eſt, victorioſa facinora immenſam materiam ſubminiſtrant, quæ ſileri oon poteſt; & hic diſcurſus Orthographicus ad illorum applauſum manuducitur.

Literæ F pronuntiationem antiquam ignorant omninò recentiores. Non differre à Græcorum Φ Ambroſius Calepinus exiſtimat; ſed erroris convincitur ex Cicerone citato à Lipſio *de recta pronunciatione* ca. 12. ubi teſtis Græcus irridetur, quòd primam literam accuſati Fundani pronunciare non poſſet. Priſcianos ferè Calepino ſubſcriberet, ait enim, *F Latinam ferè eſſe ſimilem Φ Græcorum*. Nota illud *ferè*. Diſcrimen inter illas notabile Scaliger & Lipſius invenerunt. Ego inter ipſos; nam ille molliorem Græcam aſſerit, iſte Latinam. Fabius pro Scaligero potiùs quàm pro Lipſio videtur militare, *Illa, quæ ſexta eſt noſtrarum*, ait, *penè non humanâ voce, vel omninò non voce potius, inter diſcrimina dentium efflanda eſt: quæ etiam cùm vocalem proximam accipit, quaſſa quodammodo, utique quoties aliquam conſonantium frangit, multò fit horridior*. Alii quidem omnibus & ſingulis ſubſcribunt, quibus F durior quidẽ & mollior, dulcior & horridior videtur: eſt enim Cæſarum character, qui erga ſuperbos duri, erga humiles molles, erga ſubditos dulces, & erga inimicos horridi teneotur eſſe.

Βίλιππον pro *Φίλιππον* Macedones & *Βάλακρὸν* pro *Φαλακρὸν*, aſſerente Plutarcho *in quæſt. Græcis*, dixê. c, unde & apud Latinos pluries B reperitur, ubi F deberet. *Bruges* pro *Fruges* habet Ennius obſervantibus Cicerone & Fabio: & Nonius è contrario F pro B, ſcribit enim *Sifilum* & *Sifilare*, ubi nos *Sibilum* & *Sibilare* legeremus. Ipſi B ſimillima eſt conſonans V, & hanc pro F. etiam fuiſſe uſurpatam, perſuadet etymon multarum vocum, quæ aliter explicari oon poſſunt. *Far, faris*, verbum Divinum eſt, & Oraculis propriè attribuitur; quæ cùm reſpondent, fantur. Vnde *fari* nonnunquam ſumitur pro *facere*, *fari* enim non eſt loqui ſpeculativè ſed practicè. Inde *Fatum* deducitur, quod exponitur æterna Dei voluntas, & ex Dei libertate & imperio ſuborta rerum contingentium neceſſitas: omnia enim agentia neceſſaria ſubſunt fato, ſeu Deo. De liberis eſt difficultas. Crediderunt nonnulli omnia Deum in illis & fari & facere, in illis inquam ſe habentibus merè paſſivè. Expreſſa ſententia eſt Lutheri, quidquid in contrarium Chemnitius & alii recentiores oblatrent: condẽnaturque à

Tri-

Tridentinæ Sinodi ſeſſione VII.Catholica e-
nim doctrina eſt, Humanam libertatem non
eſſe inanimem & paſſivam potentiam, ſed a-
ctivè concurrere divinitùs motam & excita-
tam;non fato neceſſitatam, aut coacta impe-
rio, ſed ita ut poſſit diſſentire ſi velit. Vnde a-
ptè antiquus & peritus Poëta,

Sapiens dominabitur Aſtris,

prudenter dixit, ſubſcribens Nomenclatori-
bus Latinis, qui *infatuatos* quaſi *in fato-actos*
dixerunt;*fatuus* enim nihil aliud eſt quàm *fa-
to actus.* A fando dicuntur *Vates*, quaſi *Fan-
tes*;& *Vaticinium* quaſi *Faticinium*, unde *va-
ticinari* idem omninò eſt, quod *Fata canere*.
aut ſi loqui ſic placeat *Faticinari.*

Igitur, ſi F·&V loca,officia,& prolationes
myſteriosè commutant, quis vetat cùm *Fer-
nandum* ſcribimus, ne *Vernandum* legamus.
Vernat quidem Fernaodi invicta virtus, &
decrepitæ remiſſionis ignara contra hoſtium
æſtus & ſchiſmatici Martis incendia in æter-
num vernabit.

Invat literæ pronuntiationi aliqnid de fi-
gnra ſubjungere. Digammos dicitur,quod
duplici gammâ coaleſcat; F enim nihil aliud
eſt quàm gamma ſuperpoſita gammæ. Ante
Claudiani tempora diglottos erat, quia ut F.
& etiam ut V.proferebatur. Cæſar is, ut la-
bii certitudini provideret, voluit F ſcribi
cùm aſſonaret Græcæ Φ, & inverti hoc mo-
do Ⅎ cùm ipſi V reſponderet. Hanc verita-
tem eloquuntur illius ævi lapides, cœli im-
preſſione & martyres & teſtes facti, in illis
crebrò, DIⅎAI, AMPLIAⅎIT, TERMINA-
ⅎIT. Scriptorum incuriâ ſæpiſſimè F pro Ⅎ
reperitur aſſumpta. Annæus Cornutus.*Eſt
quædam litera in* (F) *litera ſpeciem formata,
quæ Digamma nominatur. Ad hujus ſimilitu-
dinem ſoni noſtri,conjunctas vocales Digammon
appellare voluerunt,ut eſt* Votum, Virgo.*itaque
in prima ſyllaba Digammon & vocalem oportuit
poni*(Fotum, Firgo.)*quod & Æolis fecerunt &
antiqui noſtri,ſicut in quibuſdam libellis ſcriptu-
ra declarat. Hanc Literam Terentius Varro
dum vult demonſtrare ita ſcribit* (VA) Reſti-
tuit Lipſius Ⅎ pro F.*ⅎotum, ⅎirgo*, pro *Fotum,
Firgo*:reſtituo W pro VA. Ergo ſi Ama-
nuenſium negligentiâ F in Ⅎ & contra ſcri-
beretur, non miror Claudiani Imperatoris
tempore *Fatum,ⅎates,Faticinium*,& *ⅎaticinor*
ſcriptum,perperam à junioribus legi. *ⅎovere*
dicebatur qui volutatem-promiſſionis robo-
re Fovebat & firmabat,quia humanum arbi-
trium nunquam magis Fotû quàm cùm ⅎotû.

Interim,quia Digammos dicebatur, ince-
pit à Barbaris ut Gamma pronunciari imò &
exſcribi. Reperiebantur in antiquorum
libris *ⅎuilhelmus*,*ⅎualterus*,& ſimilia nomina;
Digammon Æolicam nonnulli protulerunt
V,& dixerunt *Vuilhelmus*,& *Vualterus*;alij au-
tē ut G.nimirū *Guilhelmus* & *Gualterus*. Hinc
G & V commutari cœperunt; nam pro eo
quod eſt *ⅎenus*,alii *Venus*,alii *Genus* legerunt.
A voce *Genus* habemus *Generare*,à *Venus Ve-
nire* ſub ipſiſſima ſignificatione. *Gero* dat ſu-
pinum *Geſtum* olim *Gertum*, unde frequen-
tativum *Ferto* nempe Verto,inde *ⅎera* vel *Fe-
ra* à gerendo. Non aliter *ⅎallia*,aliàs *Gallia*,
aliàs *VValia* lecta,dat Gallorum & VVallo-
num nomina. In afflictionibus ſuis veteres
ⅎa-me pro *Heu-me*, lugebant; hinc verbum
ⅎemere,hoc eſt *ⅎa-me* dicere. Legimus *Geme-
re*,cùm potiùs *Vamere* deberemus. *ⅎerum* à ge-
ro dicitur;nam ſi oratio enunciat rem, ut ge-
ritur, vera eſt; cæterùm ⅎ non per G ſed per
V pronunciatur. Occurrunt & alia pluri-
ma quæ eſſet prolixum recenſere.

Ecce ejuſdem literæ Claudiani Imperato-
ris edicti, Sapientium diligentiâ, imò etiam
vulgi errore multiplicem figuram & ſonum.
Eamdem pro B,F,G,V,& W accipi jam vi-
dimus:multùm Claudiano debuit pentrapho-
nos reddita, quæ aliàs ſimplex fortaſſis eſſ:te.
Nunc autem Ferdinandi Cæſaris auſpiciis,
non quidem Digammos aut Digrammata,
ſed Pantogrammata curiosè evadet omnium
aliarum literarum virtutem,valorem, & po-
teſtatem complectendo;ut conſtat ex Abece-
dario,quem dat Tabula XL.loco primo.

Cæterùm,ut altiùs hujus Abecedarii cha-
racteres delinees, adnotato, totam eorum-
dem varietatem in capite & cauda conſiſtere;
Sunt per quinarios diſtribui, & in capite
conveniunt,quotquot pertinent ad eumdem
quinarium. Ejuſdem quinarii characteres
ductu caudinali diſtinguuntur;diſcrimen ex-
hibet ipſorum delineatio.Illam vide, & con-
ſidera.

CCXXXVI.

Secunda Litera.

TRidens Neptuni undarum Imperatoris
ſceptrum eſt:unde& E,quę ductu triden-
te deſcribitur, litera erit Cæſarea. Circa e-
jus priſcam pronuntiationem multæ nebulæ;
jam conſtans apud juniores ratio. Eadem
articulatur apud omnes; ſed in Italia obſcu-
riùs, & in Hiſpania eò amœniùs, quò cla-
riùs.

Litera ſignificativa eſt, & non ſolùm in
ductuum compoſitione triplex ſed & in vo-
cum; motum enim, privationem, & perfe-
ctionem adſignificat. Motum quidem, ut
emitto & educo,privationem, ut *efrenis*, *elin-
guis*,perfectionis vehementiam,ut *eludo*. Ha-
rum ſignificationum Triade Cæſarea hæc li-
tera dirigit Imperatorum motus: Motus di-
xi:laurus enim & cidaris non conferuntur,ut
electi Monarchæ genio indulgeant, ſed ut
millenis curis acti, quò rerum contingentia
direxerit, generosè moveantur. nimirùm
promovendo aut privando. Nominis Cæ-
ſarei indignus eſt,qui digniores non promo-
vet,& non deponit incapaces. Fortuna opti-
mè merentes Heroas crudeliter tractat non-
nunquam:ſed quibus Fortunæ rota noverca
eſt,ſit Imperatoris laurus mater:quoniam ſors
nonnunquam prodiga donat indignos ſum-
mo honore,eoſdem illo ſpoliet & privet Cæ-
ſarea providentia;ut demonſtretur Imperia-
lis authoritas, Fortunæ injuriis & potentior
& major.

Ve

Ut una ſimplex E omnes literas diſtinctim exprimat, debet multiſariam formari, conſidera ductus, quos Tabula XI. præſefert. ubi litera E viginti quatuor figuris conſormata, Abecedarium totum complet.

CCXXXVII.

Litera quarta & nona.

PRogrediamur ulteriùs, & laureati Nominis notas Cæſareas contemplemur.

D. *Divum* ſignificat, & eſt epitheton Imperatorum; Cœlites enim apud nos *Sanctos* dicimus quàm *Divos*. Compoſitionis vi aut fortè linguæ errore in B. & L. tranſiit. *Duellum* olim *Duellona*, *Dachryma*, & *Seda* dicebatur, jam *Bellum*, *Bellona*, *Lachryma*, & *Sella*: in illam R & Θ tranſierunt, quia *Meridies* dicitur quaſi *Medius-dies*, & *Deus* quaſi Θεὸς Inter D & ϑ. tanta eſt prolationis affinitas, ut adeptæ ſint affines characteres. Meâ induſtriâ non jam pro quatuor literis, ſed pro omnibus & ſingulis poterit uſurpari. Conſidera Alphabetum, quod Tabula XI. præ ſe fert.

Hoc characterum genere potuiſſem olim quodcumque exemplum ſcribere; in antiquis meis ceris poſui hoc

Nocte pluit totâ, redeunt ſpectacula mane;
Diviſum imperium cum Iove Cæſar habet.

Quod licet de Julio plauſibiliter cecinerit olim Virgilius, aptiùs de Ferdinando Cæſare potuiſſet dici impræſentiarùm. Ipſius enim victoriis videntur elementa proſpicere. Teſtor conflictum Norlinganum & alios plurimos, in quibus de ſummâ imperij non ſine periculo agebatur; verè felices, quia elementa omnia in rebellium populorum capita conſpiraverunt.

CCXXXVIII.

Litera quinta & ſexta.

PArticulam *In* eſſe amicam ſimul & hoſtilem Critici univerſi obſervarunt. Virgilius in Operis Divini primo,

Accipit in Teucros animum

hoc eſt, *pro Teucris*; & idem ibidem,

Quid meus Æneas in te committere tantum,
Quid Troës potuêre?

id eſt, *contra te*. Ideo hæc eadem particula Cæſarei Nominis eſt pars, quia inter Cæſarum prærogativas generoſas una ex præcipuis eſt,

Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos.

Miratur Juſtus Lipſius de rectâ latini Idiomatis pronuntiatione capite quinto-decimo, cur, cùm tam ſuavis ipſa ſit, fuerit omiſſa à Græcis dictiones latinas ſcribentibus. Latini hodiè dicimus *Hortenſius*, *Manlius*, Græci Ὁρτήσιος, *Apparatus Philoſoph.* Μάλλιος. imò & lapides veteres videntur Græcis potiùs, quàm Junioribus Latinis favere; in ipſis ſæpiuſculè *Clemeti*, *Cojux*, & *Infas* legimus: ſed fortè in hæc & alia loca irrepſit accentus productivus in literam, fuit enim moris apud veteres diſtinguere vocales correptas à longis, priùs characteris repetitione, poſteriùs lineolâ parvâ ſuperpoſita ut conſpicis.

Horteeſius, Maalius, Clemees, Coojux, Infaas;
Hortēſius, Mālius, Clemēs Cōjux, Infās.

Figura utriusque literæ ſimpliciſſima eſt, nec facilè in tot differentias poteſt multiplicari, quæ Alphabeti conſtructioni ſufficiant: interim delinea quot volueris.

CCXXXIX.

Septima & octava.

LIterarum Antiſtes in Auguſto Ferdinandi Nomine octava eſt; ſalutaris dicitur, quòd inter Senatorum ſuffragia decretum abſolutionis aſſignificet: cui C opponitur infauſta atq; condemnatoria. Ubi obiter venit obſervandum, meritò C à Cæſareo nomine exulare, cujus cordi N. adhæret A; non enim habet locum infauſtæ condemnationis opinio in Principe: cujus cordi affectus abſolvendi & ignoſcendi inhæret.

A Græcâ particulâ præpoſitivâ ἀπὸ, Latini deduxerunt ἀπσ, mutato ὸ in σ; ex ἀπσ aps dulcioris labij gratiâ *abs*, breviùs *ab*, vel *au* & tandem correptiſſimè aut fortè corruptiſſimè *à*. Cujus doctrinæ firmitati prodeunt hæc vocabula *Abſtineo*, *Abeo*, *Aufero*, *Amitto*.

A præcedente ſpiritu (*Ha*) interjectio corripientis & admonentis eſt: & ex analyſi probatur, quia abſolutio ſi eſt affectûs effectus, fortiſſima correptio eſt.

Sequenti N (An) adverbium eſt interrogantis, conſulentis, diſcentis. Et obiter inquirendum occurrit; Cur in Auguſto Cæſaris FERDINANDI nomine illa A, quæ dicitur abſolutionis nota, non ſit affecta ſpiritu, ſed afficiens N ab alterâ N afficiatur? quia A, cæſarea abſolutionis inclinatio, talis debet eſſe, ut quocumque ſe vergat, evadat (*An*) vel ut clariùs loquar, Interrogativa & conſultiva: Operationes enim ipſiſſimæ, quæ ſunt laudibus dignæ, vileſcerent ſi fierent inconſultò: cùmque Auguſtus Monarcha non affectu ſed ſummo conſilio in rebus agendis dirigatur, Cæſareus Nomenclator nec debuit nec potuit hanc prærogativam ſubtrahere.

Si hujus particulæ *an* figuras uſuales ſpeculor, ex earum ductibus Abecedarium efformabo.

CCXL.

Literia tertia.

CAnis fidelitatis ſymbolum contribuit myſticum characterem; non enim Auguſtus eſſe poſſet, qui fidelis nō eſſet. Fidelis quidē Deo & Hominibus; illius orthodoxū cultū defendendo, & proſpiciendo horū ſecuritati. Aptè R

caninus character eſt Perſio , non ſolùm ob prolationis rigorem, ſed & ob miniſterij affinitatem. Quia cœcus duce cane R. ϱ. ɿ *errores* omnes ſuperat, & ambages labyrinthæas evadit, literæ hujusmodi btuu benignæ memoriæ dedicantur, & attribuuntur illis, qui errantes & devios ad portum publicæ ſalutis manuducunt.

Figura apud omnes eſt eadem, & transformationes ſatis notæ.

CCXLI.

Litera decima.

DUæ ſunt fatales literæ, nimirùm V & M: illa *vitam*, *mortem* iſta ſignificat in Notis. Debuit hæc poſterior locum priori cedere, ne mortiferum quid complecteretur prolatio Nominis vitalia. Unde Poëta neſcio quis, Hæreticis victis inſultans, & Horthodoxis exercitu Cæſareo protectis congratulans, ſic ait;

Eſt ſub Fernandi nomine tuta ſalus.

Figura apud nationes varias variat, utentur tamen aliquibus metamorphoſibus.

CCXLII.

Litera ultima.

SIbilo clauditur Nomen Augusti Principis, quod *Felicitatis* notâ fuerat auſpicatum. Lætantibus populis inſonat, mœrentibus deſinit; quamobrem ſiquando huic Nomini finem imponere præſumat fama, exſibilabitur. Solebat Romanus Populus in concione & theatro, ſiquid non placeret, ſibilo oſtendere: cumque præconia Famæ ceſſatum iri timerentur, Famæ ignavia univerſis diſplicuit, & ſibilo in dictionis exitu admonita, iterùm atque iterùm boatu infatigabili laudes Ferdinandi reſumit.

Sibili hujus, quo Cæſarea Nomenclatura clauditur, character eſt S. & poteſt multifariam ſcribi; ſeligo modos omnes, quos dedimus in primâ literâ.

METACIPHRÆ

per ligaturas.

TRes modos ligandi literas Tabula decima præ ſe fert. [Vide figuram ejus decimam, voce *aſſidebam*.] Primus ligat per medium, ſecundus per capita, tertius per pedes. Poſſem illos miſcere, & miſcendo mirum in modum multiplicare. Interim hoc ipſum prudentiæ & ingenio mei Lectoris relinquens has omnes ligaturas facilioris ſcriptionis gratiâ impræſentiarum non diſtinguam. Uſum trado.

A	*D-omine*	O	*D-o-m-i-ne*
B	*Do-mine*	P	*Do-m-i-n-e.*
C	*Dom-ine*	Q	*D-o-m-i-n-e*
D	*Domi-ne*	R	*Domine.*
E	*Domin-e*	S	*D-o min-e*
F	*D-o-mine*	T	*Do-mi-ne*
G	*D-om-ine*	V	*D-om-ine*
H	*Dom-i-ne*	X	*Do-min-e*
I	*Domi-n-e*	Y	*Do-mi-ne*
L	*D-o-m-ine*	Z	*Dom-in-e*
M	*Do-m-i-ne*	&	*D-om-in-e.*
N	*Dom-i-n-e.*		

Lineola - inter duas literas, ſignificat illas eſſe ligandas.

Hæc Tabella ob oculos ponit dictionem ſex literarum, cujus vario ordine literas ligamus & ſolutas relinquimus volumusque hac differentiâ vinculorum diverſas literas ſignificare. Hîc notavimus, quænam literæ ligandæ ſint, ut habeantur literæ; quo debeant modo fieri ligaturæ, non potuit exprimere typus, ſed dedit Tabula X. ære inciſa, nimirùm in illa voce *aſſidebam*.

Et hîc obiter notandum eſt dictiones quæ non habent ſex literas aut plures eſſe inutiles.

Pono exemplum. Erat inter hoſtes & barbaros Gualricus, cujus milite & præſentiâ indiget Rex: nec hanc ipſam neceſſitatem audet ſcribere apertis literis: timens, ne ſi ipſæ intercipiantur ab hoſtibus eorumdem exercitibus obruendus ſit. Recipit igitur Gualricus Regia ſui literas, apertas, & examinatas ab hoſtibus: quarum hæc eſt ſententia.

Te non i-nd-igeo: manea-s: & for-t-i-ter pugn-e-s c-on-tra barba-ros. Sal-u-t-a mili-t-es. Vale.

Recognoſcit Gualricus epiſtolam: & quam intelligere non potuerunt hoſtes, ipſe intelligit: & quia ligaturæ reſpondent his literis *Veni*, *Veni*. Regis ſtatum miſerum eſſe diſcit, & quia repetitionis vis eſt maxima, nocte ſequenti barbaros deſerit, & ad Regem feſtinat. Ecce quantâ arte decepti ſunt, qui hanc Epiſtolam interceperunt: ubi enim litera exterior præcipit ut maneat apud barbaros, interior & ſecreta præcipit ut illos dimittat & veniat.

NOTA.

NOTA. Typus non potuit has benè colligare literas, ut ſcias quid debeas imitari calamo, vide Tabulæ X. figuram XI. in qua eamdem Epiſtolam benè ſcriptam invenies.

METACIPHRÆ

per Dictiones.

CCXLIII.

CIphtæ hæ *Dictionaria* dicuntur, quòd ſingulæ dictiones non niſi ſingulas literas præſtent: & quia id ipſum plurimis modis poteſt fieri, aliquos breviter dilucidabo.

PRIMVS MODVS.

QUando Epiſtola aliqua eſt ſcripta juxta primum hunc modum, aperitur hac clavi: *Sume omnium dictionum primas literas, & invenies monitum arcanum quod quæris.* Pono exemplum. Recipit ab Imperatore Faravellus has periodos; nimirùm.

Inter nobiles Danos Iſidorus genere & opibus te & egregios Thracas invadit! Doleo equidem. Oportet in vacordem bellum excitare; oportet Venetorum turmas ſubigere; terras aquasque tuis inundando militibus. Habe unicam curam, ut Europæ nobiles inter arma ſecuri ſint. ☉

Legerant illas hoſtes, & neglexerunt aut contempſerunt: permiſerunt eas ad Faravellum pervenire: qui ſumens primas dictionum literas, reperit hanc occultam ſententiam. *Indigeo te: & ideò jubeo, ut ſtatim huc venias.*

Fortè alicui videretur nimis facilis & periculoſus iſte modus: & ego ne hæc pervia & aperta via ſit, illam tribus clavibus claudo: quarum unica, duabus aut etiam omnibus tribus uti poſſis, ſi velis.

CCXLIV.

Clavis I.

UTere initialibus dictionum literis, at non utaris Abecedario communi, ſed aliquo Steganographico. *Pono exemplum.* Inter te & Cæſarem ſit hæc Ciphra: vel alia ſimilis.

Valor.	A B C D E. F G H I L. Y.	*Figura.*
Figura.	M N O P Q. R S T V X. Z.	*Valor.*

Miſſus eras in Wandalos, & omnia apud Cæſarem proſpera eſſe putabas. Fortuna autem infida omnia vertit te neſcio. Recipis literas à Cæſare, quas legerant priùs hoſtes, & tanquam minùs neceſſarias ad te pervenire permiſerant; & in ipſis has poſt pilorum lineas legis.

Dum quærit frumenta Wandalus, oportet Xenio vacare. Hic milites alacres inſulam fortificant; Copioſus adeſt barbarus: quà Græcus, quà Herulus, barbarus utique. Gladio univerſa hic quærimus, accipimus, dirigimusque. Hùc venerunt Itali Quirites, Illyrici Quirites, Baltici Quirites. Franci ubique divitiis, quas fortuna, quas induſtria procurat. Iuſtitia armorum quærit gloriam hic Dei. Vale. ☉

Ut Epiſtolæ ſpiritum latentem teneas, primas dictionum (hoc eſt, initiales) literas interlegis, & interſcribis; reperisque iſtam ſententiã. *Dqſuoxubmaif tabqg: qb bugu bqadqghuiq iqbqfug dqſqib pia qgh.* Barbara videretur alicui: at tibi non videtur barbara, ſed clauſa. Clavim aſſumis, & illam aperis, & prodit decretum hoc Imperatoris adverſo marte pugnantis contra barbaros. *Periclitamur omnes: & niſi tempeſtivè veneris, pereundum eſt.*

CCVL.

Clavis II.

SUmebamus ſingularum dictionum literam primam; poſſemus ſecundam, tertiam, &c. ultimam, penultimam, antepenultimam: & ſic hunc ipſum modum occultare & obvolvere. *Pono exemplum.* Dum contra Europæos arma dirigis, tuus Rex contra Aſiaticos ducit exercitum. Neſcis, an progrediendum tibi ſit in Græciam & Italiam, an redeundum ad Regem: & interim hanc epiſtolam ſigillo Regio munitam recipis, legis, & non intelligis. Videlicet,

Dum ſo ix inſto, Nilum ſuſpirante Pelago
Intimidos fuerat verè inimica dies. ♂.

Sed quid facies, ut Regis mentem aſſequaris, non enim putas ſtandum eſſe extremæ literæ, ſed aliquod ſecretum ſubeſſe? Sume ſecundas dictionum ſingularum literas & invenies hæc verba, *Veni, Veni, Veni.* Ergo ſiquidem inſtanter, inſtantiùs, inſtantiſſimè (termini Juris ſunt) à tuo Rege advocaris, eumdem ad ſtatum miſerrimum redactum ſcito, adeòque ut eum eripias, feſtina, feſtina, feſtina.

Ergo ne te confundat varietas, iſtis characteribus utere.

Legenda eſt

Prima	☉	*Vltima*	☽
Secunda	♂	*Penultima*	☿
Tertia	♃	*Antepenultima.*	♀

Poſſem addere lectionum ſingularum exempla: ſed ſufficit, methodum inſinuaſſe.

⁂

CCXLVI.

Clavis III.

A*Mant alterna Camœnæ*, inquit Poëta, & Steganographicæ Muſæ etiam alterna diligunt, amœbæa amant: & unam dictionem legunt, omittunt alteram; & hoc plurimis modis: Conſidera attentè ſequentes.

I.	v. n. v. n. v. n. &c.	♈	V.	v. nn. v. nn. v. &c.	♌
II.	n. v. n. v. n. v. &c.	♉	VI.	nn. v. nn. v. nn. &c.	♍
III.	vv. nn. vv. nn. &c.	♊	VII.	nnn. vv. nnn. vv. &c.	♎
IV.	nn. vv. nn. vv. &c.	♋	VIII.	vv. nnn. vv. nnn. &c.	♏

Poſſem plures alternationis modos ponere, at iſti videntur ſufficere. *Illos dilucido iſto exemplo.*

Agis militiæ Cæſareæ alterum Principem, & dum magnam exercitûs partem in Haſſos promoves, has literas ab altero Principe recipis.

Wandalus victus eſt. Fregit eum Rex. Noſtram ille nequivit aciem frangere. Iam ſumus victores. Illi impares, ut reſiſtant. ſuppetias fruſtra poſtulant. Feras gentes punivimus. Niſi in patriam velis expanſis redeant, ut ego iuſſi, hodie omnes delebuntur ſine fuga ſpe. Te moneo, ut pereamus aut vincamus. Et quia re cras nullâ indigebo, ſine te pugnandum nobis erit, nam perire debent univerſi. Vale. ♌

Literas perlegis, & amicis communicas: gaudent omnes: tu rem altiùs conſideras, & quia Leonis characterem reſpicis in fine epiſtolæ, ſcis primam, quartam, ſeptimam &c. dictiones valere, cæteras non valere, & relinquendo unam & delendo binas alternativè eventum militarem addiſcis: legiſque. *Wandalus fregit noſtram aciem. Sumus impares: ſuppetias feras, niſi velis, ut hodie ſine te pereamus, & cras ſine nobis perire.*

S*Icut dictiones integras, ſic potuit alternatio dare ſolummodò dictionum primas, ſecundas &c. literas. Addo hoc exemplum.*

Paulinus apud Germanos Romanorum Centurio, dum in Auſtria haberet hibernas, hanc recipit a ſuo Chiliarcha Epiſtolam.

Mone univerſos ut accipiant ſinguli unos acinaces, & pergant Viennam, ut cras adſint magno Auſtriacorum feſto, quod ſummo apparatu milites peregrini celebrant. Ibi ego etiam intererο, & orabo Proceres, ut eis donentis nobiliſſimis immunitatibus. ♌ ♂.

Recipit Paulinus epiſtolam, & quia ſic iubet Leo, cujus character illam claudit, unam dictionem legens & binas omittens, hanc ſententiam excerpis. *Mone accipiant acinaces Viennam adſint feſto apparatu celebrant: etiam orabo in immunitatibus.* Videtur eſſe obſcurior præcedente: at quia Mars (ſecundus character iſte eſt) ſic præcipit, ſecundas Paulinus dictionum ſingularum literas intercipit, & iſtam ſententiam judicialem invenit, *Occide Petrum.* Hæret. Sed quia Petrus opinione omnium eſt proditor, & fuerat apud Superiores delatus, & damnatus; non diſputat, ſed obedit, & liberat aciem à malo.

Nota.

POſſunt reſultare novæ Ciphræ ex harum compoſitione & commixtione, quas fruſtrà ego perſequerer & uberiùs exponerem, cùm ſufficiat ſingulas inſinuaſſe.

CCXLVII.

SECVNDVS MODVS.

OBſcurior & ſecurior eſt, ſupponit enim integras dictiones pro literis, & dum nullam legem aut regulam obſervare videtur, obſcuriſſimè & clariſſimè ſecreta tractat: clariſſimè reſpectu illorum qui artem norunt; & reſpectu aliorum obſcuriſſimè. Conſidera ſequentem Tabulam.

A	n	*Deus*	*amat*	*pios*
B	o	*Omnipotens*	*diligit*	*ſanctos*
C	p	*Immenſus*	*promovet*	*pauperes*
D	q	*Creator*	*cuſtodit*	*doctos*
E	r	*Redemptor*	*protegit*	*Chriſtianos*
F	ſ	*Conditor*	*ditat*	*Religioſos*
G	t	*Rector*	*ſoſpitat*	*humiles.*
H	v	*Sapiens*	*illuſtrat*	*modeſtos.*
I	x	*Clemens*	*nobilitat*	*fideles*
L	y	*Miſericors*	*decorat*	*conſtantes.*
M	z	*Iuſtus*	*honorat*	*probos.*

Complectitur hæc Tabella mille ducentas & viginti unam propoſitiones, quibus poterimus omnia ſecreta noſtra manifeſtare aut occultare. *Verſus ejus is eſt.* Prima columnna continet dictioonum poteſtatem, nimirùm literas, quas ſingulæ dictiones ſignificant. Et cur correſpoodent ſingulis dictionibos binæ? quia dictio ſi incipiat à majuſculâ, ſignificat priorem; &, ſi à minuſculâ, poſteriorem: unde *Conditor* ſignificat F, & *conditor* ſignificat *ſ*.

11
11
11
1221

Cùm igitur volueris uti hac Ciphrâ, primam literam ſume ex ſecundâ columnâ, ſecundam ex tertiâ, tettiam ex quartâ; & iterùm quartam literam ex ſecundâ hoc modo. Jubetur mihi, ut ſcribam occultè hoc Imperatoris decretum. *Menſe Aprili obſidebis Budam*: & ego ſic ſcribo.

Iuſtus Protegit pios: conditor Protegit Pios. immenſus protegit Fideles. Miſericors Nobilitat ſanctos. Omnipotens ditat Fideles. Creator Protegit Sanctos. Clemens ditat Sanctos ſapiens Cuſtodit Probos.

POſſemus ad carmen reducere has dictiones, & tabulas ubetiores ſubjicere, ſed brevitatis causâ hanc ſubſcribo.

A	n	*Nobilitat*	*cælos*	*excelſos*	*dulcis*	*Apollo.*
B	o	*Confirmat*	*montes*	*annoſos*	*magnus*	*Achates.*
C	p	*Depingis*	*ſaltus*	*externos*	*blandus*	*Olympus.*
D	q	*Illuſtrat*	*populos*	*inſignes*	*fauſtus*	*Vlyſſes.*
E	c	*Fæcundat*	*verſus*	*generoſos*	*latus*	*Adraſtus.*
F	ſ	*Propagat*	*rhythmos*	*animoſos*	*multus*	*Aratus.*
G	t	*Exornat*	*Iambos*	*pretioſos*	*pulcher*	*Epeus.*
H	u	*Enumerat*	*flores*	*cæleſtes*	*proſper*	*Hyparchus.*
I	x	*Amplificat*	*Proceres*	*ſublimes*	*ſoſpes*	*Anubis.*
L	y	*Indigitat*	*Reges*	*regales*	*ſuavis*	*Oſiris.*
M	z	*Lætificat*	*libros*	*ſupremos*	*comis*	*Homerus.*

Ecce dedimus Tabulam, majoris operis ſpecimen; quâ qui utatur, & carmina modulabitur Heroica, & mentis ſuæ arcana occultiſſimè ſignificabit. Sed quot carmina continet hæc Tabella? Dabit numerum computus. Illum inſtituo, & ajo undecim iſtis lineis centum unum millia, & quinquaginta unum carmina contineri, quæ nemo tota vitâ poterit aut proferre aut ſcribere. Et ratio multiplicationis eſt, quia primo loco poteſt poni vox *Nobilitat*, aut alia quæcumque illios columnæ, & loco ſecundo vox *cælos*, aut alia quæcumq; ex ſubjectis in eadem columna: cum ergo undecim in undecim ducta dent 121. ſequitur has columnas habere 121 commutationes. Hic numerus multiplicatur per 11. in columnâ *excelſos*: & ſurgit ad 1331. Et hic numerus multiplicatus per 11 in penultimâ columnâ dat 14641. Et hic eâdē numerus multiplicatus in ultima columna etiam per 11 dabit (ut dicebamus) ſupra centum ſexaginta & unum millia, carmina quiuquaginta & unum. [Et qoidem, dum hunc numerum ſupputo dictiones incipiētes à parvâ ab incipientibus à capitali non diſtinguo: ſi enim hujus diſtinctionis fuiſſet habita ratio in computu, numerus ultimus in infinitum ferè creſceret.]

11
11
121
121
1331
1331
14641
14641
161,051

Uſus hujus Metricæ Tabulæ idem, qui præcedentis eſt: quod aliquo poterit exemplo demonſtrari. Ponamus hoc.

Volebat per arcanas literas Julia Cajo ſpōſo ſuo hanc ſententiam proponere; videlicet,

Nil mihi reſcribas, attamen ipſe veni.

& ſumens calamum his illam carminibus complexa eſt.

nobilitat Proceres Regales Comis Anûbis,
Enumerat Proceres generoſos: Lætus aratus
Depingit verſus, Sublimes Magnus Apollo
propagat Cælos, pretioſos pulcher Apollo
Lætificat Verſus, excelſos Soſpes olympus
propagat Verſus, cæleſtes Lætus apollo
Amplificat, &c.

Quia ſingulæ dictiones duabus literis correſpondent, eædem ſæpe neceſſario recurrunt, cui inconvenienti obiam ire poſſemus, ſi Tabellam alteram conformaremus, in quà non duplicarentur literæ, ſed ſingulæ dictiones convenientes haberet. Dum alius uberiorem aut m[illegible]m componit, hanc calamo volanti ſcribo.

A	*Divinus*	*Petrus*	*Belgas*	*acceptat*	*honorat.*
B	*Æthreus*	*Paulus*	*Speros*	*confirmat*	*amatque.*
C	*Empyreus*	*Didymus*	*Batavos*	*aſſervat*	*ovantes*
D	*Angelicus*	*Carolus*	*Græcos*	*authorat*	*agendo.*
E	*Cœleſtis*	*Ianus*	*fortes*	*exaltat*	*ovando.*
F	*Cœlipotens*	*Thomas*	*Siculos*	*inſtaurat*	*acutos.*
G	*Aſtricomus*	*Simon*	*Sardos*	*adjungit*	*adultos.*
H	*Eximius*	*Stephanus*	*Gallos*	*aſcenſet*	*amicos.*
I	*Egregius*	*Clemens*	*Francos*	*extollit*	*anhelos.*
K	*Inſignis*	*Ioſeph*	*Gottos*	*defendit*	*apertos.*
L	*Auguſtus*	*Doctor*	*Veteres*	*perluſtrat*	*egenos.*
M	*Cæſareus*	*Scriptor*	*populos*	*propugnat*	*honeſtos.*
N	*Regalis*	*Lector*	*proceres*	*ſuſtentat*	*honores.*
O	*Ignotus*	*Præſes*	*Bojos*	*condecit*	*inermes.*
P	*Perfectus*	*Iudex*	*cunctos*	*sonducit*	*multos.*
Q	*Præcelſus*	*Phœbus*	*noſtros*	*conquirit*	*opimos.*
R	*Stellatus*	*Mavors*	*veſtros*	*conſcribit*	*equeſtres.*
S	*Stellaris*	*Cæſar*	*miſeros*	*conjungit*	*amantes*
T	*Sublimis*	*Princeps*	*doctos*	*diſtinguit*	*avaros.*
V	*Communis*	*Dominus*	*cunctos*	*procurat*	*omiſſos.*
W	*Perdoctus*	*Martyr*	*fractos*	*laudavit*	*& ornat*
X	*Selectus*	*Virgo*	*laſſos*	*ſervavit*	*& auget*
Y	*Suſceptus*	*Divus*	*laſos*	*firmavit*	*& æquat*
Z	*Dilectus*	*quo Pater*	*gratos*	*formavit*	*& aptat*
&	*Reſplendens*	*Gnatus*	*nudos*	*ornavit*	*& armat*

Et quot (inquiro) carmina hæc brevis tabella complectitur? 9; 765, 625. hoc eſt, *novem milliones, ſeptingenta ſexaginta quinque millia, ſexcenta vigintiquinque.* Quoniam 25 ducta in 25 dant 625. Et hæc ducta in 25. dant 15, 625. Et hæc ipſa ducta iterũ in 25. dabunt 390, 625. Et tandem hæc ipſa ducta deniq; in 25. dabunt 9; 765. 625.

25
25
125
50
625
25
3125
1250
15625
25
78125
31250
390625
25
1953125
781250
9;765,625

Uſus hujus Tabulæ facilior eſt, quam præcedentis: quoniam ſingulæ literæ ſingulas dictiones ſibi correſpondentes habent: quod innoteſcet clariùs, ſi aliquod exẽplum proponamus.

Attendite. Dum Praga (quam Triurbem dicimus, quòd tribus ex urbibus coaleſcat) & tenetur à Cæſareis & obſidetetur a Saxone, Succus cæſus à noſtris ſuppetiàs implorat, & advocat copias auxiliares his verbis.

Stramineas combure caſas, clauſamque Triurbem
Solve, & in auxilium Mars generoſe veni.

At expediebat [illegible] ipſa occultari, & ne ab omnibus intelligerentur, ad ciphram curioſam reduci. Si dixiſſet Suecus uſus tabulâ præcedenti, dixiſſet ſic.

Stellaris Princeps veſtros acceptat, honeſtos
Egregius Lector, fortes accertat adactos
Empyreus, Præſes populos confirmat, omiſſos
Stellatus Ianus Batavos acceptat, adactos
Divinus Cæſar Batavos perluſtrat, honorat
Communis Cæſar Belgas, propugnat opimos
Sublimis Mavors, Francos procurat equeſtres.
Æthereus Ianus populos conjungit inermes.
Auguſtus Dominus fortes exaltat, adauctos
Egregius Lector, Belgas procurat & auget
Egregius Doctor, Francos procurat honeſtos
Cæſareus, Petrus veſtros conjungit adultos.
Cœleſtis Lector fortes conſcribit, enermes
Stellaris, Ianus cunctos exaltat, honores
Egregius, Clemens Francos extollit anhelos.

Ecce quindecim carmina, quæ omnes legent qui volent, at nemo mortalium intelliget, niſi clavim & tabellam habuerit. Et quia de hoc genere componendi carmina plura in Metametricâ ſum traditurus, pono calamum, & ad alia progredior.

METACIPHRÆ

Per Colores.

CCXLVIII.

IMmediatum viſûs objectum color eſt: & ipſe, ſive idem cum luce ſit, quod voluit Virgilius *Æneid.* 6. dicens — *Et rebus nox abſtulit atra colores.* ſeu à luce & lumine diſtinguatur, quod docent & propugnant plurimi, habet multas ſpecies, & inter alias his præcipuè.

1. A. Albus (*coſa blanca*) huic ſimilis eſt niveus color: huic lacteus, & alii.

2. B. Candidus (*coſa blanca con luſtre*) habens albedinem & ſplendorem ſimul.

3. C. Argenteus (*color de plata.*)

4. D. Niger, (*negro*) ater eſt color niger triſtis

5. E. Cyaneus, Cœleſtis (*color de cielo: azul celeſte.*)

6. F. Glaucus, Cæſius (*azul*)

7. G. Venetus (*el color, que forma blanco y negro en igua'es partes*) Puniceus (*color bayo.*)

8. H. Roſeus (*color de roſa*) ſi ſatur & intenſus ſit (*encarnado*) ſi dilutus remiſſuſque (*color de carne de donella*)

9. I. Pallidus, Croceus, Lucidu (*amarillo.*)

10. L. Ravus (*color entre garzo y caſtaño.*)

11. M. Viridis (*verde.*) Herbidus (*color de yerba*) Montenſis (*verde de montaño*) Cutirus (*color de pepino*) Theſſalicus (*verde mar*) Cæruleus (*verde negro*) Praſinus (*color de puerro verde.*)

12. N. Purpureus (*carmeſi*) Ruber, Sanguineus. Coccineus.

13. O. Lividus (*cardeno.*)

14. P. Aureus Fulgus (*dorado.*)

15. Q. Vitreus (*chriſtalino.*)

16. R. Melleus (*color de miel*) Buxeus (*color de box*) Helvus (*color de paja paſſo.*) Gilvus: &c.

17. S. Ferrugineus (*morado.*)

18. T. Fuſcus (*pardo.*)

19. V. Luteus (*color de lodo: entre amarillo y colorado: naranjado.*)

20. X. Flammeus (*color de llama*) *Rutilus, Flavus.*

21. Y. Pullus (*color de ſpalda de liebre.*)

22. Z. Thaumantius. (*Color del iris: color del arca del cielo. Tornaſol.*)

Ecce habes hîc (Amice Lector) viginti duas colorum differentias, quæ totiem Abecedarij poſſunt litteras repræſentare. Uſum expono.

CCXLIX.

Modus primus.

SUme globulos ſimiles illis quibus Marianum Roſarium conformamus, & filo inſere ſecundum colores quos ſingulæ litteræ poſtulant, & poteris Roſarium mittere, quod mentis tuæ ſententiam arcanam eloquatur. *Pono exemplum.*

Agebatur cauſa Friderici in Senatu ſupremo, & omnium votis condemnatur: eſt plectendus capite; & tu, ut illum moneas, hanc decadem granorum mittis.

✠ - O Glaucus - O Luteus. - O Venetus. - O Cyaneus. - O Ferrugineus. - O Fuſcus. - O Albus. - O Fuſcus. - O Pallidus. - O Viridis. - ✱

Recipit de eadem Fridericus, & colorum varietatem conſiderans, & inde literas æquivalentes inferens, legit hoc monitum: videlicet, *Fuge ſtatim.* & agens Deo & monitori gratias, ſe ſubripit, & mortem evadit.

Sicut grana, ſic potuit amicus mittere ad Fridericum roſarum ſertum, florum faſciculum: &c. Sic etiam torquem lapillis pretioſisconuiſtinctum: &c. Sic tandem tabellam diverſis coloribus pictam: &c.

CCL.

Modus ſecundus.

EXhibuimus colores videndos hucuſque teipſiſſemus & eoſdem exhibere legendos & audiendos: puta, ſi pro illis eorundem nominibus uteremur. Pono exemplum.

Erant in Arce N. mille milites, fortes & generoſi omnium rerum indigi, & præter animos, ut locum defenderent nihil habentes. Ergo petendæ erant munitiones & victualia ab Imperatore. ſed hoc ipſum debebat neſcire hoſtis, ne pernitioſe irrueret, arcem cingeret, & illam ad deditionem cogeret. Ergo Roſenius Arcis Gubernator & Dux has literas Cæſari ſcribit.

Aurea ſunt omnia in arce: in hoſtium caſtris omnia pulla: mellea ibi nulla, ſed omnia amara, pallida, livida, ferruginea, lutea, rava. Abundat noſter miles nummis aureis: non obſtante labore habet colorem roſeum: buxeis utitur haſtis: & cyaneis veſtibus Cæleſtia fuſcis anteponit. Diſtribuo ſingulis menſibus in capita quaternos aureos, quotidie decem albos: dedi pallia purpurea, cæleſtes irides, dentes argenteos, plumas albas; ut non ſolùm fortes ſed & pulchre videantur. Hinc eſt quod iudicent labores militares eſſe melleos, nec curent an debeant cubare ſuper cyaneos lapides, herbam viridem, loricam luteam, aut pavimentum ferrugineum: habent enim victualium ſummam copiam, & cætera videntur negligere opinione victoria. Vale.

Sed quò tendunt hæc omnia? Cur Roſenius hæc ſcribit Cæſari? Ut ille nomina colorum eo ordine, quo ſunt poſita interlegat, & literas à coloribus ſignificatas adjiciens, hanc reperiat monitionem arcanam; videlicet. *Pyrio ſulphure & pane caremus.*

* * *
* *
*

METACIPHRÆ
per Ignem.
CCLI.

ALogæ animantes dicuntur, quod loqui nequeant: & homines ab ipſis omnibus & ratio & loquela diſtinguit. Loquimur cum pręſentibus linguâ, cum abſentibus calamo. At literæ intercipiuntur aliquando: ſed ne legantur Ciſrica effi it. At quas neſciunt boſtes legere, non permittunt tranſire: ſed obviam it huic magno inconvenienti Metaciphrica. At tabellarii ipſi nonnunquam ſunt infidi, ſæpè negligentes & deſides: & contra eorumdem malitiam-ve ignaviam-ve, nulla eſt Ars liberalis, quæ hucuſque utiliter aliquid fecerit. At modò proponemus nonnihil, quod videatur difficilè & rarum. Sit

Lemma. *Poſſunt duo amici, diſtantes quatuor, octo, duodecim, aut pluribus leucis ſibi loqui, ſine ſcripturâ, ſine voce, ſine tabellario.* Quando? *Mediâ nocte, vel quando altæ ſint tenebræ.* Quo modo? *Ignium artificialium beneficio.* Et quo illi modo diſponentur? *Iam dico.*

Tabulam Cœleſtium Metamorphoſeon ultimam conſule: & in e Rhetoricam cœleſtem, & apud Igneas literas feneſtram α β γ δ reperies, quæ habet quinque valvulas, quæ poſſint ſubrigi & dimitti: Pone in illis quinque lampades clarè lucentes, ut ab eo quicum agere vis, diſtinctiſſimè videri poſſint. [Ubi magna ſit diſtantia juvaberis, ſi feneſtra ſit magna, & flamma vehemens: & juvabitur alter, ſi utatur teleſcopio aut convenienti aliquo inſpicillo.] Poſteà ex numero & poſitione flammarum habebis literas, quibus uti poſſis quando velis.

Pono exemplum. Video ſucceſſivè has poſitiones ignium [./../../.:/·:./.·] & lego *Accede*. Et hoc juxta Abecedarium igneum quem delineavi.

Multa ſunt quæ poſſunt addi ut facilior ſit modus loquendi, multa ut promptior: interim unum repræſento.

Fiat abacus, qualem habet Organum, qui viginti duabus palmulis componatur, & poſteà ſingulis inſcribantur literæ Abecedarij ordine ſucceſſivo. Et fiant tracturæ (utor voce Organificis notâ & communi) ita ut quando deprimo palmulam A, aperiatur una valvula & compareat unica lux: quando palmulam B, aperiantur duæ perpendiculares: quando palmulam C, aperiantur duæ collaterales &c. Quas quidem tracturas ſine magno temporis & laboris impendio quicumque faber delineare & conficere poterit.

METACIPHRÆ
per Digitos.
CCLII.

MAnus, pars corporis notiſſima, ſubire vices linguæ poteſt & ſolet. Eſt duplex dextera & ſiniſtra. Habet digitos quinque: 1. Pollicem. 2. Indicem ſeu Salutarem: 3. Medium: 4. Annularem: 5. Minimum ſeu Auricularem. Digiti componuntur articulis, & his præcognitis facili negotio poteris diſcere loqui per manum.

Primus Modus.

DUobus digitis manûs dexteræ tange aliquam capitis aut corporis partem (videlicet, quam commodè & decenter poſſis) & hoc contactu literam illam ſignifica, quæ partis tactæ nomini ſit initialis. Pono Exemplum. *Vt ſignifices*

A. *tange aurem: ut*
B. *buccam: os clauſum. ut*
C. *caput. ſynciput. ut*
D. *dentes ſuperiores. ut*
E. *dentes inferiores. ut*
F. *frontem. ut*
G. *genam dexteram. ut*
H. *humerum dexterum. ut*
I. *humerum ſiniſtrum. ut*
L. *labium inferius apertioru. ut*
M. *mentum barbæ inferiorem partem. ut*
N *naſum. ut*
O. *oculum dexterum. ut*
P. *pectus. ut*
Q. *guttur. collum. ut.*
R. *brachium ſiniſtrum. ut*
S. *manum ſiniſtram. ut*
T. *tempus dexterum (locus eſt ante aurem) ut*
V. *ventrem. ut*
X. *tempus ſiniſtrum. ut*
Y. *ſupercilium dexterum. ut*
Z. *ſupercilium ſiniſtrum, &c.*

Hic modus non eſt valdè difficilis, nec incommodus; & unuſquiſque illum poterit aliis idiomatibus attemperare. Hac arte poſſunt loqui Statuæ & Imagines, poſſunt etiam hiſtoriæ quæ earumdem motum & ſitum repræſentent. Conſidera ſequentes lineas.

Erat Regia Circes auro dives, & horto celebris. In iſto ſeptem marmorea ſtatua Solem, Lunam, Saturnum, Iovem, Martem, Venerem, Mercuriumq; repræſentantes; dominæ interroganti reſpondebant. Advênit Vlyſſes, homo ignotus, & qui volebat à Solis filia non cognoſci. Rogat hoſpitem Circe nomen: & ipſe ſimulat & diſſimulat. Rogat illud ſtatuas: & Sol manum dexteram demittit in gremium: Luna indice labium inferius tangit: Saturnus ſupercilium dexterum: Iuppiter & Mars Mercuriusq; manus ſiniſtras, & dentes inferiores Venus. Et Circe, invecta in peregrinum ait, Tu es Vlyſſes.

Et meritò ſic loquuta fuit: quoniam habitus & ſitus ſtatuarum hoc nomen conſignificabant.

CCLIII.
Modus ſecundus.

HAbemus in manibus quinos & quinos digitos, qui inter ſe combinati poterunt vigin-

viginti-quinque litteras repræſentare. *Tangatur igitur ſiniſtra.*

A. *Pollex*		
B. *Index*	*à pollice*	
C. *Medius*	*manûs*	
D. *Annularis*	*dextera.*	
E. *Auricularis*		
F. *Pollex*		
G. *Index*	*ab indice*	
H. *Medius*	*manûs*	
I. *Annularis*	*dextera.*	
L. *Auricularis*		
M. *Pollex*		
N. *Index*	*à medio*	
O. *Medius*	*manûs*	
P. *Annularis*	*dextera.*	
Q. *Auricularis*		
R. *Pollex*		
S. *Index*	*ab Annulare manûs*	
T. *Medius*		
V. *Annularis*	*dextera.*	
X. *Auricularis*		
Y. *Pollex*		
Z. *Index*	*ab auriculare manûs*	
&. *Medius*		
Con. *Annularis*	*dextera.*	
orum. *auricul.*		

Iſte literas digitis exprimendi modus facilis & bonus videtur: ſed quia binas manus occupat, addamus adhuc alium, in quo unicâ (dextera nimirùm) utamur.

CCLIV.

Modus tertius.

TRes in manu diſpoſitiones ſunt valdè diverſæ: directio, elevatio, & dimiſſio. Dirigitur, cùm verſus alterius pectus per lineam horizonti parallelam porrigitur: elevatur, cùm ſurſum tollitur: dimittitur, cùm totum brachium genu verſus propenditur. Dum manum elevamus, oſtendimus alteri palmam, dum illam dimittimus dorſum: & hæ tres dexteræ manûs poſitiones Abecedarij litteras in tres claſſes (nimirum, in ſtantes, ſurgentes, & cadentes) dividunt.

Poſteà brachio immoto, & manu priorum poſitionem ſervante, adhoc digiti poſſunt multas habere poſitiones: omiſſisq; difficilioribus, his tantummodò utemur, quas faciliùs & diſtinctiùs poſſumus conformare. I. Manus clauſa & in pugnum contracta, olim ſignificabat Logicam, nobis hodie literam aliquam. II. Manus clauſa poterit aperiri per partes: puta, extendendo (numerando ſucceſſive à pollice: nam claritati & facilitati conſulitur) unum digitum, duos, tres, quatuor, quinque. III. Cùm omnes quinque extenduntur, ſic manus aperta dicitur, & olim index erat Rhetoricæ: at nobis hodie aliquam etiam literam repræſentabit. IV. Pollex prætereà poterit tangere caput vel indicis, vel medij, vel annularis, vel minimi ſeu auricularis. V. Et denique formare crucem poterit cum eiſdem digitis. Ergo habemus quatuordecim digitorum poſitiones, quę multiplicatæ per ternas manûs brachijque, dabunt quadraginta duas poſitiones valdè notabiles: quarum dimidia pars poterit ſignificare literas ſimplices: & altera dimidia ſyllabas aut etiam dictiones.

Manus directa	elata	dimiſſa	Digitorum diſpoſitiones variæ.
A	Q	Cæſar	Manus clauſa. Pugnus.
B	R	Rex	extendit ſolum pollicem.
C	S	Epiſc.	extendit pollicem & indicem.
D	T	Princ.	pollicem, indicem, & medium.
E	V	Sacerd.	pollicem, indicem, medium, & annularem.
F	X	Puer	extendit omnes dig. Manus aperta.
G	Y	Venire	indicem } infra unguem tangit pollex.
H	Z	Sedere	medium
I	&	ſtare	annularem
L	Con	diſced.	minimum
M	us	Bonum	cum indice } format crucem pollex.
N	tum	Malum	cum medio
O	per	feci	cum annulari
P	ſub	non feci	cum minimo

Ecce habes quatuor columnas; manus enim directa in alterum, ſi torqueat & flectat digitos ſecundum leges columnæ ultimæ, dabit quatuordecim diverſas literas, quæ in primâ columnâ ponuntur. Surſum elata manus paſſa ſimiles digitorum immutationes, dabit literas & ſyllabas, quas ſecunda columna repræſentat. Tertia columna manui dimiſſæ correſpondet; quam omittere poteris, ſi ychis quod illâ utaris, poteris ſummo compendio quatuordecim dictiones (videlicet illas, quas ſcripſi; aut alias quaſcumque volueris) ſecretiſſimè repræſentare.

NOTA.

Sicut litteræ digitis, ſic etiam res integra ſignificantur, & poſſet quis Sinenſium more digitis notas & chara-

characteres conformare, quibus integræ dictiones reſponderent. Alij aliter rem iſtam involvant aut expediant: ego Inſtitutiones has breves & curioſas ſubjicio.

CCLV.

DACTYLO GRAMMATICA.

GRammaticam per membra, & præcipuè per digitos conformo, ita ut ex diverſis corporis motibus diverſa nomina, aut verba intelligam, & ad hanc duas manus ſimul vel ſigillatim immediatè operari volo, ita ut una ſignificationi materiam, alia formam & modum ſubminiſtret. Significationis materiam dico ſignificationem rei prout abſtrahit à nomine & verbo, ut Rationale Senſibile &c. Forma eſt caſus, tempora, &c. eſſe nomen vel verbum concretum & abſtractum & ſimilia.

Materiam dat manus Dextera, Formam Siniſtra. De Materia Melolexicon compono; & Formâ, quæ propriè ad Grammaticam ſpectat, in præſentiarum diſputabitur.

Orationis Partes.

ORationis Partes ſunt Tres. Nomen. Verbum. Dictio. Sic illam Hebræi dividunt qui præter Xemum Pahalum & Milam nullam in Oratione partem admittunt. Nomen ſignificat Siniſtra elevata, Verbum dejecta, Dictionem poſita in Latus.

De Nomine.

Nominativus Indicem elevat.
Genitivus Medium.
Dativus Annularem.
Accuſativus Auricularem.
Ablativus ſuppletur per Dativum Græcorum more: ſicut enim nec Græcis, ſic ſimiliter neq; Melologis eſt iſte caſus neceſſarius. *Pluralis* jungit cubitum pectori, *Singularis* abmovet. *Subſtantivum* caput pollicis cum digito elevato non conjungit, *Adjectivum* jungit, ſed cum hoc diſcrimine, quia *Adjectivum Maſculinum* jungit cum elevati digiti capite caput Pollicis. *Fœmininum* jungit caput Pollicis cum medietate digiti levati. *Neutrum* verò jungit caput Pollicis in junctura, quâ elevatus digitus conjungitur cum palma manus. Poſſet noſtra Grammatica carere genere Iberorum ad Caucaſum degentium more; ſed nos Europæis gentibus coaptare & attemperare volumus.

De Genere Nominum

NOmina Virorum Deorum Fluviorum Menſium, Ventorum, & quæ ſunt, quæ ſexu maſculeo pinguntur, ſunt Maſculina.

Nomina Fœminarum, De[illegible] Urbium, Regionum, Virtutum, Vitiorum ſunt Fœminina.

R[illegible] qua Nomina quæ ſ[illegible]u carent, neutra [illegible].

De Verbo.

Voces.

V*Erbum* manum dejicit.
Activa dejicit Indicem.
Paſſiva Medium.

Auricularis & Annularis perſonas notant. Nullus ex his dejectus primam, Annularis ſecundam, Auricularis tertiam.

Et hoc ſufficit ad diſcernendas voces & perſonas: nunc ergo dividamus tempora.

Tempora.

P*Ræſens* caput pollicis cum digito dejecto non conjungit.
Præteritum conjungit caput Pollicis cum capite digiti dejecti.
Futurum verò jungit caput Pollicis cum medietate digiti dejecti.
Imperativum autem ponit caput pollicis in junctura qua digitus dejectus enaſcitur de palma manus. *Plurale facit ſicut in Nomine.*

SYNTAXIS.

OMnia verba petunt Accuſativum.
Genitivus eſt caſus Poſſeſſoris.
Dativus acquiſitionis.
Vocativus ſuppletur per Nominativum.
Ablativus verò per Dativum.
Nomina omnia & Participia petunt Genitivum
Præpoſitiones, Adverbia, Interjectioneſque Accuſativum poſtulant.

CCLVI.

MELOLEXICON.

NOn eſt animus omnibus dictionibus Melejas deſignare, ſed ſolùm communioribus & neceſſarioribus [illegible] iis ſcil. quæ [illegible] quei[illegible]do ſufficient & diſputando ſuperſint, & ſine quibus deficientibus eſſet oratio, atque confuſa diſputatio. Ordinem Prædicamentorum ſequar, ut nihil omiſiſſe videar, & ordinem corporis & digitorum in Melejis, ut facile ſit ex voce Melejam, & ex Meleja vocem inveſtigare:

Digiti inter ſe conbinantur.

Ens Pollicem
Materia Indicem
Corpus Medium
Anima Annularem
Spiritus Auricularem
} ſurſum eleva.

Angelus Policem
Natura Indicem
Supernaturale Medium
} deorſum dejice.

DEUS Pugnum claude & eleva.

Fides Pollicem
Spes Indicem
Gratia Medium
Infimum Annularem
Morale
Mores Auricular.
} in latus [illegible]

Virtus Annularem
Miſericordia Auricul. } deorſum dejice.

Iuſtitia Pollicem
Laus, Fama Indicem
Amicitia Medium } & Auricularem ſurſum eleva.

Artificiale.

Ars Annularem
Menſa Auricularem
Scabellum Pollicem
Haſta Indicem
Arma Medium } & Annularem eleva.

Sagitta Annularem
Virga Auricularem
Veſtes Pollicem
Pallium Indicem } & Medium eleva.

Galerus Indicem & Pollicem eleva.
Tunica Indicem & Pollicem deorſum dejice.
Domus Indicem & Pollicem in latus pone.

Feneſtra Pollicem
Porta Indicem
Columna Medium
Tectum Annular. } & auricularem deorſum dejice.

Naturale.

Subſtantia Pollicem
Quantitas Indicem
Qualitas Medium
Relatio Auricularem } & Annularem deprime.

Actio Pollicem
Paſſio Indicem
Quando Annularem
Vbi Auricularem } & Medium deprime.

Situs Pollicem & Indicem & Medium eleva.
Habere Indicem & Medium & Annularem eleva.

Subſtantia.

Animal. eleva quinque digitos.

Caput tange caput
Facies tange faciem
Oculus oculum
Auris aurem
Nasus naſum
Os os
Lingua linguam
Dentes dentes
Collum collum
Pectus Pectus
Brachium Brachium
Manus manum
Digitus digitum
Pes deſigna pedem
Cor nota cor
Senſus tange indicem
Viſus oculum bis
Auditus aurem bis
Odoratus naſum bis
Tactus manum bis
Guſtus os bis } cum Pollice & ſic proportione facta, ſi alias partes corporis notare volueris (ut barbam, frontem) tange illas cum Pollice, &c.

Homo Pognum claude & dejice.
Memoria circinum capitis tange cum Indice.
Intellectus mediam frontem tange cum Indice.
Voluntas dextram frontem.
Libertas ſiniſtram frontem.

Arbor oculum dextrum.
Lapis oculum ſiniſtrum.
Metallum inter oculos.
Aurum naſum.
Argentum os clauſum.
Plumbum linguam.
Æs dentes ſuperiores.
Elementa dentes inferiores.
Cœlum maxillam dextram.
Sydus pulſum ſiniſtrum.
Terra maxillam ſiniſtram.
Provintia aurem dextram.
Gens aurem ſiniſtram.
Vrbs dorſum auris dextræ.
Aqua dorſum auris ſiniſtræ.
Fluvius barbam.
Mare colum.
Pons humerum dextrum.
Navis humerum ſiniſtrum.

Remus ſub brachio dextro
Vela ſub brachio ſiniſtro } in ala ſeu axilla.

Aer cubitum ſiniſtrum.
Ignis lumen axillam cubiti } hiſp. *la ſangradura.*

Caminus, fornax inter cubitum & pulſum in ſuperiori parte brachij ſiniſtri.

Quantitas.

Continua tange cinguli medium cum indice.
Contigua tange latus dextrum cinguli.
Linea tange latus ſiniſtrum cinguli.
Superficies tange circinum capitis cum medio.
Corpus tange medietatem frontis.
Planum latus dextrum frontis.
Circulare latus ſiniſtrum frontis.
Succeſſivum cilium dextrum.
Tempus cilium ſiniſtrum.
Oratio oculum dextrum.
Nomen oculum ſiniſtrum.
Verbum inter oculos.
Dictio ſummitatem naſi.
Numerus maxillam dexteram.
Permanens maxillam ſiniſtram.

Qualitas.

Habitus os clauſum.
Diſpoſitio dentes ſuperiores.
Impulſus dentes inferiores.
Motus linguam.
Attractivus barbam.
Ejectivus collum.
Conjunctivus humerum dextrum.
Velox humerum ſiniſtrum.
Tardus axillam humeri dextri.
Quies axillam humeri ſiniſtri.

Relatio.

Unum, ſimile pectus.
Plures, diſſimile cinguli partem dextram.
Pater cinguli partem ſiniſtram.
Mater medietatem cinguli.
Frater cubitum ſiniſtrum.
Conſanguineus axillam cubiti ſiniſtri.
Æqualis pulſum ſiniſtrum.
Dominus tange Circinum capitis cũ Annulari.

Servus tange latus dextrum frontis.
Filius latus ſiniſtrum frontis.
Cauſa medietatem frontis.
Effectus cilium dextrum.
Actio cilium ſiniſtrum.
Paſſio oculum dextrum.
Creatio oculum ſiniſtrum.
Generatio inter oculos.
Alteratio ſummitatem naſi.
Intenſio maxillam dextram.
Remiſſio maxillam ſiniſtram.
Condenſatio aurem dextram.
Rarefactio aurem ſiniſtram.
Corruptio os clauſum.
Motus dentes ſuperiores.
Deambulare dentes inferiores.
Currere linguam.
Surgens, excelſum eſſe barbam.
Cadere collum.
Comedere humerum dextrum.
Dormire humerum ſiniſtrum.
Magnum, grande inter cubitum & pulſum.
Totum axillam humeri dextram.
Pars axillam humeri ſiniſtram.
Omnis pectus.
Nullus cinguli partem dextram.
Quidam cinguli partem ſiniſtram.
Quis medietatem cinguli.
Alius cubitam ſiniſtram.

Quando.

Tempus axillam cubiti ſiniſtri.
Annus pulſum ſiniſtrum.
Menſis tange circionum capitis cum digito minimo, qui dicitur Auricularis.
Dies tange partem dexteram frontis,
Hora ſiniſtram.
Præſens medietatem.
Præteritum dextrum
Futurum ſiniſtrum } cilium.

Vbi.

Deſertum dextrum
Civitas ſiniſtrum. } oculum.
Domus inter oculos.
Eccleſia ſummitatem naſi.
Cubiculum dextram
Dextra ſiniſtram } maxillam.
Siniſtra dextram
Vacuum ſiniſtram } aurem.

Situs.

Stans os clauſum.
Sedens dentes ſuperiores.
Jacens inferiores dentes.
Extenſus linguam.
Contractus barbam.

Dictiones.

Ego collum.
Tu humerum dextrum.
Ille humerum ſiniſtrum.
Non dextri
Etiam & ſiniſtri } humeri axillam.
Si pectus.
Ante dextram
Poſt ſiniſtram } cinguli partem.
Coram mediam

Præ cubitum
Inſuper axillam cubiti } ſiniſtram.
procul pulſum
Contra tange circinnum capitis cum digitis Indice & Medio.
Pro dexteram
Hucuſque ſiniſtram } partem frontis
Hic mediam
Ipſe dextrum
Ceterum ſiniſtrum } cilium.

Animantium Nomina.

Leo dextrum
Equus ſiniſtrum } oculum.
Mulus inter oculos.
Aſinus ſummitatem naſi.
Canis maxillam dextram.
Felis maxillam ſiniſtram.
Mus dextram
Sus ſiniſtram } aurem.

Avium Nomina.

Avis os clauſum.
Gallina ſuperiores
Aquila inferiores } dentes.
Ciconia linguam.

Virorum Nomina.

Petrus collum.
Ioannes detrum
Franciſcus ſiniſtrum } humeri axillam.
Paulus dextram
Matthias ſiniſtram } humeri axillam.
Laurentius pectus.
Antonius dextram
Marcellus ſiniſtram } cinguli partem.
Andreas mediam
Eberardus cubitum ſiniſtrum.

Feminarum.

Angela axillam cubiti ſiniſtri
Hieronima pulſum.
Catharina inter cubitum & pulſum in ſuperiori parte.
Iſabela ibidem in inferiori.
Anna in dorſo pulli
Maria palmam } ſiniſtri.
Cicilia dorſum palmæ

Numeri.

COmputus arithmeticus fit per digitos utriuſque manûs elevatos, totidem quot numeros delineaturus eras: ut, ſi verbi gratia dicturus eſſes. *Annum* 1628. tange pulſum ſiniſtrum cum annul[illegible] ut ſignifices annum, & deinde eleva utraſque manus decenter & elevato uno digito deinde eleva iterum elevatis 6. deinde eleva tertiò elevatis duobus elevaque ultimo elevatis o[illegible]o. Principi[illegible] deſignanda eleva omnes decem & ſic numerorum proceſſus facies, in qualibet materi[illegible].

Exemplum.

HÆc melologizandi ſpecies non ſolùm Logiæ & communicationi ſeu lo[illegible]tioni convenit, ſed etiam ſcripturæ: quia poſſunt ſcribi, quæ dicuntur, eisdem imaginibus, quibus res ipſæ notabantur.

F I N I S.

INDEX.

Alphabetum Atticum. Pag. 111
Artium diviſio. 3
Artium liberalium mechanica diſtinctio. 4
Artium Subalternatio. 4
Artium ars, Scientiarumq; Scientia 6
Artis & naturæ ſimilitudo, & diſſimilitudo. 6
Artes malæ in ſpecie. 47
Ars notoria. 63. de artibus promanticis. ibidem.
De Artium ſcientiarumq; quæ Scholaſticæ tractari poſſunt, quidditate, dignitate, Ordine & utilitate. 1
Quid Artis nomine intelligatur. 3
De Artibus liberalibus. 8
De Artibus vanis ſuperſtitioſis & magicis. 36
De Arithmetica. 13
De Arte ciborum. 18
De Architecturâ civili & militari. 15
De Aſtronomiâ 16. & Aſtrologiâ. 17
De Bibliothecis. 12
Cabala. 51. Characteres Sagarum ibid.
Cadmus literas in Græciam intulit. 85
Characteres omnium gentium. 72
Characteres ante Ezram, 76. Cœleſtes. ibi. Samaritani, 77. Moſaici ibid. Ægyptij. ibid. Aſtronomici 80. Regij. 81. Æthiopici. 82. Indici. ibid. Sinenſes. 123. Arabico Græci. 86. Aeolij Coptici. 87. Ciphræ Arithmeticæ, 112.
Ciphræ Geometricæ. 116. Ciphræ vocales. 111. Ciphræ Parcæ. 122. Ciphra per lineas. 123
Ciphra quam non potent Deus: & tadiabolus poterit revelare.
Ciphrica paragraphia ſive mentis arcanathodo differens. 108
De Coſmographia. 16
Dæmon an futura contingentia præſciat? 46
Dæmonum & hominum pacta. 48
De Dæmonis viribus & natura. 37
Divinatio per Aſtra. 48. per ignem. 49. per Aërem. ibid. per aquam. ibid. per Terram. ibid. per literas. 50. per ſecretas l[illegible]as. 51. per verba. 52 per ſcedulas. ibidem per logicam 53. per Carmina, ibidem per numeros. ibidem. per Logarithmos. 54. per Circulos. ibid. Horæ per annulum, ibidem per Inſtrumenta. 55. per Muſicam. 57. per an[illegible]re. 58 per homines 59. per mortuo[illegible] ibid. per Somnia. ib. per ma[illegible]m 60. per Deum. 61. per Sortes 62.
Direſcendi ars magica. 67
Faſti mobiles. 70
De Geographia 14. de Geometria. 14
De Grammatica. 10
De Græcis literis. 84
Hebdomadis dies. 71
De Hydrographia. 16
De Leoninis. 13
De Logodædala. 11
De Latinis literis. 92
Ludendi ars magica. 66
De Logarithmis. 14
De Luſu pilæ. 17
De Magiæ nomine & definitione. 36
Magia practica. 63
Medicina magica. 63
De Militia umbratili. 17
Metaciphra per Spiritus. 128. per Pennas, Criſtas, Caudas. 131. per ligaturas. 134. per dictiones 135. per Colores. 139. per ignem. 140. per digitos. ibidem.
De Muſica. 14
De Orthographia & Orthologia. 8
Pantologia ſive de literis & characteribus omnium gentium. 72
Philoſophia Rationalis. 22
- - - Realis. ibidem
De Philoſophia naturali. 23
De Philoſophia vegetativa. 23. Intentionali. ibidem
De Philoſophia humana. 24. de anima rationali. 25. medica. 28
De Philoſophia Angelica. 29
De Philoſophia ſupernaturali. ibidem
De Philoſophia divina 30
De Philoſophia ſeu metaphyſica. 31
De Philoſophia Chimoerica & virtuali. 33
De Philoſophia Ethica 33. Oeconomica 34
De Pictoria optica. 15
De Philoſophorum nominibus. 18
De Philoſophicis ſcientijs. 18
De Polygraphia. 2
Quænam natio melius proferat linguam latinam. 107
De Rhetorica. De Rhytmicis. 13
De Re ruſtica. 18
Solis & Lunæ Abecedarij, aliorumq; Planetarum. 113
De Steganographia. 2
De Statuaria. 15
De Theologiæ & philoſophiæ diviſione. 18.
De Typographia. 12
Venandi ars magica. 67

FINIS.

G. 17.